

sit ratione activitatis, aut resistentia: sed potest natura valere ad coctionem alicujus materiae per quatuor dies, prouidetur, & postea, per sex; ergo contingens est hac vel illa die crisim perfectam fieri; siquidem contingens est facultatem sufficere pro coctione facienda per quatuor dies, quae postea sex indigeat. Quod confirmat; quia si materia qua ad septimum non erat cocta, in octavo perfectè coqueretur cum eadem facultate non est, cur talis expulsio infelicitate fiat, ergo dierum criticorum diversitas sine fundamento est.

Huic difficultati communis est solutio, virtutem diei non conducere ad coctionem, sed excitare ad pugnam, & ad expulsionem juvare. Tamen contra est, quia eo ipso quod natura coctionem perficit, à retentione cessat, quae propter coctionem erat; sed cessante natura à retentione, operatur expultrix, ut dictum est ex Galen. ergo ut expultrix expellat, & ad id excitetur sine necessitate ponitur virtus diei, præcipue cùm constet in tertio & quinto fieri crisim, etiam si quartus, & non ipsi decretorijs sunt, ex eo quod ratione accessionis excitatur ad crisim, seu expulsionem, & pugnam natura, ut Galenus 3. de cris. c. 5. ergo ut excitetur natura ad pugnam, & fiat expulsio, frustra ponitur virtus diei.

Quintò: quod si dies haberet aliquam virtutem facientem pro crisis perfectione, sequeretur quod signum malum in die decretorio apparet, esset minus malum quam si alio die appareret, cuius contrarium docet Hippocrat. text. i. prorr. sic ait. *Sillatio è naribus perniciosa, tum alias, tum si quarto die caperit.* Galen. in comment. sic ait. *Cum itaque sillatio è naribus semper malum signum sit, absolutissima morbi malitia significatur, si quarto fiat die:* Ergo non est concedenda virtus aliqua in die critico. Sequela probatur, quia crisis in die decretorio est bona, ex eo quod virtus diei conductit pro perfectione ejus, sed melior esse debet evacuatio, seu minus mala quando est aliquid adjuvans, & conductens pro bonitate ejus, quam quando non est, ergo minus mala erit evacuatio prava in die critico quam in aliis.

Hoc non obstante dicendum nobis est veram esse Hippocrat. & Galeni, & Avicenn. sententiam, afferentium aliquos dies dari in quibus crisis omni perfectione, & securitate fiunt, alios secus. Totum quod experientia compertum est, sed in arte Medica nullum efficacius desumitur argumentum quam quod ab experientia procedit, ergo dicendum est criticos dies esse conducendos: non alia ratione 3. method. cap. 1. ait Galen. sic. *Eius rei duplex cognitio est, nec potest addi tertia, altera per experientiam, cui longo usu est opus; altera per ipsius rei naturam.* Et cap. 2. sic. *Hoc igitur, aut per experientiam, aut rationis ope dignoscere omnino oportebit.* Docet ergo experientiam esse viam dignoscendi, ea, quae a nobis dignoscenda sunt, ac per consequens cum longa experientia dierum criticorum diversitatem invenisset Hippocrat. ut constat per libros epid. & docet Galen. 2. de diebus decret. cap. 3. & 5. dies critici concedendi sunt, id est, dies aliquos esse in quibus crises securiores & perfectiores fiunt, alios verò in quibus prava sunt, & infidae, & sic solum per experientiam id esse deducendum ostendit: sic ait cap. 5. Si

enim quispiam, que egris accidunt observare velitis & ab Hippocrat. dictis credere, is nil adhuc nostrā experientiā indigebit: at si sophismata evidenter apparentibus digniora esse existimet, & Hippocrat. dictorum nullam rationem habet, hujus modi frequenter dixi esse despiciendos: si verò veritatis studiosus, quis existat, sophistarum nūgīs relictis ad experientiam veniens, cùm octoginta vel mille agros confexit, hunc indubie novi non alia de diebus decretorijs pronunciaūrum quam Hippocrat. indicavit. Ergo per experientiam haec veritas est deducenda, aut qui contrarium tuentur, rationem reddant diversitatis expertæ.

Ad opposita respondetur ad primum doctrinam Hippocrat. potius ostendere dies aliquos criticos esse, cùm assérat eisdem diebus terminari morbos ad bonum, & ad malum; nam cùm ratio specialis terminationis ad unum, aut ad alterum pendeat ex virtute naturæ supra morbum, aut ex contrario, qualis haec fuerit, erit terminatio; & cùm dies criticus unus sit in quolibet morbo ad bonum, aut ad malum, eodem die fiet terminatio. Quid dies faciat, dicimus infra.

Ad secundum respondetur quod licet verum sit expulsive operari facta coctione, nihilominus crisis bona diei juvamen requirit, & sine ipso non fit perfecta, cuius concursus fundamentum est, quod tali die melior, & cum melioribus accidentibus fiat ferè semper crisis, in septimo scilicet, in sexto verò deterior, & deterioribus accidentibus, & quod diem determinatione competunt sit naturam ad expulsionem criticam moveri, & aliis secus: ergo credendum est has experientias non nisi speciali die virtute evenire, eveniunt enim crises septimo, vel undecimo, vel decimo-quarto die, ut dicemus, non duodecimo, aut decimo quinto, aut decimo sexto, & similibus; ergo quia aliquid est pro motu materiae in illis dieb. quod non est in aliis; quod tam probat de bona quam de mala crisis, quatenus ad motum dii faciendum virtus juvat, & movet uno die & non in altero, evenit, ut diximus, malitia, aut bonitas crisis ex virtute naturæ, & licet irritatio aliqua pro crisi conducta facienda; quæ ratione tempore accessionis crises fieri docuit Hippocrat. 1. epid. parte 3. textu 12. irritatio tamen quæ crisim antecedere facit, vehementis irritatio est, & quæ diei virtutem non expectat, nec coctionem requisitam, & sic talis crisis prava est, ut 3. de cris. cap. 6. Galenus docet.

Tertium argumentum petit causam constituentem dies criticos; siquidem ex ejus examine pendet argumenti solutio, dicemus questione 5. interim dicimus ipsum argumentum probare dies criticos esse in morbis; nam cùm assérat per pares terminari morbos qui moventur per pares, & terminari per impares qui per impares moventur, & aliter pravè docet dies criticos esse pares in aliis morbis, & impares in aliis; ergo dies criticos concedit determinatos respectu cuiuslibet morbi, & etsi accessiones, quotidie fieri possint.

Ad quartum resp. quod etiamsi coctio possit retardari, aut accelerari ratione facultatis, nihilominus crisis determinato die fiet perfectius ratione virtutis diei conductensis, & commoventis ad expulsionem, quæ virtus dum concurrit coctio, & robur naturæ sufficiens est ut perfectè operetur

expultrix ; dum verò materiae , aut facultatis aliquid deficit , aut non movet sufficienter , aut imperfecta crisis fit , & sic pluries , ut docet Galenus 3. decis. 4. crisis futura septima die ob aliquem errorem fit nono, aut undecimo, quia illis diebus jam sufficienter materia cocta fuit , & virtus diei , quæ non valuit movere in septimo , valet in aliis diebus.

Ad replicam dictum est constare convenientiam concursus diei per experientias plures an in quinto , & in tertio virtus detur , dicemus infra juxta doctrinam Galeni; interim dicimus virtutem quarti operari tertio aut quinto die ratione accessionis ad expulsionem excitantis in morbis acutis , qui per ternarios moventur , quæ excitatio in quarto deficit , & sic in ipso non fit crisis nō raro , quia raro morbus est in quarto accessionem habens . Pro quinto argumento sit quæstio sequens .

mat pravitatem. Ergo crisis mala, seu pravum signum die critico factum deterius est , quām aliis diebus.

Ratione etiam probatur : nam crisis bona è perfectior fit in die critico , & ejus indicatio melior est in sua quaternario facta , quia juxta ordinem naturæ legem servat ; sed etiam pravum signum in suo quaternario factum , & crisis prava in suo die judicatorio etiam ordinem , & legem naturæ servant ; ergo sicut illa perfectior & securior est , etiam crisis prava dicto ordine facta deterior , & firmior debet esse quām aliis diebus , in quibus tanta certitudo non significat. Quod docuit Gal. 2. prog. comm. 54. per hæc verba : *Si enim sudor fiat septimo die, vel dejectio, vel sanguinis fluxio, meliorem si reddiderit agrum in dictum bonum; si deteriorem, malum est, & alterutrum firmum esse ostendi non quemadmodum si alio die existat.* Ergo ratione diei deterius est signum , & crisis mala.

Secundū probatur : nam fieri crism die judicatorio fortitudinem significat , quia juxta naturæ leges , & mutationes fixas fit ; sed mutationes fieri fixæ, ita ut firmitudinem arguant , sicut in bonum factæ meliores sunt , in malum factæ deteriores esse debent ; ergo crisis die critico facta prava deterior est. Major est certa juxta Gal. min. probatur : idē meliores sunt in bonum mutationes , quia arguunt causam non facile vincibilem , & mutabilem , sed etiam ad malum factæ idem arguunt ; ergo deteriores sunt tales mutationes , ac per consequens crisis die critico facta , prava , & indicationes prava deteriores sunt.

Confirmatur hoc ; tunc deterior est prava crisis , cùm majus robur morbi significat ; sed majus significat in die critico quām in alio ; ergo deterior est in ipso prava crisis , & signum pravum. Major est certa. Minor probatur : tunc significat majus morbi robur cùm plura vincipenda sunt viæ , quia significatur materia & virtus diei superata , quæ non existit in aliis diebus : ergo significatur majus morbi robur crisis prava die critico facta , quām aliis diebus , ac per consequens deterior erit in ipso prava crisis , seu pravum signum. Quod constabit magis si crism seu signum malum esse dicamus , dum dies pro malitia ejus facit , sicut bonus pro bonitate ejus , quā ratione crisis die septimo , melior est , quia diei bonitas ad id facit , & quā die sexto deterior , quia diei malitia ad hoc condūcit ; sed si die critico prava sit crisis , significatur prava virtus diei , quando bona debeat esse ; ergo significatur majus malum , quām si die , in quo nulla virtus diei aufertur.

Mihi tamen videatur dicendum crism pravam , seu pravum signum minus tale esse , & minori molestia die critico , quām aliis diebus , ex Gal. 1. de die. decret. cap. 4. in quo expresse docet , crism in septimo factam ferè semper bonam esse , & quando malam mitioribus accidentibus , è contrà verò , quæ in sexto fit , ferè semper mala est , & quando bona pravissimis accidentibus , ergo crisis , seu signum malum , in die judicatorio minus malum est , quām aliis diebus : ad quod ostendendum sic ait. *Mihi autem frequenter in mentem venit septimi diei naturam regi assimilare , sexti vero tyranno.* Ille si quidem providet tanquam bonus aliquis Princeps ius , quos indicat , vel supplici partem adimit , vel illustrat viatoriam ; sextum verò diem è contrarioinxeris , vel

## Q U A E S T I O N E I I .

*Utrum crisis , vel signum criticum pravum die critico deterius sit.*

**N**ON facile solitu videtur dies concedere criticos per virtutem juvantein , & commoventem naturam ad crism , & pravam crism , seu ejus pravum signum deterius esse die critico factum quām aliis diebus , primum à nobis resolutum est ex doctrina Hipp. & Gal. secundum ferè communiter receptum est ex doctrina Hipp. & Gal. tamen etiam à rationibus est deductū : ergo appetat manifesta implicatio : nam ubi virtus adjuvans est , minus molesta debet esse alteratio mala , quām ubi juvane deficit : sed in die critico juvamen conceditur , ergo crisis minus mala debet esse in die critico , & minus malum erit in ipso signum pravum quām alio die : cùm verò deterior crisis prava , aut pravum signum die critico appareat , quām alio die , nullum juvamen nullamque virtutem esse concedendam in die critico quām in alio videtur necessum ac per consequens dies critici non sunt admittendi.

Quod crisis prava , seu pravum signum deterius sit die critico factum quām aliis diebus , docet Hipp. text. 1. prorrh. sic ait , *Stillatio de naribus pernicioſa , tum alias , tum si quarto coperit die.* Gal. in comment. sic : *Cum stillatio è naribus semper malum signum sit , absolutissima morbi malitia significatur , si quarto fiat die.* Universaliter verò de quolibet die judicatorio loquitur Gal. 1. prorrh. p. 3. comment. 56. nam super illa verba Hipp. *Vnde decimo die sanguinis stillicidium instar flores difficiles ,* sic ait Gal. *Cum autem omnes è naribus stillationes difficiles sint ; si verò tale quidpiam diebus quibusdam , vel indicatoriis , vel judicatoriis contingat , certius praestendisse licet.* Eandem doctrinam docet Hipp. 2. prog. text. 54. ubi sic ait. *Ex suppurationibus quacumque pus effundunt valde lethales sunt , maximè , si septimo die morbi incipiat separari suppuratione.* Gal. in comment. sic. *Id commune est cuiusvis per diem decretorum excretionis.* Et prog. 3. comment. 19. sic ait , *Materia si diebus transeat decretoriis in pulmonem , non solum bonum non est , sed etiam malum maximum , propterea qui ex diei fide firmorem assu-*

vel pernicie illius, quem *judicandum* accepit gaudet, vel salute dolet, quarumque ubi animum expleat, & male agrum, qui in ipsum incidit trahat. Docet ergo malam crisis in septimo minus malam esse, bonam tamen in sexto minus tam, malam verò deteriorem, septimum namque decretorium esse, non sextum expressum est in ipso.

Probatur ratione. Illa est melior crisis, quæ cum minori ægrotantium molestia fit, & tale debet judicari signum eam ostendens: sed quæ in die critico sunt, cum minori molestia sunt, ergo minus mala erit in ipso crisis. Major est certa. Minor probatur: Illa crisis fiet cum minori molestia, quæ fit majori juvamine quam quæ majori resistentia, & minori juvamine fit; propter quod evacuationes à medicamento materiæ existente crudâ, damnat Gal. 2. aphor. comment. 22. sed quæ die critico sunt, sunt juvante virtute diei, & naturâ, propter ipsum juvamen ad expellendum commotâ, quæ verò in aliis diebus sunt, sine tali juvamine sunt: ergo majori molestia sunt in die non critico, quam in critico, ac per consequens minus talis est evacuatio prava die critico, quam aliis diebus. Constat hoc; nam crisis bona, bonitate aliquâ caret, præcisè penes hoc quod fiat die non decretorio, ut docet Galen, 3. de cris. c. 3. ergo aliquam accepit bonitatem à die, ac per consequens crisis prava in die decretorio facta, aliquam participavit bonitatem à die, ratione cuius cum minori molestia fiet, quam aliis diebus.

Secundò, evacuatio, seu crisis extra diem decretorio facta, fit ob irritationem, & molestiam naturæ, causæ malitiam ostendens, è contrâ verò dum in die decretorio fit: sed deterior est crisis, in qua natura irritatur violenter; ergo crisis prava deterior erit in die non decretorio quam in decretorio. Antecedens constat, quia dum natura ad expellendum movetur ante tempus requisitum, ob irritationem moveatur, ut docet Galen, 3. de cris. cap. 10. sic ait. Determinati, ac ordinati sunt naturæ motus cum valida fuerit, & materia dominatur, & suis propriis rebus operatur: indeterminati verò, atque inordinati, atque incogniti, quando succumbit: causa verò hujus intempestivi assaultus est morbi violentia irritatrix, quedam existens: Ergo patitur magis natura, & ejus debilitas demonstratur dum ob irritationem ad crisis faciendam moveatur quam dum virtute diei, & ex propria natura ipsa ad nocivi expulsionem moveatur, ac per consequens minus mala erit crisis prava die critico quam aliis.

Pro difficultatis solutione advertendum est, aliud esse crisis, & signum pravum in die critico factum, minus malum esse quam alio die, aliud verò certius, mortem esse prædicandam signo pravo, aut prava crisi in die critico quam aliis. Primum dicimus, & probatum habemus, cum quo non negamus secundum, immo probatur etiam, nam motus naturæ ordinati, & determinati sunt, ut docet Gal. c. 10. cit. sed motus naturæ ordinati, & determinati sunt mutationibus factis in causis per dies criticos: ergo mutatione prava in die critico determinatam, & ordinatam, & fixam mortem significat, & ostendit, sicut mutatione bona salutem. Minor constat in ipso c. 10. & in 4. ejusdem lib. & plures alibi, propter quod Hipp. 2. aphor. text. 24. ait. *Septenorū*

*quartus est index. Et 2. aph. text. 71. Quibus crisis* septima die futura est, quarta die in urina nubecula apparet rubra. Ergo certius terminationem dignoscemus, sive bonam, sive malam signo apparente in die critico quam in alio in quo ob irritationem operetur facultas non juxta ejus naturalem motum.


Totam nostram conclusionem ostendit Galenus ipsis in loc. pro contraria parte positis; nam text. 59. prorrh. super illa verba. *Vnde* decimo sanguinis stillicidum difficile, ad ostendendum malitiam evacuationis prava signa adducit, & ad ostendendum certitudinem eventus fieri in die critico, sic ait. *Cum omnibus ex naribus stillationibus difficiles sint, quoties crassa, & nigra fuerint, maxime perniciose has reperies; si verò diebus quibusdam judicatoriis, vel indicatoriis contingat, certius praestendisse licet.* Ostendit ergo ex crassitie, & nigredine perniciose dignosci evacuationes, ex eo tamen quod die critico sunt, certius dignosci. Et 2. prog. text. 34. super illa verba. *Suppurationis ruptio lethalis, maximè si septimo die incipiat,* sic ait, *Id communè est enjusvis per diem decretorium excretionis; decretorius enim ad judicationis firmitudinem conductus. Virum verò bonum, aut malum sit, alijs cognoscitur signis.* Docet ergo expressè ex die firmitudinem seu certitudinem prognosticum deduci, malitiam verò, aut bonitatem ex alijs signis, ex hoc scilicet, quod signis coctionis fiat, vel secus.

Hoc fundamento supposito 4. acut. text. 63. sic scriptit Hippocrat. *Signorum autem multa sunt in numero impari, potius quam pari, utro tamen horum sunt perniciose superveniunt.* Quasi diceret, multa accidunt in die judicatorio, at ex diëtis quotiescumque apparent perniciosum; id est, mala signa semper mala sunt. Dicit tamen text. 68. meliora esse in diebus paribus, id est, in diebus judicatoriis, ut voluit Galen. in comment. quia minus certam ostendunt malitiam. Propter quod 3. pregn. comment. 19. ait Galen. *Si materia diebus transeat decretoriis in pulmonem, non solum bonum non est, sed malum maximum, propterea quod ex diei fide firmorem assumat pravitatem:* Ergo mala sunt signa, & crises pravae in die critico, quia certiorem mortem prænuntiant, non quia deteriora sunt, & propter firmitudinem hanc absolutissimam malitiam habere, signum pravum in die critico, docuit comment. 1. prorrh. quo manet explanatum verum esse signa prava in die critico, ex Hippocr. & Galen. firmiora esse ad prædicendum, non tamen deteriora.

Ad primum argumentum respondetur, motum naturæ in die critico certitudinem eventus ostendere, non malitiam, atq; bonitatem.

Ad secundum respondetur, quod die critico fieri evacuationem criticam bonam, addit supra bonitatem certitudinem eventus, & omni commodity fieri, totum quod in crisi mala non reddit ipsam deteriorem: nam bonum est crisis pravam commodè, & sine molestia fieri, licet firmam esse malitiam, pravum sit, non tamen ita pravum, ac est fieri deterrimis accidentibus, ut fieret die non judicatorio; & licet in die non judicatorio firmitudinem non ostendat, non ita dubius relinquitur eventus, ut etiam mors non sit prædicenda; nam prava signa semper prava sunt, ut docuit textu 63. citato Hippocrates.

Ad confirmationem dicimus esse falsum majus morbi robur significari , dum crisis , seu signum pravum apparet die critico , nam non significatur victoria supra virtutem diei , potius diem prævalere constat , cum juvamine ejus expulsio fiat , quæ forsitan poterit utiliter fieri , ut pluries accidit , & in Telone visum fuit , quia dici virtus facit , ut sine molestia expulsio fiat , quod non invenitur extra diem criticum. Dicatum enim est dies criticos ad perfectius & ad commodius fieri evacuationes conducere , sicut effectus talis concursus ut non fiant , ita commode facit.



### QUÆSTIO III.

*Quæ dierum diversitas in morbis sit attendenda.*

**D**UÆSITI resolutio magis ex relatione pender , quæm ex difficultatis alicuius solutione , historia nimirum eorum , quæ scripta sunt ab Hippocrate & Galeno deducenda est , non illatione ; nam ut Galen. docuit 2. de dieb. decret. cap. 2. non ratione , sed experientiâ dierum efficacia quærenda est , et si ratione experientia sit examinanda ; sic ait , *Ni quispiam experimento decretorios dies disquisiverit , vehementer errabit , & quidem in experientia ipsa judicium tale est , ratione verò quemadmodum judicari experientiam convenient , post enarrabo.* Docet ergo dies decretorios non aliter quæ experientia posse dignosci , ac per consequens dierum diversitas cum in morbis invenitur , experientiâ est deducenda , non argumentorum solutione ; ad quod cum tot reperiantur experientiae factæ apud Hippocrat. & Galenum , dierum diversitas solum ex dictis deducenda est : fuit enim ab ipsis in hoc omnis adhibita cura , & idem ab utroque fuit expertum eorum ; ergo doctrina statuenda est . Nos scribentes non possumus per experientiam tot deducere solutiones , ac ipse Hippoc. & Gal. deduxerunt ; nec est credendum diversum posse deduci ; sic ait Gal. *Si veritatis studiosus quis existat ad experientiam veniens , cum octoginta vel mille agros conspexerit , hunc indubie novi , non alia de diebus decretoriis pronunciaturum , quæm Hippocr. judicavit , ergo ex ejus doctrina diversitas dierum in morbis est deducenda.*

Dierum ergo diversitas ab Hippoc. & Galen. deducta , quos sequitur Avic. fen 2. l. 4. tract. 2. ex eo quod dies habent facere deducitur , aut ex eo quod fieri permittunt , quæ ratione debent alij dies dici omni rigore critici sive judicantes , alij verò indicantes , seu speculatorij , alij intercalares , seu intercidentes , alij tandem Medicinales , seu non critici , hi sunt , qui Medicum operari permittunt , alij tamen , non ita eâ efficaciâ , & intensione qua aliquid habent facere , operari impediunt . Sic scripsit Avic. fen 2. lib. 4. cap. 10. *Et oportet ut in die crisim , & qui ei proximus est , regatur ager regimine proprio , non ergo moveantur omnino cum Medicina.* Quod docuerat Hipp. 1. aphor. text. 10. sic . *Quæ judicantur , & judicata sunt , nec novare , nec movere , &c.* Dicuntur igitur omni rigore dies critici , illi in quibus crises , seu judicia ferè semper adveniunt ; indicantes verò illi in quibus signa aliqua crisim demonstrantia futuram

conspiciuntur , judicantque valent : intercalares , qui licet non ita efficaces sint ad crism in ipsis faciendam , morbos judicare habent pluries ; Medicinales verò , nec significant crism , nec judicant morbos . De quibus ex professo Gal. 1. de dieb. decret. cap. 5. & 10. & Avic. fen 2. lib. 4. à cap. 3. ad 8. Circa determinationem dierum criticorum dictorum ( inquam ) advertendum est Hippoc. & Gal. per septimanos , & quaternarios ipsos dividisse , ita ut omnes septimos criticos , & judicantes appellant , quartos judicantes , medios verò intercalares alios , alios Medicinales , hac ratione Hippoc. 2. aphr. text. 24. sic scripsit , *Septenorum quartus est index.* Alterius septimanæ octauus principium . Est autem & undecimus contemplabilis : ipse enim quartus est alterius septimanæ . Rursus verò , & decimus septimus contemplabilis , ipse quidem quartus est à decimoquarto , septimus verò ab undecimo : In quo docet per quartos & septimos dies indicantes , & judicantes inveniri , ut etiam voluit Gal. in comm. non tamen intelligendum est judicantes dies ita esse tales , ut judicantes non sint , & è contrà : docet enim Hippocr. decimum septimum esse contemplabilem , quia quartus est à decimo quarto , & septimus ab undecimo . Docet ergo eundem diem indicantem , & judicantem esse , quod inveniemus manifestum magis 3. prog. text. 3. ubi numerans dies in quibus terminantur morbi , per quaternarios eos dividit . Sic ait ; *Primus itaque februm insulitus in quarto finitur , alter in septimum diem producit ; tertius in undecimum , quartus in decimum quartum , quintus in decimum septimum , sextus in vigesimum ; numerat ergo dies ipsos judicantes , quos indicantes dixerat.*

Cum tamen experientiâ compertum fuisset ab Hippocr. alios dies præter quartos , & septimos plures terminasse morbos , alij dies intercalares concessi sunt ab Autoribus , medij inter septimos & quartos quales sunt tertius , quintus , & nonus , de quibus Hippoc. 4. aphor. text. 36. sic scripsit . *Sudores febricitanti si inceperint boni tertio die , & quinto , & septimo , & nono.* Ergo præter dictos dies decretorios judicantes , & indicantes , alij dantur intercalares judicantes etiam , cum dicat sudores in ipsis diebus factis in febribus bonos esse , non ita in aliis diebus . Quod repetit etiam Gal. 1. de dieb. decret. cap. 5. additique decimum tertium medium esse inter judicantes , & non judicantes , quia non ita efficax , ut illi , efficacior tamen reliquis est , & sic ut alius intercalaris ponendus est .

Si attendamus omnia quæ ab Hippoc. & Gal. scripta sunt , inveniemus etiam sextum & decimum , & octavum , & decimum octavum diem inter judicantes esse ponendos , non consideratione septimorum , nec quaternorum , quia nullam harum mutationem sequuntur , sed ut intercalares in quibus crises visæ sunt . De sexto egit ex professo 1. de cris. c. 4. Gal. & c. 5. ipsum , & decimum octavum magis judicatorios quæm decimum tertium , appellat : quod fatentur omnes qui vigesimum primum magis decretorium , quæm vigesimum cognoscunt , quorum fuit Archigenes decimum & octavum aliquantulum naturam sexti sapere docuit Gal. in ipso c. 5. & sic raro in eis crisim venire . Propter quod Hippoc. 1. epid. dies judicatorios adducens pro morbis motum habentibus per pares , aut impares dies , omnes dictos enumerat , et si Gal. decimum esse auferendum

dum velit, docet in comment. totum quod intelligendum est, usque ad vigesimum diem seu vi- gesimum primum, ut omnes voluerunt: nam à vigesimo usque ad centesimum, seu vigesimum supra centesimum ea proportione esse proce- dendum docet ioc ordine, usque ad quadra- gesimum per quaternarios & septenarios à quadragesimo vero per vigesimos, quia cum crisis imetus langueat tempore, ita ut asserat Gal. 1. de dieb. decr. cap. 10. potius coctione & abscessi, quam excretione morbos terminari post quadragesimum, ideo post ipsum non ita conspicuntur dies per quartos aut septimos, quam per vigesimos; ratione cuius post quadra- gesimum Hippocrat. enumerat sexagesimum & octogesimum usque ad centesimum vigesimum; quæ numeratio jam mensium mensuram, seu numerum cœquit, quæ etiam per quaternarios aut septenarios fit, sicut etiam per annos fieri voluit al. 3. de dieb. decr. cap. 7. & Avic. f. 2. lib. 4. p. 4.

Ex istis patet omnes dies primæ septimanæ judicantes, aut indicantes esse præter secundum: in secula & tertia septimana plures privari ta- li ratione: nam primus ut Galenus 1. de crise. 16. & de crise. cap. 4. dum signa coctionis habet, terminacionem ostendit in primo quaternario, & he modo loquitur Hippoc. 3. prog. text. 2. dum ipso, *Mitisissima febres, & qua primo die signis currissimis sunt, quarto die finiuntur in salutem; & mortem vero malignissima, & cum signis gra- vissimis.* Et cum ex alia parte 1. de dieb. decr. f. 5. Galen. tertium & quartum, quintum & sex- tum, & septimum, decretorios enumeret om- nes dies optimæ septimanæ præter secundum, indicantes, aut judicantes appellat, in secunda vero septimana excluduntur octavus, decimus, & duodecimus, si Gal. attendamus cap. 5. citato, & 1. epid. p. 3. comment. 14. juxta versionem Ianij, eti juxta versionem aliorum octavus & deci- mus decretorij sint, raro tamen: in tertia quoque septimana decimus quintus, decimus sextus, & decimus nonus decretorij non sunt, aut rarissi- me decimus quintus decernit juxta eandem do- strinam.

A vigesimo die usque ad quadragesimum nul- lus datur dies intercalaris, id est, nullus datur dies in quo crisis, aut indicatio inveniatur præ- ter illos qui per septimanas, & quaterniones de- ducuntur, quia solum in illis mutationes visæ sunt sensibles, & sic solum facta diversitate diei, tertiam terminantis septimanam jam vigesimum primum appellasse, nam text. citato 14. 1. epid. dies decretorios numerans pro morbo impari, vigesimum primum adducit; juxta quam consi- derationem, ut voluit Archigenes, vigesimus octavus plus est quam vigesimus septimus de- cretorius; at ut verius habetur, & ut plures expe- riens confirmatur ab Hippoc. & Gal. ut constat 4. aphor. text. 24. & 3. prog. text. 4. & in comment. & 1. de dieb. decr. c. 5. & 10. vigesimus dies de- cretorius est magis quam vigesimus primus, ter- tiam septimanam terminans, & sic post ipsum nu- merandus vigesimus quartus, & vigesimus septi- mus, & trigesimus primus & trigesimus quartus, & trigesimus septimus, & quadragesimus: deinceps vero considerabiles solum sunt qui additione trium septimanarum resultat ut sexagesimus & octogesimus usque ad centum vigesimum: totum uero docuit per modum epilogi Galen. 2. de

diebus decretorijs capite 8. & Hippocrat. 1. epid.

Restat tamen ut solvamus aliqua, quæ vi- dentur contrarium in Hipp. demonstrare; nam in primis si quartus dies decretorius est, & adhuc in opinione Galeni motum lunæ sequitur à qua virtus dierum judicantium provenit, quo modo 4. aphor. dum dies optimos pro sudore adducit, alios nominat, qui motum lunæ non sequuntur, & ex se, & propriè critici non sunt, sed inter- calares, & quantum omittit.

Eodem fundamento etiamsi sextus decreto- rius sit, eum omittit dum alios intercalares com- prehendit; 3. tamen prog. enumerans post vigesi- mum dies criticos, primum ponit trigesimum quartum, posteà quadragesimum, deinde sexagesi- sum: ergo reliqui intermedii critici non sunt; præterea, quidquid sit de causa dierum criticorum dies intercalares ex communiori placito virtutem diei critici non habent, sed ratione accessionis sunt tales: sed post decimum quartum sunt dies accessiones habentes, & etiam ante ipsum, five morbi moveantur per pares, sive non; ergo om- nes alijs debent dici decretorij intercalares, ac per consequens plures alijs enumerandi sunt dies critici, quam ab Hippocrate & Gal. enumeran- tur. Patet: nam accessionum instigatio propter quam 3. acut. text. 5. sunt crises, non minus pos- test esse in aliis diebus imò magis, quia quod mor- bus intendit in augmentum, accessiones ma- jores debet habere, ergo in morbo terminaturo in vigesimo post decimum quartum debent esse dies intercalares.

Pro quæsti resolutione advertendum est quid licet non alia reperiatur diversitas præter dictam inter positos dies, Avic. f. 2. lib. 4. tract. 2. cap. 3. talem posuit differentiam ut eos differat per for- titudinem aut imbecillitatem quam in judicando habent. Sic ait, *Dierum criticorum alijs sunt fortes in ultimo, alijs sunt debiles valde, alijs medijs.* Fortes in ultimo appellat quartos & septimos, scilicet qui per quaterniones, & septenos, tales sunt ut si septimo, & undecimo, & decimo-quarto, & decimo-septimo, & vigesimo, & quarto, qui sex sunt tres septeni trium septimanarum, & tres quarti ipsarum indices, & ex se indicantes, sci- licet ex propria virtute tales, ideo de ipsis sic scribit Avic. cap. 5. *Dies isti, quos diximus sunt dies critici radicales:* Sed hi sunt dies critici ob virtutem aliquam ipsis propriam, & consequen- ter de intercalaribus agens eodem cap. 5. sic ait. *Verum quandoque accedit diebus critici propter aliquam causarum evenientium exiripescit,* quod dies intercalares sunt tales ob aliquod accidentis externum magis quam ex diei virtute; in cuius contrapositione dies medicinales seu debiles valde sunt, quod nec virtute propria diei, nec ratione alienius accidentis critici sunt.

Totam hanc doctrinam adduxit Avic. f. 2. 1. 4. cap. 8. dicens, *Dies sunt qui nec intentione prima, nec secunda critici sunt:* Numerat tamen inter vere decretorios, qui per quaterniones & septenos sunt, tales inter medios quintus & tertius, nonus, sextus, & decimus-tertius. Inter Medi- cinales, primus, secundus, decimus, duodecimus, decimus nonus, & decimus sextus, & decimus- quintus. In nullo tamen capite diem octavum adduxit, quia nulla ratione criticus est, sextum vero ut malum intercalare numerat. Totum quod juxta Galen. doctrinam scripsit 2. de dieb. decr. cap. 8. qui expresse septimum primum

decretorium enumerat, sic ait, *Decretorius itaque fortissimus est dies septimus: & lib. 1. cap. 4. sic, Primum itaque omnium dierum decretoriorum se-  
ptimum dicimus, non numero, & ordine primum, sed  
potentia & dignitate*. Postquam omnes qui per se-  
ptimos eveniunt enumerat, & omnes qui per  
quartos usque ad vigesimum; dictum enim est à  
vigesimali dies criticos virtute minui post septi-  
mum, et si malè terminantem esse sextum, se-  
ptimi tamen naturam habere decimum quartum,  
hos sequitur nonus & undecimus & vige-  
simus, post hos decimus septimus, & quintus,  
quos tertius & decimus-octavus sequuntur, om-  
nes tamen dictos 13. ut videre est, *cap. 3. lib. 1.  
de dieb. decret.* quos Hip. comprehendit *1. epid.  
p. 3. text. 14.* Omnia morborum dies criticos  
enumerans, dummodo, sub vigesimali intelligamus  
vigesimum-primum, & ejus indicem.

Præterea advertendum est, quod intercalares  
dies dictos nullā additā diversitate præter positi-  
tam in esse criticorum, alij sunt pares, alij im-  
pares quibus ratio criticorum dierum indican-  
tium, judicantium, intercalarium, & medicinalium  
convenit juxta motum ipsius morbi, ut  
ipse Hip. docet *1. epid. citato* ita ut dum morbi  
moventur per pares dies, judicantes per pares  
accident, indicantes, intercalares, & medici-  
nales, sic ait, Hip. *Morbi, qui moventur per im-  
pares, judicantur per pares, qui verò per impares  
moventur, per impares judicantur*. Et diebus enu-  
meratis sic ait, *Si aliter iudicatio extra hos praef-  
criptos dies fiat, recidivas fore significant, & fuerit  
sanè pernicioſa*. Docet ergo ita esse judicandos  
morbos per pares, qui per pares moventur  
quam alij per impares, & consequenter quoties  
Hip. & Gal. dies impares superiores appellant,  
in aliorum contrapositione per impares intelligi-  
gunt, illos qui judicatorij sunt, ut videre est *4.  
acut. text. 63.* ubi sic ait Hip. *Signa hac diebus im-  
paribus potius quam paribus deprehenduntur, in  
omnibus tamen pernicioſa*: Quasi diceret, signa  
hæc tam in diebus judicatoriis quam aliis sunt, in  
omnibus tamē pernicioſa. Quod explicat *infra* sic,  
*Id verò salubrius est si paribus eveniat diebus, quippe  
in decretoriis pernicioſum est*. Hujus rationem  
deducemus ex eo quod communiter morbi acuti,  
quibus crises accident per impares moventur, &  
sic communiter impares dies decretorijs sunt, non  
quia aliter esse non possint. Ideo *4. aphor. text. 61.*  
inquit, *Febricitantem in diebus imparibus si febris  
reliquerit, solet recidivare*: Ideo nō diebus ju-  
dicatoriis, juxta id quod *3. prog. text. 24.* ostendit,  
sic ait, *Quibus febres nec salutaribus notis  
apparentibus, nec in diebus decretoriis conquisi-  
cunt, hi reversionem timere debent*.

Respondet ergo ad opposita, ad primum  
quod licet quartus dies ex se decretorius sit, me-  
ritò eum omisit, quia cùm de morbis acutis ageret,  
& isti per impares moveantur, & per impares  
terminentur, non bene terminarentur in qua-  
to, moventur enim morbi acuti per impares, ut  
dicimus, & qui per impares moventur, non  
bene terminantur per pares; morbi tamen qui  
in primo quaternario terminantur, acutissimi  
sunt, & sic non in quarto, sed ante ipsum termi-  
nantur, aut si longiores sunt, in quinto; ob quod  
raro in quarto visa est crisis, quia raro morbus,  
qui moventur per pares inveniuntur, de quo *infra*.

Ad secundum Resp. sextum diem non numerari  
ab Hip. inter alios intercalares *aphor. 36.* quia

agebat de bonis diebus, & bonis terminationibus,  
cùm verò in sexto, communiter non sit bona cri-  
sis, præcipue in morbis acutis de quibus agebat,  
ideò sextum non adduxit.

Ad tertium dicimus *3. prog.* post vigesimali  
enumerasse trigesimum-quartum, quia cùm jam  
de variatione per septenos, & quaternos egisset,  
à vigesimali incipit determinatio facta varia-  
tione per quatuordecim dies, cetera non erant, &  
illam tribus septimanis completūque ad quadra-  
gesimum, postquam variatione facta per tres se-  
ptimanas enumerat terminaciones, ut omnes  
convent.

Quatum argumentum petit questionem de  
causis dierum criticorum, interim dicimus, quod  
cum eo passu, quo morbus prolongatur, crises  
cessent, seu virtus ad ipsas minuatur, ut *1. de  
diebus decret. c. 10. & lib. 2. cap. 8.* doce Galenus.  
Hinc est quod non sit tanta dispositio, ut crises  
eveniant in tertia, & reliquis septimanis, ac in  
primis, & consequenter dies intercalare in pri-  
mis septimanis esset, non in reliquis.

## Q U A E S T I O I V

*Vtrum sint numerandi dies integri  
ad Crisim.*

**D** VID QUID sit de dierum criticorum  
causa, quæstio præsens examinanda ve-  
nit, nam Hip. qui dierum criticorum  
causam non adduxit; sed solùm experientiā eos  
investigavit *3. prog. text. 5.* postquam dies criti-  
cos per quaterniones, & septimanas in vigesimali  
terminavit, veluti probans vigesimali, & non vi-  
gesimum primum esse decretorium, sic ait, *Hujus-  
modi computatio per dies integros nimirum fieri non  
potest, quippe quum neque annus, nec mensis inte-  
gris numerantur diebus*: Quasi diceret menses, &  
anni non habent integros dies, ergo nec septima-  
nae, & consequenter nec dies qui septimanas  
constituant integri numerandi sunt ad crisis  
terminum adducendum, ita ut, & tres septima-  
nae constant viginti duobus diebus, cùm à quo-  
libet die saltem unica tollenda sit hora, tertia  
septimanæ terminatus vigesimalis erit dies, non vi-  
gesimus primus. Quam doctrinam recipit Gal. *3.  
de die. decret. c. 9.* ad eundem intentum compro-  
bandum, & consequenter dies integri non erunt  
attendendi, & sic vigesimalis magis decretorius,  
est quam vigesimalis primus, ut experientiā fuit  
comprobatum. Quod videtur docuisse Hip. *2. aph.  
text. 24.* dicentem, *Septenorum quartus est index.  
Alterius septimanæ octavus principium. Rursus &  
decimus septimus contemplabilis, ipse quidem quartus  
est à decimo quarto, & septimus ab undecimo*: docet  
ergo secundam septimanam ab octavo incipere  
die, & tertiam à decimo-quarto, quod non esset si  
dies integri essent numerandi.

Non minus constat dies integros non esse nu-  
merandos, si plurium Autorum Theologorum,  
nec non Astrologorum, & doctrinam Galeni ad-  
ducamus quam proponunt, ad reddendam ratio-  
nem dierum criticorum: docent enim ferè omnes  
Lunam moveri taliter ut dum ad dimidium cur-  
sus pervenit, oppositionem aliquam habeat cum  
aspectu, in quo morbus fuit factus, & in ipso  
crisis adveniat, hoc est in decimo-quarto: dum  
verò

verò ad quadraturam cursus majorem oppositionem habeat, hoc est in septimo, & consequenter dum ad quadraturam post oppositionem advenit Luna, vigesimum constituant, quatenus Lunaris mensis, vel illuminationis intelligatur, vel peragrationis, vel medicinalis, non ex integris componitur diebus, & sic nec medietas, nec quadratura motus, ac per consequens, cùm integri dies motus non sint, quibus Luna movetur, & per quos crisis causa deducitur, ut dicimus, nec integri dies numerandi sunt, id à quolibet aliquid auferendum est, ut sic vigesimus decretorius relinquatur, non vigesimus primus, ut cum experientia Hip. & Gal. voluerunt.

Verius tamen mihi videtur dies integros esse numerandos ad crism, prout viginti-quatuor horis constat, ita ut septimus verè talis existat, & deinde decimus-quartus, quia secundæ septimanæ fuit octavus principiū, postea verò vigesimus, non ita vigesimus primus, quia tertiae septimanæ decimus quartus principium fuit, ut voluit Hip. 2. aphor. text. 24. cum quo consentit Gal. ex quo probatur 1. de crit. c. 16. ubi sic ait, *In primo quidem die (sic verò me ubique intelligas, totum ex die & nocte tempus in viginti quatuor horas partitam accipientem)* docet ergo dies integros esse accipiendos, cùm asserat tempus viginti-quatuor horarum esse considerandum, & agat de computatione ad crism faciendam.

Probatur etiam ratione, nam licet doctrina Gal. & Autorum vera sit circa motum Lunæ conducedent ad constituendos dies criticos, integri sunt numerandi; ergo sine fundamento dicitur oppositum. Antecedens patet: nam etiamsi dies motus Lunæ integri non sint, & consequenter dies motus oppositionis, seu medietatis, & dies quadraturæ integri ex hac partitione non resultant, recta siet computatio diebus integris numeratis; ergo integri numerandi sunt. Patet: nam quod ultimus dies ad conficiendum motum, non omnes ejus horas comprehendat, non tollit antecedentes ad ultimum integros esse, imò integri debent esse & enumerari; siquidem illis totis diebus, & horis ultimi diei totus motus perficitur, & medietas medietate dierum, & horis ultimi diei, & sic quadratura, ergo integri dies numerandi sunt, ac per consequens quamvis dies critici numerari debeant, per motum Lunæ, integri sunt accipiendi, ultimo secluso, præcipue cùm per tam parvam horarum mutationem in qualibet die non tollatur dari influxum ad crism in die illa quartum, aut septimum, aut vigesimum sextum constitente.

Hunc modum dicendi tenet Vallesius 1. contr. c. 2. & tenentur deffendere Amatus, & Carta. & omnes qui Pythagoricum placitum sustinent extra dierum criticorum causas Lunam rejicientes, cur autē vigesimum plusquam vigesimum primum decretorum appellamus ex nostra resolutione difficile manet, constabit tamen questione sequenti. Hip. verò non negat quamlibet diem integrum debere sumi, & numerari, sed affirmant omnes integros non esse, quatenus, nec menses, nec annos dies integri habent, quod ut constat in ultimo die est attendendum, reliquis integris manentibus, quod intelligendum est juxta tribuentes causam dierum criticorum motui aliqui astri, ut voluit Gal. & credendum est voluisse etiam aliquos tempore Hip. loqui, non quia ita esse affirmet, aut neget, sed quia ita significetur,

attamen adhuc juxta dictum placitum dies integræ numerandi sunt, ut numerantur etiam in anno, & mense, et si ultimus non ita esset.

## QVÆSTIO V.

### *De causa dierum criticorum.*

**N**on difficilior inter omnia, quæ hucusque scripta sunt inveniuntur, & si tot numero prædicta tangant difficultatem. Iam dum hæc ago præter effectum, & curationum essentias omnia pro viribus enodare, & commentari conatus sum, & feci jus Universitatis disputacionem pro actibus ad Lauream Doctoratus requisitis: inveni igitur plura difficultia examinata, & dubia, soluta tamen aut efficaciter, aut probabiliter saltem, dubium tamen præsens cognosco semper, et si enodare ipsum tot, quot alia contentur, unum tamen cognosco, cognovique semper, quod ea, quæ parentes difficultia omiserunt, semper manent difficultia. Fugit solutionem dubij propositi Hip. solùm experientia doctrinam in medio protulit, quid mirum quod alij dubij solutionem fugiant, cùm experientia ad ipsum fieri fateatur pluries, præcipue 2. de dieb. decret. c. 5. ita ut cùm rationem eventus reddere vidi mus, non tam ex se quam amicorum suasu fuisse dicat, quasi non bene fecisset, ut constat etiam 3. de die. decret. c. 1. in quo recognoscens assumpti difficultatem, quod ab ipso abstineant, commendat in omni conatu; ideo Avic. fen 2. lib. 4. tractatu 2. c. 2. non solùm id fugit, verùm inquit Medicos non debere causam dierum criticorum adducere, sic ait, *Et Medico quidem non inest, nisi ut cognoscat quod egreditur, cum crisis pluribus: & non perinet ei, ut sciat quæ sit causa ejus, cùm declaratio illius cause extrahat eum ad artem aliam, inò oportet, ut sit sermo de diebus crisis, sermo quem loquimur secundum semitam experientia, aut secundum viam positionis & axiomatum.* Quasi diceret per experientiam dies criticos deducendos, causas tamen eorum non ad Medicum pertinere: quid mirum ergo quod reliqui post ipsos Scriptores insolutam difficultatem relinquant, seu non bene solvant, quod idem est.

Galenus ergo, ut ab ejus autoritate incipiamus, 3. lib. de die. decret. scripsit, ut causam dierum criticorum reduceret non ex proprio conatu, sed instanti cum conatu, quasi significaret ipsum à tali determinatione ob difficultatem obtinuisse, nî amici ad id faciendum concitarent; sic ait c. 10. *Nos siquidem hac paucis planè iisque invito scripsisse affirmamus. Vos o dñ immortales novissis, hac me amicorum quorundam precibus vehementer adactum scriptis mandasse.* Tota difficultas stat in assignanda causa cur alij dies decernat, alij secus, cur alij bene, & securè, & cum commode, seu sine molestia, etiamsi mortem, ut quartus & decimus quartus; alij verò, & molestè, etiamsi in salutem & sine securitate, ut sextus; & tandem cur alij magis, alij minus judicantes inter verè tales: id est alij ferè semper judicantes, alij verò ita ut ex eadem doctrina, aut ex alia cum ipsa connexa etiam deducatur; cur tertia septimana, cum secunda conjungatur, non secunda cum prima, & secundus quaternio cum secunda

secunda conjugatur, nō tertia cū secunda, et si resultet vigesimus potius quām vigesimus primus esset decretorius terminans tertiam septimanam juxta doctrinam per experientiam ab Hippo deducitam, nam causa hæc solvens omnia, recta diecum criticorum causa debet dici.

Hanc difficultatem cognoscens Gal. & oppressus ab amicis, ut responsum præberet, nullam aliam rationē inveni præter concursum cause cœlestis, & superioris simul cum dispositione subiecti, seu materiae, dixitque, quod cū dies critici alijs sunt alijs fortiores, & verè critici, alijs verò non ita; sed intercalares, alijs tamen neutram judicantes, illos judicat verè omnino, & primo loco decretorios, qui virtute Astri tales sunt, ut septimus & decimus quartus, & vigesimus, & eos judicantes quartus, quintus, undecimus, & decimus septimus: coincidentes, seu intercalares, qui non atri virtute, sed vehementia motus morbi tales sunt; id est illi in quibus crises sunt ratione accessionis; fatetur enim cap. 28. ex doctrina Hipp. i. epid. ratione accessionis ad expellendum concitare naturam, & sic dies illos in quibus crisis vi accessiones adveniunt criticos intercalares appellat, ut sunt tertius & quintus, & sextus & nonus, & decimus tertius, non tamen tales, ut qui atri juvantur virtute, cæteri autem, quibus nec astra juvant, nec accessio viget, decretorij non sunt; & cum ex eōmuni Astrologiæ consensu Luna in corporibus inferioribus sensibiliter validè influat, ita ut juxta ejus immutationem etiam, & terrena immutentur, pluviae adveniant, & sterilitates, ossa vacua, aut medullæ plena apparent, & similia, hos effectus Luna causare valet in nobis, quatenus immediatum Astrum magis pro nostris immutationibus facit diversos motus.

Ut tandem vigesimum diem decretorium magis quām vigesimū primū habeamus, & determinatos dies consequenter magis criticos, inquit Lunam considerari debere aut tantum motum quem facit, & tempus, quod consumitur ab una coniunctione in alteram, ratione cuius mensis coniunctionis constituitur, constituiturque mensis quilibet per Lunæ motum; aut consideretur tantum motus, quem fecit, & tempus quod consumitur ab uno puncto ad idem punctum, qui dicitur mensis peragrationis; aut tantum tempus quo illuminat inferiora, & dicitur mensis illuminationis; aut tantum quandam compositiōnem, quam ex his duobus mensibus facit, & dicitur mensis medicinalis, & afferit mensem coniunctionis non esse ad rem; siquidem cū talis motus vigintinovem diebus, & dimidio, aut triginta fiat, non rectè proportionatur, quod dimidium motum ejus constitutat decimum quartum diem, & tres ejus partes vigesimum vel vigesimum primum, quod erat necessarium, ut dies critici talem motum sequerentur relicto mense coniunctionis, mensis peragrationis esset, constituitur per motum Lunæ ab uno puncto ad idem punctum, quia motus conficitur juxta communem Astrologorum doctrinam viginti septem diebus horis octo, & cum tempore quo hic motus sit Sol recedat à puncto in quo coniunctus erat cum Luna, ut iterum Luna cum Sole conjugatur eget duobus diebus, & quatuor horis cū quibus viginti novem dies, & dimidium integrantur mensem coniunctionis constitutem, qui mensis cū divisus per septimanā,

quatuor constitutat, tertiam septimanam compleri viginti diebus, & duodecim horis, ratione cuius non magis vigesimus quām vigesimus primus decretorius resultet, etiam rejicitur à Gal. vult ad motum Lunæ sequi dies decretorios, taliter ut vigesimus, non vigesimus primus, decretorius sit juxta doctrinam expertam ab Hippo, ob quam etiam rationem mensem illuminationis rejicit Gal. etiam quia ille viginti sex diebus & duodecim horis constat quatenus per tres dies ferè adjuncti Luna nondum illuminat hæc inferiora, & sic nec crisis illum motum potest sequi, & consequenter tribus his diebus ablatis à mense coniunctionis mensis illuminationis viginti sex diebus constabit, & horis duodecim, cuius tres partes nondum compleat vigesimum diem.

Rejectis igitur his duobus mensibus ut suum consequatur intentum, mensem quendam fixit medicinalem dictum compositum ex mense peragrationis, & illuminationis, ita ut ex viginti septem & octo horis, & ex viginti sex, & duodecim horis resultant, quinquaginta & tres dies, & viginti horæ, cuius medietas est vigesimus dies; & duodecim horæ, quibus vult constitui mensem medicinalem, cuius tres partes viginti diebus & horis quatuor constat, & duæ partes tredecim diebus & undecim horis, & quarta pars diebus sex & septem decim horis, & dimidia, per quas septimus dies resultat, & decretorius per septemdecim horas & dimidiā, decimus quartus per undecim horas, & vigesimus dies per integrum, ita ut in vigesimo primo, solum relinquatur quatuor horæ: cū ergo constet Lunam hæc inferiora immutare, & effectus criticos fixos esse, causam fixam esse quarendam, judicavit necessarium Gal. hanc esse Lunam, quatenus fixe id habet facere; & cū hoc inventiat manifesta causa cur primi decretorij septimus, decimus quartus, & vigesimus, & non vigesimus primus, cur judicantes quartus, & decimus septimus, & cū decimus quatenus diversis aspectibus Luna diversum valet facere, dum aspectu sextili à puncto in quo morbus incipit Luna est, constituitur quartus dies dum quadraturam habet septimi, & sic deinceps, ita ut dies judicantes, & indicantes per Lunæ motus constituantur coincidentes, non ita supposita materiae dispositione, coctione scilicet, quatenus non habeat pro expulsione facere in materia disposita, ideò alijs pro alijs morbis decretorij sunt coincidentes etiam materiam dispositam requirunt, alijs potius irritationem facerent, ut symptoma.

Astrologorum sententia parum à Gal. placito recedit: nam solum quatenus mensem fixit medicinalem separat, quatenus ipsi mensi peragrationis tribuunt, quod Gal. mensi medicinali videntis tribuere, quare ipsum rejicit Gal. assertunt tamen Astrologi cū motus Lunæ ab uno puncto ad idem punctum sit per omnia duodecim signa Zodiaci, & juxta diversum signum diversimodè Luna influat, quia quolibet diversas habet qualitates taliter fieri motum, ut tempore duorum dierum, & sex horarum percurrat quodlibet signum, & sic in aspectu sextili est in quarto die, in septimo verò in quadratura, hoc est in quarta signorum parte, quæ oppositas omnino habet qualitates in decimo quarto in oppositione & medietate non in oppositione absolvi qualitatem, quia per unam tantum est oppositio, est tamen

est tamen in majori oppositione possibili, cùm ab illo accedat ad punc̄tum à quo recessit, quod ipsum constitutatur per finem sexti signi, deinde in vigesimo cum duodecim horis in qua natura post oppositionem est Luna, ut tandem vigesimo septimo die cum horis octo ad idem punc̄tum perveniat Luna cùm incepit moveri, & mensē peragrationis compleat, & consequenter diem septimum, & duodecimum, & vigesimum, & vigesimum primum, criticos numerant Astrologi, quatenus ultimus tertiae septimanæ medietatem habet in vigesimo, & medietatem in vigesimo primo: ex quo etiam resultat septimanas aliquas coincidere, aliás secūs, aliósque dies decretorios esse, alios minimè, nec non dies esse indicantes per aspectum sextili.

Recentior alius postquam sententiam Gal. & Astrologorum impugnat, alium finxit diem, parum, aut nil à dictis diversum; asserit enim dies criticos ex dispositione materiæ pendere, fierique naturā expulsiōnem operante, Lunā juvante tanquam causa universali ipsam per proprium motum peragrationis tantum aspectum quadraturæ ad punc̄tum cœli venire naturæ auxiliatrix, deinde moveri donec ad medietatem cœli ad punc̄tum etiam auxilians perveniat, ita ut per omnes quadraturas oppositiones, & octavas ad punc̄tum faciens deveniat ut natura roboretur, & expulsiō fiat, materiā existente dispositā, ratione cuius concludit, quod cùm omnes Lunæ aspectus auxiliantes sint, solum inspicere debemus materiæ dispositionem, ut juxta ipsam de malitia, aut bonitate crisis, & eventus judicemus, non tamen in qualibet die esset in quadraturis, & oppositione & in medietatibus quadraturæ cuiuslibet, quia in illis, & non in aliis aspectus benevolus cognoscitur respectu dispositionis materiæ, respectu cuius operatur, & determinatur causa equivoca ad operandum, qualis est Luna, hoc ordine, ut celeritas, aut tarditas crisis, non tam ex aspectu, quā ex proportione facultatis ad materiam adveniat celeritas, si facultas valeat, & humor facilis motus, tarditas, si è contraria, & sic fortiores erunt crises in primo septenario, quia pendent ab humore tenuiori, & calidiori, & fortiori facultate, & eadem ratione & proportione quā repetentiæ accidentunt pares, aut impares, etiam & crises per pares, aut secūs sunt, perfectiūs tamen per quartos, aut septimos fieri, à Luna pendere modo dicto.

Tota hæc doctrina, nec secundum peculiare quod habet, nec secundum particulare dubio satisfacit; nam in primis medicinalis Gal. factus est, & ad intentum nullum, agimus enim de influxu physico reali, ratione cuius Luna facit hunc diem & non alterum, verè & physicè decretorium; sed quia sit ex nihilo, non potest influere reale, & physicum: ergo talis mensis nihil facit ad dubij solutionem. Patet: nam talis mensis non influit prout Luna movetur motu peragrationis & ad hoc, aut illud punc̄tum pervenit; non prout movetur motu illuminationis, ut ipse Gal. vult, sed aliter non moveretur, nec diversimodè se habet in ordine ad partes cœli: ergo aliter non influit. Minor probatur: nam mensis medicinalis nullum alium motum dicit præter dictos, nec conjunctio utriusque motus aliquid facit, nam influxus realis septimo die factus, aut est quatenus Luna in tali loco est & illuminat; & hoc non, quia per illuminationem, & punc̄tum per quod movetur noluit Gal. fieri, sed alia considera-

tione non est, quia non est alias motus physicus & realis, ergo mensis medicinalis non reddit causam dierum criticorum.

Secundò, quia mensis non constat diebus in quibus illuminatio non est, aut in quibus Luna non apparet: sed in his diebus etiam morbus est, & crisis plures; ergo sine concursu Lunæ. Quod argumentum etiam probat adversus illos, qui motum illuminationis sequuntur, ut insinuat Avic. f. 2. lib. 4. c. & tract. 2. ad quod respondeat Vega 3. progr. comment. 1. non interesse mensē illuminationis semper esse præsentem, quæ solutio non comprehenditur, cùm ex utroque medium componat, nisi dicat sequi mensē peragrationis, tum quia semper est verum Lunam moveri ab uno punc̄to ad idem punc̄tum; quod si verum, etiam fatetur juxta mensē peragrationis dies criticos evenire, quod negat.

Tertiò: quia sequeretur ex Gal. doctrina decimum tertium diem magis decretorum esse quā decimum quartum: si quidem medietas, per quam secunda septimana constituitur tredecim diebus & undecim horis sit, ubi plus habet decimus dies, quā decimus quartus, propter quod vigesimum magis judicatorium quā vigesimum primum appellavit ipse Gal. Nec satisfacit Vega dicens etiam, Gal. concedere decimum tertium judicantem; nam ut constat 2. de dieb. decret. cap. 5. minus judicatorium esse docet quā judicantes, & coincidentes; sed si vera esset ejus doctrina, mensis medicinalis magis judicatorius esset, quā decimus quartus: ergo talis doctrina non est sustinenda: Tandem ex Gal. sexagesimus non esset decretorius, sed sexagesimus primus; siquidem novem septimanæ sexaginta diebus & tredecim horis, & dimidia completur, ergo sexagesimus primus esset decretorius, cuius contrarium refert ipse, & Hipp. propter hæc, & alia plura quæ dicemus vim habere contra Gal. opinionem Astrologorum recipiunt plures, qui mensē peragrationis Lunæ dies criticos causare volunt, ut sunt Ugoſe. 2. aph. comment. 24. Planerium 3. de dieb. decret. & Vall. 10. contro. at non minus hoc placitum difficile est, siquidem finxit tali dispositione Astra esse, ut necessariò à quolibet punc̄to in quo incipit morbus ad oppositum signum Luna perveniat in octava parte totius peragrationis, & in quadratura, & in oppositione seu medietate: totum quod non constat illa esse, quamvis verum sit quod impugnat, recte & ex professo Carthag. lib. 2. tract. 4. de sig. dier. crit. c. 1. in fine, potius appetit resultare aspectum in prædictis positionibus symbolo signo pro morbo facienti, sicut & alios contrarios. Argumentor tamen in forma: si existente Lunā in principio unius signi, advenit morbus, & ad principium quarti signi, stat oppositio contra morbum in septima die, quia tria signa percurrit Luna sex diebus, & novemdecim horis, sequitur, non minus esse octavum decretorum quā septimum, quia toto die sequenti etiam in tali signo est, & etiamsi existente lunā in fine primi signi morbus advenit, & ad finē quarti septimus constituantur, sextus eadem oppositione habebit contra morbum, & æqualiter erit cum septimo judicatorius, quod est contra Gal. ergo talis doctrina non est neganda: Nec valet dicere nil intetesse contra Gal. quia certum est Gal. motum peragrationis rejecisse: contra tamen est, quod dicit nil intersit esse contra Gal. id quod experientia non convenit, accipendum non est, sed experientia constat crism in septima

commodè, securè, & sine molestia fieri, non ita in sexto: ergo doctrina ex qua sextus, & septimus aequalis virtutis sunt, non est recipienda. Quod argumentum etiam fieri potest de aliis diebus iudicantibus; resultarent enim plures dies judicantes contra Hippocr. & experientiam.

Ferè easdem difficultates patitur modus dicendi Recentioris, cùm non sit fundamentum utrum constet Lunam in puncto quadraturæ, & oppositionis habet influere in auxilium naturæ præter ejus liberum arbitrium, proloquium, inquam; militant tamen contra hunc modum dicens plura ex positis, & ponendis. Primiò quia si motum Lunæ sequuntur dies critici juxta partes quas Luna tangit, sequitur motum peragrationis ipsius Lunæ, & consequenter militant contra hoc placitum, ea quæ contra motum peragrationis sunt, scilicet dies alios resultare criticos præter assignatos ab experientia, quatenus viginti diebus, & duodecim horis tres septimanæ constituentibus aliis tribus additis septimanis, dies quadragesimus primus resultat decretoriis, non quadragesimus, quod est contra Gal. præterea: nam vel Luna in qualibet parte cœli est in auxilium naturæ, & contra morbum, aut solum in quadraturis & oppositione: si primum, ergo omnes dies sunt judicantes, & optimi; si alterum, talis debet esse determinata positio, & consequenter si Lunæ stante in dimidia cursu quadraturæ morbus adveniat, erit in quadratura ante diem septimum, & sic dies decretorij non orientur à motu Luna.

Nec valet dicere, quadraturam esse considerandam respectu proprij morbi, ubiunque Luna inveniatur; hoc non valet; nam hoc quod est dicere in qualibet parte cœli Lunam in auxilium naturæ influere, cùm in diversis locis ipsa existente diem criticum causare affirmit, quod est concedere omnibus diebus eandem virtutem. Præterquam quod si negat hic Author ratione qualitatum signorum dictum auxilium, aut contrarietatem, cur hoc quod negat concedit partibus cœli in quibus Luna in quadraturis, & oppositione existit; quod minus receptum est, præcipue cùm pro arbitrio dicat Lunam auxiliari naturæ dum in hac parte cœli est dies suæ quadraturæ, & in parte ipsa dum suæ quadraturæ non est dies respectu alterius morbi non auxiliari, cuius non est fundamentum, cùm Luna idein influat physicè ex se in una, & eadem parte, & eodem tempore. Nec valet dicere eundem influum respectu diversæ dispositionis subjecti auxiliari, aut non auxiliari, & sic die septimo morbi auxiliari, & altera minimè; non valet, nam difficultas est de influxu cœli dies criticos faciente, hunc dicimus eundem esse: ergo ex se aequaliter constituit dies criticos in altera die, ut in septimo per accidens tali die esse materiam, vel secus, ac per consequens, non magis critici constituitur septimus quam alij dies.

Præterea contra omnes modos dictos argumentor: Primiò: nam influxus hic auxiliari, aut est per qualitates manifestas, aut occultas: si primò, cùm Luna in una parte cœli in eodem tempore unum locum habeat facere, hoc est unas solas qualitates producere, calorem aut frigus, dum morbus per similes qualitates, illis quas valet Luna producere fuerit, factus potius nocebit quam auxiliabitur, non ergo dies septimus bonus decretorius erit, etiam si forsitan cocta materia existat: si secundum, ergo in qualibet idem

producetur, & ex parte cœli aequalis erit virtus in omnibus diebus, ac per consequens solum erit bona dies cocta materia, & è contraria.

Secundò, quia si influxus quadraturæ diem septimum constitutus bonum decretorium, ipsam facit, est quia producit aliquid auxilians; hoc autem est contrarium influxui productio in die principijs morbi, aut simile, aut ab hoc abstractum; simile non potest, quia potius augebitur morbus: si autem contrarium sit, aut ab utroque abstractus; sequitur quod quando Luna recedit ad idem punctum quod facit pro morbo, dies decretorius non sit, quia in illo puncto non producit aliquid connexum cum illo quod naturæ auxiliatur in aliis diebus, hoc est contra Hip. & Gal. & experientiam, diem vigesimum septimum criticum constituentes, sicut & reliquos, ut constat i. epid. & 4. aph. & quoties de ipsis agunt Autores, ergo talis modus dicendi non est sustinendus.

Confirmatur; nam sequetur virtutem diem criticorum non esse minus efficacem post vigesimum quam ante siquidem Luna per easdem partes movetur cœli in secundo circulo quam in primo, ergo si per motum in primo circulo in suis quadraturis, & oppositionem virtutem reddit efficaciter auxiliantem, per se dum circulum idem debet facere, ac per consequens ex se aequaliter faciat omnes dies criticos efficaces; & non implicat eandem dispositionem materiae esse in trigesimo quarto, quæ in vigesimo potuit esse, quod est contra Gal. i. de dieb. decret. c. 10. & lib. 2. c. 8. expresse docentem à vigesimo dies criticos fieri efficaces.

Tertiò: tota difficultas dierum criticorum stat in assignanda ratione ipsis, ita ut ex se esse. quatur illos dies esse criticos, qui per experientiam tales fuerunt cogniti ab Hip. & Gal. eo modo, ac ab illis fuerunt cogniti: sed ex doctrina dicta à Gal. Astrologis, & aliis, non est ratio talis, ut experientiae conveniat, ergo talis doctrina non est tenenda. Major est certa. Minor probatur: nam unum ex receptis per experientiam est, diem septimum, taliter esse decretorium, ut efficaciter, clementissime, & ferè semper in bonum decernat; diem vero sextum omnino contrarium: sed ex nullo mordorū talis eventus ratio deducitur; ergo nullus modus ex dictis sufficienter solvit difficultatem. Major docet Gal. i. de dieb. decret. c. 4. & 11. sequens Hip. i. epid. p. 2. text. 57. in quo ex eo quod morbus moveretur per pares, & prava haberet in quarto signo, mortem in sexto dixit, & in ipso esse prædicenda docet Gal. c. 11. citato, et si non moveatur per pares si morbus est celeris motus, qualis debet esse qui tam brevem habet terminationem: Minor probatur: nam ex motu Lunæ per quadraturas, & oppositiones auxiliante, & ex eo quod crisis die accessionis adveniat, non redditur ratio cur deterior expectanda sit crisis in sexto quam in septimo, etiam si ad salutem terminetur, cùm in sexto etiam accessiones fieri possint, ut fit dum morbus movetur per pares, de influxu Lunæ, dictum est; ergo doctrina posita non solvit dubium.

Cum ita difficilem solutionem prævideret Pythagoras, causam dierum criticorum ad numeri perfectionem reduxit: assertit enim numerum imparem perfectiorem esse ex propria natura, ratione cuius talibus diebus potius, & principalius sunt crises, præcipue in septimo, quia septenarius numerus omnium perfectissimus est, totum quod seorsim fieri manifestum; nam in pri-

mis de perfectione numeri imparis convenit Ma-  
rio, dum dixit, *Numerus Deus impar gaudet;*  
& ad rem Hippocr. 4. acut. text. 63. sic scriptis.  
*Horum signorum plura diebus imparibus magis*  
*quam paribus deprehenduntur,* agebat de criticis,  
& consequenter 4. aphor. text. 61. ait *Febriticantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare.* Quod etiam scriptis 1. epid. p. 5. nil mirum ergo quod propter numeri perfectionem crises adveniant diebus imparibus, ita ut perfectiores fiant, & in bonum magis in illis diebus quam in aliis. Quod vero per septenarios hoc accidat, ex ipsa numeri perfectione procedit: siquidem propter hoc in septimo quievisse Deum dicitur, & talis naturæ est, ut Hipp. text. 24. de septimis in partu sic ait, *Dies maxime insignis in plurimis, primi, & septimi existunt, multum quidem potentes in morbis, & embriobus;* assentique consequenter septimo die conceptionem fieri: & alibi sic scriptis, *Vita hominis septem dierum est,* quid mirum ergo quod ob numeri perfectionem crises in diebus imparibus adveniant, & maximè per septenarios quatenus septimi sunt perfectiores.

Alij tamen quorum fuit Amatus, & Carti-  
gena, non ad numeri perfectionem hoc redu-  
cunt, sed ad assonantiam, & dissonantiam ip-  
sorum numerorum inter se, ita ut dies ille cu-  
jus dissonantiam cum primo dicit, numerus ipse,  
ad crism aptus sit, quatenus propter dissonantiam excitabat ad pugnam, per quam cri-  
sis resultabat, ratione cuius die sequenti in  
sonno salus resultabat, dicebatque numeros dis-  
sonantes secundum, & quartum, & septimum &  
duodecimum, & decimum sextum, & deci-  
mum octavum. Ad primum reliquos consonantes  
usque ad vigesimum, eo modo, ac in Mu-  
sica voces, & chordæ eadem proportione dis-  
sonæ, aliæ vero consonantes seu uniformes cen-  
tentur, si & numerus ipse talis est, ut crisis in  
diebus fiant dissonantes ad primum, in aliis  
secus, aut non ita. Cujus eventus rationem quæ-  
tere stultum judicant hic Autores, sed solum  
experienciam id esse consequendum fatentur, qua-  
tenus, talibus diebus crism fieri compertum est.

Hi etiam modi dicendi non minus inutiles  
sunt quam præcedentes, immo magis; quia præ-  
ter quam quod non solvunt difficultatem; ratio-  
nem quam reddere conantur non adducunt, &  
sic à tali assensu excusare debebant: est enim  
difficultas unde adveniat crisis talibus fieri &  
non aliis, assequunturque propter perfectionem  
numeri & dissonantiam, unde hoc non tan-  
gunt, ergo nec tangunt verè crises talibus die-  
bus nam impugno hunc modum dicendi au-  
thoritate Galen. 2. de dier. decret. capit. 5. &  
libr. 3. cap. 8. quia cum nec ejus placitum ad-  
mittant, nec ejus authoritas est admittenda.  
Argumentor tamen sic, in quarto die, & die-  
bus aliis paribus crises eveniunt, ergo non ob  
numeri perfectionem, aliæ quando in die im-  
pari advenit bona, non ob perfectionem nu-  
meri evenire est dicendum. Præterea quia ne-  
que tales modi dicendi respondent cur in vige-  
sim potius quam in vigesimo primo, crisis ad-  
veniat, potius contra experientiam vigesimum  
primum præstantiorem ad crism ostendunt,  
cum ipse impar, & dissonus juxta utrumque  
placitum; & quod magis, non solvitur cur in

sesto deteriores adventiant crises quam in reli-  
quis diebus, quod si propter paritatem, par etiam  
quartus & decimus, & eodem modo etiam as-  
sonantes plures, ergo tales modi dicendi sustineri  
non possunt.

Rejectis igitur aliis dicendi modis, aut quia  
nullum circa causam dierum criticorum sequun-  
tur, aut quia aliud ita difficile affirmant, quo-  
rum fuit Miran. & plures alij, ut Fracastorius qui  
ex professo libellum constituit de *causa dierum*  
*criticorum*, illamque reduxit in humorem me-  
lancholicum ad quod supponit ferè semper hu-  
more uno putrido, reliquos putrefieri, præci-  
pue melanocholicum, & consequenter affirmat  
febrem omnino simplicem non dari ex uno hu-  
more pendentem, docetque humores hos plu-  
ries reduci ad unam formam, seu ad unam dis-  
positionem, ita ut uno motu moveantur; quâ  
ratione febres nothas concedimus quotidie, &  
hoc modo affirmat idem esse, ac si à simplici  
humore penderet, & tunc dies critici non sunt  
determinandi aliqui, nî illi qui ratione accessionis  
fiant tales, quatenus materiâ existente  
coctâ, & accessione instanti natura ad expel-  
lendum movetur, & fit crisis, de quibus non  
intelligit, ea quæ de diebus decretoriis loquun-  
tur Autores.

Affirmat deinde quod si humores omnes non  
reducuntur ad unam formam, seu ad unam dis-  
positionem, ita ut uno motu moveantur, sed di-  
verso, ut ferè semper contingit de humore  
melancholico, quia minus aptus ut reliquis  
permisceatur, cum crisis fiat quando natura vi  
accessionis molestatur magis, ille dies erit cri-  
ticus, in quo plures conjunguntur accessiones,  
quia tunc molestatur magis natura, & conse-  
quenter cum continuè repetitiones morbi con-  
jungantur, & copulentur diebus in quibus me-  
lancholicus est circuitus, causam constitu-  
tem dies criticos in melancholiam reduxit: quâ  
ratione incipiente morbo per ternarios cum in  
quarto, repeat melancholia portio parva, in-  
sensibilis fit circuitus ejus, aut parum immu-  
tans, qui ulterius ad septimum transit in eum  
accessione per ternarios conjunguntur, & dies  
criticus constituitur ipse, & sic de reliquis; fa-  
tetur tamen parvam, & subtilissimam esse por-  
tionem melancholia, quæ ad morbum termi-  
nandum quarto aut septimo movetur, ut faci-  
lè etiam corrigatur, & putrefiat, majorem  
vero ad morbum terminandum deinceps, quia  
quotidie alteratur magis humor melanco-  
licus.

Cum motus humoris melancholici talis, &  
complicatio talis non constitutus dies criticos un-  
decimum & decimum-quartum, & decimum-septi-  
mum, & vigesimum, & plures alios quos Auto-  
res per experientiam cognoverunt, quia motus per  
quartos proprius melancholia dictis diebus non  
correspondet, affirmat dies criticos ab Autoribus  
assignatos non concedi omnes in quolibet morbo,  
sed alios pro aliquibus morbis, & alios pro aliis  
juxta diē in quo primò putrefiat melancholia, ita  
ut in illis morbis in quibus primò melancholia  
putrefiat, quartus erit judicatorius pro morbo pa-  
ri, & septimus pro impari, quia in illis complican-  
tur accessiones propriæ morbi cuiuslibet cum  
melancholia in illis: tamen quod secundo die  
primò putrefiat melancholia, quintus erit pro  
morbo impari, & octavus pro pari; in illis ta-

men tertio die melancholia primò putreficit, sextus erit pro pari, & nonus pro impari, & sic de aliis; ita ut juxta diversitatem putredinis melancholiæ, diversis diebus complicentur melancholiæ circuitus cum circuitibus propriis humorum, & sic resultent dies critici diversi pro diversis morbis: pares pro morbo pari, & impares pro impari, juxta cuiuslibet morbi motum accessiones propriæ adveniunt, & in suis diebus debet fieri complicatio: ergo sunt crises juxta motum morbi ad melancholiæ motum.

Hanc melancholiæ necessariam permixtionem dicit hic Autor constare ex eo quod plures accessiones inspiciantur præter mensem, & motum proprium morbi, quod non aliter evenire est credendum, nî ob dictam complicationem, & ex eo quod per quartos dies indicantes constituantur juxta mentem Hippocrat. & Galen. dicentium *Septenorum quartus est index*. Ergo dicendum est melancholiæ circuitus per complicacionem cum circuitibus morbi instigare naturam, ut illo die potius quam altero ad expellendum moveatur, & crisis fiat, ita ut dies criticus à melancholia constituantur diversus pro diversis morbis juxta diversitatem motus ipsius morbi, & putredinis melancholiæ, contra mentem Autorum, & experientiam.

Hunc modum dicendi impugnat Planerius, *de dieb. decret. agens*, primò ex eo quod neget febres simplices dari; siquidem, ut docet Galen. *cap. 2. de differentiis feb. simplices & compositas febres agnoscit*; ergo sunt concedendæ febres exquisitæ ex simplici humore putrido.

Secundò quia non appareat necessum uno humore putrido, melancholiæ putrefieri, præcipue cùm constet adhuc unius humoris corruptione, totam massam non corrumpi, excitabitur ergo magis humor ab illo diversus.

Tertiò quia negare crisim, & criticos dies in simplici febre est contra Hippoc. 4. *aphor. text. 59*. sic dicentem, *Tertiana exquisita septem circuitibus terminatur*. Ad quod facit quod rationi magis consonum apparet, commodiùs, & fortius se habere naturam contra morbum ab unico humore pendentem quam à pluribus, ceteris paribus; ergo melius movebitur ad expellendum, & crisis faciet, ac per consequens in morbo simplici, crises etiam in diebus determinatis sunt concedendæ.

Quartò quia ex hac doctrina sequitur melancholiæ facilius putrefieri reliquis humoribus, aut ita facile, ut asserat ferè semper peccare humore alio peccante: sed hoc est alienum valde à natura melancholiæ, quæ frigida, & sicca est; ergo non est concedendum; frigida enim & sicca magis putredini opponitur, quam reliqui, novit quisque ex Philosopho 4. *meteor. cap. 1.* & ex Galen. 8. *meth. cap. 8. de corporibus ad febrem paratis*: ergo non corrumpitur ita citò melancholia, ac reliqui humores, & consequenter, nec ita citò coquitur: nam quod propter naturalem dispositionem resistit magis alterationi, tam coctioni, quam putredini erit oppositum; ergo non coquetur ita citò, ac reliqui humores, ac per consequens, non erit causa ut crisis fiat.

Propter hæc quæ à Planerio objiciuntur non erat rejicienda sententia Fracastorij: nam ad prium dicendum simplices dici febres, etiamsi ferè semper alij humores corrumpantur, quia non est necessum, & quia solum indicationes unius

humoris sit earum curatio, quando accessiones, seu accidentia non sunt manifesta, aut sensibili compositionem & complicationem alterius humoris ostendentia.

Ad secundum dicimus quodd licet non sit necessum uno humore corrupto alterum putrefieri, ita ferè semper contingit: quod si non accidat, dies critici non erunt extra illos quia per accessiones resultant tales.

Ad tertium respondet non negari crises in febre simplici, negat tamen Fracastorius dies criticos ordine ab Autoribus assignatos, quia tunc solum erunt tales, illi in quibus accessiones sunt materia coctæ.

Ad quartum respondet humorem melancholicum non putrefieri ita facile, ac alij humores putreficiunt, et si prima die putrefiat, quia humor febres causans putreficit vi caloris alicujus externi & dispositionis materiæ, melancholia verò ab alio hunore putrido, est tam efficiator ad agendum, quod putridum est, approximatum quam fuit causa putrefactionis non putrida; præterquam quod ad causam morbi putreficandam fuit calor violentus cum dispositione materiæ ad humores melancholicos, facit ipse calor, & humor putridus: quid mirum ergo, ita citò putrefiat melancholia, ac alij humores, cum agens fortius sit pro melanholia quam pro humore morbum principaliter faciente.

Quoad correctionem dicimus non esse necessum coqui portionem facientem melancholicum circuitum, sicut in opinione non coquitur portio faciens accessionem die crisis; coctio namque requiritur in tota & communis massa in qua materia morbi, seu in cineritio ejus, non in portione accessiones particulares faciente, cùm hæc resolvatur in accessione ipsa, alijs non ita breviter cessaret, cùm non possit, ita breviter coqui humor ille; nec in principio morborum cessarent accessiones, cùm nulla in eo coctio adsit, ideo particularis dicitur crisis accessionem quælibet, quia natura ad expellendum movetur, ut Galen. 6. *epid. part. 2. comment. 23.* sic ait. *Iudicationem* verò, aliqui eam intellexerunt in qua repentina quadam, atque insignis mutatio fit, aliqui simpliciter accessionem significare voluerunt: Ergo expellitur, & solvit portio accessionem particularem faciens, & siccus cineritium relinquatur in foro donec natura per crisis ad expulsionem per accessionem excitata coctum expellat, & simul illud, quod morum est, & accessionem faciebat; nam cùm causa principalis illius morbi, una sit, illius requiritur correctio, illius verò quod veluti causabiliter conjungitur, & morbum per se non facit, propter quod complicata quartana non dicitur, sed simplex febris, nil existit putridum præter quod accessionem particularem facit, nec ad putredinem dispositum, & sic non est illius necessaria coctio dum morbus complicatus est verè suos circuitus habens, cum proprio foco pro quolibet humoris cuiuslibet coctio requiritur ad diversam crisis, aut unus cessabit, altero manente morbo; ut Galen. 2. *de diff. febri. cap. 7.* dicens cessasse tertianam per crisis quotidianam manente, quod non est necessum quando complicatio non tam sequitur vitiolum humoris, & focum determinatum, quam alterationem venientem ab humoris putrido permixto.

His positis constat opinionem Fracastorij probabilitatem

habilitatem habere, & quantum ego assequor, plura continet vera, et si in omnibus non constet: in primis crises fieri ratione accessionis, ita verum judico, ut solum hoc dies criticos facere infra ostendere conabor, non tamen explicit ipse quomodo hoc verum habeat, cum doctrinam in aliquo verum hoc habere ostendam, & manifestum faciam circuitus per quartos, quia die undecimo adducuntur ab Autoribus usque ad quadragesimum, non tamen necessarium judico, nec modo à Fracastorio adducto esset accipendum, & sic aliter quæstio est solvenda: Primum quia non est unde constet talis complicatio necessitas, nec autoritas alicujus magni viri hoc docuit, dicitur ergo gratis.

Secundò, quia si satis melancholicus circuitus concederetur, deberent reperiri duæ accessiones sensibiles plures, præcipue die crisis, aliam à morbo, aliam à melancholia, hoc nullus est expertus; ergo non est dicendum talem complicacionem requiri. Si dicas insensibilem esse; contraria est, quia si crisis fit ex eo quod molestetur natura à duplice accessione, sensibilis debet esse; nam ab eo quod insensibile est nequit molestari, nec potest dici occultari cum accessione propria morbi; nam cum quælibet diversa sit, & à diverso humore, necessarium est ut quælibet sua tempora & accidentia praestet distincta, quod non experitur.

Tertio: quia cum hac doctrina debet salvari sextum diem deterrium, decretorium esse septimum, sed non salvatur; ergo non est sustinenda. Minor probatur: nam rationi consonum est melancholiā secundo aut tertio die corrumphi quād primo, quia id quod resistit magis secundum rationem tardius debet putrefieri: sed ex tali proportione non magis complicatur circuitus melancholicus sexto quād septimo, ergo non erit deterior judicans sextus quam septimus, quod est contra experientiam.

Quartò, quia sequeretur omnia remedia, quæ exercentur in morbo acuto cum periculo exerceri; siquidem periculum est quartanos circuitus habentes non tractari leviter in principio, ut docet Gal. 1. ad Glanc. sed constat sine periculo operari, ergo non est complicatio circuitus melancholici.

Quintò argumentor sic: experientiam quam adduxit Galen. 3. de crīsibus cap. 4. ubi docet quod æger judicandus septimo, si nullus accidat error, leptimo judicabitur; at vero si error accidat, in noveno crisis fiet, sic ait. *Si aliquis error, non magnus tamen, circa agrotantem factus fuerit, sperandam esse crīsim in septimo venturam, quod si non multum velociter moveatur, aliquis vero error circa hominem fiat, ad nonum diem crīsis transferetur.* Hoc quidem docet de ægrotu judicando undecimo aut decimo quarto. Et 3. de dieb. decret. cap. 8. ait de die nono. *Rariū quidem septimi, sapè undecimi crīsim assūmit.* Est enim peculiare septimo diei crīsis non ad nonum, modò pauci errores commissi sint, unquam pervenerit. Docet ergo ratione erroris in morbo in quo crīsis futura erat in septimo, resultare in nonum; sed dies critici si fierent per complicacionem circuitus melancholici, non poterat ita fieri, quia in nulla proportione quando ad septimum fecit circuitus, complicatio ad nonum poterat transferre; ergo non sunt dies critici propter circuitus melancholicos; nec valet si dicas tum crīsim in

nono non fieri propter humorem melancholicum, sed vi accessionis, ut docet Galen. contra est, quia si vi accessionis fit, frustra ponitur complicatus circuitus melancholia, cuius complicatio non est necessaria, cum sine illa fiat ordine experto, ut dicemus.

### Quæstionis resolutio.

**I**Tà difficultis visa fuit solutio præsens, ut delirium potius quād actio docta judicetur à Doctore Cartagena id attingere, & ut suam resolutionem adducat, sic ait lib. 3. cap. 18. *Omnibus post delirandi licentia conceditur, quid mirum quod mihi concedatur;* Habet ergo pro delirio quæstum solvere, eadem tamen licentiā utens, mihi videtur idem esse in resolutionibus Physico-Medicis ad astra currere, ac causam eventū ignorare; siquidem illius quod tangimus manifestam causam quam non cognoscimus ipsi tribuentes, prout nostra fuit indigentia, illo fundati, quod universalis sit causa plura virtute continens, forsan quia nos ita volumus, non quia revera ita sit, non est nostram in præsenti disquirere, sufficit scire non posse non facere ignorantiam, tribuentes id causæ cujus nullum est indicium: fateor inferiora à superioribus Astris immutari, nego tamen quod constet criticas immutationes ab Astro pendere; siquidem diversitas, quæ in crīsibus invenitur in Astro, in luna scilicet, non apparent fundamentum; non nego posse Astrologum concursum juvare, aut nocere, pro immutatione aliqua in corpore sano, aut ægro facienda; juvabit námque cum qualitatibus subiecto similibus, laetet tamen cum contrariis corpus immutat, nego verò tot mutationes in astris inveniri, ac pro crīsi requiruntur, illas quæ proportione dicta esse, & crīses ab eis pendere.

Ad rem tamen mihi videtur dicendum crīses diebus evenire, in quibus sunt accessiones tali proportione, ut quando materia cocta est facultate valente crīsis adveniat, natura ad expulsione per accessionem irritata, ita ut dies criticus pro tali morbo, ille sit, in quo immediata accessio advenit, materia existente cocta, nullo alio concurrente, & consequenter omnes dies in quibus accessiones adveniunt, dummodò tempus pro coctione præcedat, critici sunt, quia in quolibet illorum coctio est possibilis, & investigatio pro crīsi invenitur, alij secūs. Hanc judico esse mentem Hippocr. siquidem 1. epid. part. 3. text. 13. solum ratione accessionis dies determinat criticos, & enumerat, ita ut crīses, quæ aliis diebus sunt, infidas, & periculosa appellent; ergo Hippocr. per accessiones constituit dies criticos, sic ait, *Qua vero paribus diebus exacerbantur, paribus indicantur, & consequenter numerat dies criticos pro quolibet morbo:* sic ait: *Circuitum autem qui diebus paribus judicant primus est decretorius quartus, sextus, decimus, decimus-quartus, vigesimus-octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus, centesimus-vigesimus:* Circuitum vero qui diebus imparibus judicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus-septimus, vigesimus-primus, vigesimus-septimus, & trigesimus-primus. Post quorum numerationē immediatè ait: *At vero nos expedite scire quod se aliter judicatio fiat extra prescriptos dies, recidivæ facere*

facere significat, & fuerit sanè perniciosa. Ergo ex mente Hipp. solum ratione accessionis dies criticos evenire est dicendum, ita ut ipsi sint decretoij in quolibet morbo, & ille determinatur in quolibet, in quo materia cocta jam est, & accessionis fit.

Hanc eandem doctrinam non renuit concedere Galenus, et si aliam rationem dierum criticorum adducat: nam 3. de cris. cap. 4. et si diem quartum judicatorum appelleat, per motum Lunæ ratione accessionis fieri docet, ut tertio, aut quinto die adveniat crisis in morbis acutis, non in quarto, ita ut si in ipsis morbis in quarto crisis adveniat, ratione accessionis tertio dici & convenire dicat: sic ait. *Continua autem, quæ in accessionibus crism habent, tertio die, seu quinto rationabiliter finiuntur. Nam si quandoque etiam quarto die judicantur, ratione ejus accessiones, quæ tertio die fit, id patiuntur: ergo accessiones sunt, quæ dies criticos constituent, non Luna, cum ipsa potius per retrogradum influat in quartum, & in ipso adhuc die ratione accessionis tertio die crism evenire dicat in acutis morbis (de Synochis dicimus infra.) Quod specialis dies criticus pro quolibet morbo determinetur ex coctione, & accessione docet in ipso cap. infra, in quo solum propter diversitatem apprendi coctionis signa determinare diem criticum scripsit, sic ait. Nam si magnitudo seu velocitas morbi motus in eisdem diebus intendatur ac coctionis signis effatu digna accessio facta fuerit, hujusmodi agrotus die undecimo crism patietur: sicut si contra se habuerit, in decimo quarto. Docet Galen. accessiones cum signis coctionis diem criticum determinare.*

Ulterius cap. 10. ejusdem lib. ut fecerat cap. 4. motus celeritate diem crisis determinat, ita ut quando crisis indicata fuit in quarto ratione celeritatis motus in sexto aut septimo esse futura cognoscatur: docet etiam celeritatem ex accessionibus ipsis dignosci: sic dixit cap. 4. Contingit enim in tertio seu in quinto die fieri crism: In tertio quidem si morbus sit magnus, ac motum velocem habeat: In quinto autem, si nec valde magnus sit, nec velociter moveatur. Oportet enim crism in idem tempus concurrere cum accessione. Et cap. 10. sic. Age enim in quarto die visa sit primum nubecula in winis nigra, vel suspensio nigra, vel tale aliquid hujusmodi, sint vero & omnino alia signa & accidentia pernicioса: morietur quidem omnino hic agrotus. Sed, si in imparibus quidem accessio facta fuerit, septimo die crisis accidet: si vero in diebus paribus, in sexto. Certo rem vero tibi expectationem faciet morbi motus: si enim acutè moveatur, crism accelerantem consignificat, hoc est, in sexta venturam: si vero tardè, ad septimam differetur. Et quod magis est 3. de dieb. decret. cap. 8. agens de crisis evenientibus tertio, & septimo, & quinto, & aliis diebus coincidentibus, seu intercalaribus, quos ab una non pendere dixit, expresse docet ratione accessionis ad pugnam moventis evenire. Sic ait: *Vnum jam ex illis, quæ naturam stimulant, & veluti provocant, accessio est: unde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim & accessiones sunt. Docet ergo crises perfectas quales sunt quæ dictis diebus eveniunt, vi accessionis provenire; quam doctrinam sequitur Avic. & Medici communiter.*

Ex dictis sic formo argumentum. Talis est

accessionis vis ad crism faciendam, ut quamvis concedatur virtus Lunæ in quarto, in ipso crism non fiat, nisi ita raro, ut cum visa fuerit ab Archigene, & semel tantum à Galen. ut refertur c. 4. lib. 3. & sèpè accidat in tertio aut quinto, quamvis in his Luna non influat ratione accessionis, tali proportione, ut quando apparet in quarto ratio accessionis tertij sit; ergo majus stat fundamentum ut dicamus dies criticos ab accessione constitui ipsis, quam determinari ab accessione & coctione, quam à motu Lunæ, aut alicujus alterius astri. Quod confirmat doctrina etiam, quam adducit de diebus intercalaribus: concedit enim ipsis judicantes nullatenus virtute Lunæ concurrente, sed ratione accessionis, ita ut plures ex coincidentibus fortiores judicantes & efficaciores apellet quam alios, in quibus virtus Lunæ conceditur: ergo non à Luna judicantes dicuntur, sed ab accessione. Patet: nam 1. de diebus decret. cap. 5. post septimum, & decimum quartum, & sextum, sic ait. *Proximi his sunt nonus, undecimus, & vigesimus. Prope hos vero septimus decimus, & quintus, post hos quartus, hunc sequuntur tertius, & decimus octavus.* Ergo judicantes magis docet esse sextum & nonum, quamvis tales à Luna non sunt, quam undecimum & vigesimum sunt à Luna, & sic non à Luna tales sunt concedendi.

Secundò argumentor sic ratione quæ utitur Gal. ad probandum non virtute propria diei, id est, non à numero dierum crism fieri, vel criticum diem resultare, quia si à Lunæ motu dies criticus fieret, esset talis quam qui virtutem Lunæ participat, sed sic est quod alij tales sunt præter participantis virtute Lunæ; ergo non à Luna dies critici resultant. Patet: nam id quod à Lunæ virtute penderet, semper fieret ab ea; sed non ita fit, ut constat ex doctrina posita & de diebus intercalaribus; ergo non fit virtute Lunæ: at ex alia parte constat semper crises in accessionibus fieri: ergo per accessiones dies constituuntur critici, ac per consequens, illi critici erunt, in quibus adveniunt accessiones determinari tales in quibus accessio & coctio coincidit.

Hujus conclusionis veritas constabit si ex ipsa aperta faciamus omnia, quæ diximus debere solvi ex solutione dictum criticorum. Primum est, cur vigesimus dies potius magis criticus dicatur quam vigesimus primus, si accessiones dies criticos constituent magis uno die quam altero, accessio advenire possit.

Secundum est, cur sextus dies malus decretorius dicatur, si ratione accessionis talis constituitur, septimus vero bonus, cum non magis unus quam alter accessionem habeat, & consequenter cur ratiū quarto quam tertio & quinto fiat crisis, cum non appareat accessiones ratiū per pares, quam per impares evenire.

Tertium est, cur fortius judicet septimus quam alij dies, cum seclusa virtute superadditâ, non valeat plusquam alij.

Quartum est, cur per septenos, & quaterniones crises, & indicationes fiant; nam ratione accessionis dies constuerentur critici, tales motiones sine fundamento essent, & sic nec per annos, neque per menses.

Quintum est, sequeretur omnes dies impares esse decretorios, in morbo impari, & omnes pares in morbo pari, cum in omnibus talibus diebus accessiones sint, cuius contrarium docent Gal.

Avic.

Avic. & Hipp. cum experientia, & consequenter decimus tertius, decimus nonus, & decimus quintus, & plures alij essent decretorij pro morbo impari sicut & octavus, & decimus, & duodecimus, & plures alij pro morbo pari, & sic non per vigesimos à die quadragesimo esset procedendum, sed per pares, aut impares. Tandem videtur nostram solutionem non esse juxta mentem Hippoc. nam ipse ut constat 3. prog. & lib. de crit. docet dies integros non esse numerandos, sed dies non numerari integros pendet à motu lunæ, cùm compleatur ejus motus à diebus non integris, ergo Hippocr. per motum lunæ voluit dies criticos esse constituendos; nam si per accessiones eos constitueret, integri deberent numerari dies, & potius vigesimus primus quām vigesimus decretorius deberet dici.

Satisfaciamus omnibus propositis dubiis complete, nec dubitari causam potest dierum criticorum adæquatè adduxisse, cùm nulla alia esse possit quām quæ eorum experiuntur rationem reddit: dicimus tamen pro omnibus. Ad primum respondeatur in opinione Hippocr. ita decretorium esse vigesimum ac vigesimum primum, quod constat; nam diversis in locis jam unum, jam alterum adducit, & adhuc in eodem loco tantum diversitas versionis ponitur vigesimus dies & vigesimus primus, nam 3. prog. text. 3. sic ait Hipp. *Primus itaque insultus sic definitur secundus vero ad septimum deducitur, tertius ad undecimum, quartus ad quartum decimum, quintus ad decimum septimum, sextus ad vigesimum:* ubi vigesimum decretorium nominat: at 4. aph. 36. sic ait, *Sudores febricitanti si fiant terrio die & quinto, & septimo, & nono, & undecimo, & decimo-quarto, & vigesimo-primo, & trigesimo primo, hi sudores morbos judicant, qui vero non sic sunt, dolores significant.* Docet ergo in eodem lib. jam vigesimum, jam vigesimum primum, decretorium esse, idem fecit 1. epid. part. 3. text. 14. in quo, & vigesimum, & vigesimum primum decretorios posuit pro diversis morbis, & quod magis, 4. aphor. text. 36. & lib. de diebus judicato. in fine, ubi Ianus, & alij posuerunt 2. i. judicatorium pro sudoribus bonis, Laurentius & alij posuerunt 20. Galen. verò eandem doctrinam recipit, eti decretorium magis judicet 20. quām 21. ut constat 3. de dieb. decret. cap. 9. & lib. 2. cap. 3. in quo adhuc juxta mentem Hippocr. vigesimum magis judicatorium colligit, quia ipse decimum septimum magis judicatorium quām decimum-octavum nominavit, cùm plures in ipso judicatos perfectè adducat 1. epid. part. 2. text. 82. & 83. & decimus septimus judicet sicut vigesimus, & decimus octavus sicut vigesimus primus.

Ratio tamen propter quam magis judicatorius vigesimus, & in ipso plures quām in vigesimo primo judicentur, ut experientiâ compertu est, ex duplice capite pender, ut voluit Gal. & quia morbi ad 20. venientes jam diurni sunt, & morbi diurni moventur per pares, & quia septimanæ non constant integris diebus, & sic tres septimanæ vixinti completur diebus, quarum rationum ultimam non esse ad nos, quia dies esse integros, aut secus pendet à motu lunæ; nos verò motum lunæ ad hoc concurrere negamus. Alteram impugnat Platieri 3. de diebus decret. cap. 6. sic, dies magis decretorius vigesimus est, quia experientiâ constat plures crises in eo fieri: sed morbi acuti terminantur magis crisi, raro tamen diu-

turni: ergo ex eo quod morbi diurni moveantur per pares, non erunt plures crises in vigesimo, sed potius in vigesimo primo, cùm morbi acuti qui per impares moventur, magis crisi terminantur: idē Gal. 3. de crit. cap. 3. dicens cur non adduxit terminaciones mōrborum diurnorum, sic ait, *Sed nondum de diurnis morbis dicere proposimus, nam repentina mutationes acutorum sunt:* Quasi diceret non ago de terminacionibus morbi diurni, quia subitæ mutationes quales sunt crises, solū acutis convenient; ergo ex eo quod vigesimus morbis convenientiat diurnis potius, minus decernere debebat.

Secundò argumentatur à Planerio: si vigesimus est terminus morbi diuturni, sequitur brevius terminari morbum longum quām breve, quod est absurdum: nam afferit in vigesimo diurnum, in vigesimo primo acutum terminari.

Tertiò poterat objici, quia ex eo quod morbus diurnus moveatur per pares, & vigesimo terminetur, non sequitur plures crises in eo fieri, quia si terminus acutorum est vigesimus primus, ita poterunt dari crises in vigesimo primo ex morbo moto per impares, sicut in vigesimo ex morbo moto per pares. Ergo non inde probatur magis decretorium vigesimum.

Nobis tamen videtur non posse negari vigesimum magis decretorium esse quām vigesimum primum, ut experientiâ est compertum: non quod efficaciū decernat, nec in melius, non docuit experientia, ita enim efficaciter, & bene fit crisis in vigesimo primo quām in vigesimo, propter quod utrumque diem decretorium concedimus cum Hippocr. quod ostendit falsum esse à motu lunæ pendere, ut voluit Gal. cùm motus unum, aut alterum efficaciorem faceret: dicimus tamen magis decretorium vigesimum, quia in ipso plures crises quām in alio adveniunt; tum quia morbi qui moventur per pares in ipso terminantur; tum quia morbi acuti qui per impares moventur ab undecimo die per quartos incipiunt moveri, ita ut ab illo primus decretorius sit decimus quartus, rarissime nāmque decimus tertius indicat, secundò decimus-septimus, tertio vigesimus. Cur ab undecimo die jam incipiat moveri per quartos morbus acutus, qui per impares movebatur, est quia acutus quatuordecim diebus terminatur, ut dicimus, & ab hoc termino jam naturam diurni comparat, saltem in modo motus, ac per consequens in die vigesimo cùm fiant crises, quæ adveniunt in morbis qui moventur per pares, & in pluribus illorum qui per impares movebantur, hinc est quod plures crises in vigesimo sint quām in vigesimo primo.

Quod ab undecimo incipiat morbus, qui moventur per impares, moveri per quaternarios probatur, & ex Hippocr. 3. prog. & lib. de iudi. & expresse post undecimum ponente decimum quartum, & postea decimum septimum, & postea vigesimum. Et quamvis in his locis videatur loqui de terminacionibus advenientibus mutatione facta per quartos; non solū post undecimum, sed ante ipsum lib. 1. epid. & 2. aphor. & in ipso de judic. post undecimum non adducit alios dies judicantes nisi per quartos, ante undecimum verò plures adducit, tertium scilicet, quartum & quintum, & sextum, & septimum, & nonum; ergo ab undecimo morbi qui per impares movebantur incipiunt moveri per quartos, non verò ante. Quod idem colligitur ex Gal. eandem do-

Etiam de dieb. decret. adducente, præcipue 3. de illis cap. 5. agente de diebus usque ad vigesimum & cap. 10. de ipsis usque ad quartum judicantibus: Quod etiam repetit lib. 2. cap. 8. ergo solum per quartos ab undecimo moventur morbi, etiamsi anteā per tertios moverentur. Hanc eandem doctrinam docet Avic. eosdem dies decretorios recipiens fen 2. lib. 4. tract. 2. clariū tamen cap. 3. agens de proportione, & efficacia dierum criticorum inter se, sic ait, *Et dies undecimus non est in virtute quartidecimi, verum tamen in agritudinibus in quibus paroxysmi earum incipiunt in imparibus, ut tertiana, est fortis valde, & fortior quartodecimo. Et in eodem cap. infra, sic, Et scias quid agritudines, qua paroxysmum faciunt in imparibus, sicut tertiana, & plures acutæ sunt velocioris crisis, & earum crisis fit in imparibus; quapropter expectatur in tertiana undecimus & non expectatur decimus quartus nisi paru. Quasi diceret undecimum esse verum, & proprium terminum eorum qui moventur per tertios, non decimus quartus, ut inde constet in vigesimo fieri crises illorum qui moventur ex propria natura per pares, & crises illorum acutorum qui post undecimum habent per quartos moveri, & consequenter plures crises in eo quam in vigesimo primo: juxta quam doctrinam Carthagena de hoc agens circuitus per tertios usque, undecimum dicit habere solum, ad vigesimum per quaternarios, ad quadragesimum per septenos.*

Dices primò: vel circuitus per quartos est per pares, vel per impares: si per pares, debet terminari morbus per pares, si per impares, debet terminari per impares juxta Hippoc. sed isti morbi, qui moventur per quartos ab undecimo neque moventur per pares nec impares absolutè: ergo nullo modo terminarentur. Patet: nam moventur per decimum quartum, & decimum septimum, & vigesimum, & vigesimum quartum, & vigesimum septimum, & trigesimum & trigesimum quartum, & trigesimum septimum. Qui dies pares & impares sunt, ut ex ipso Hipp. constat; ergo morbus qui unico motu movetur, per omnes dies terminatur.

Dices secundò: in vigesimo primo nullum morbum terminari, non par, quia vigesimus habet terminari, non impar quia ab undecimo movetur per quartos, & terminatur vigesimo: ergo nullus terminatur in vigesimo primo.

Respondeatur ad primum moveri per impares, morbum incipientem per impares, et si postea per quaternarios moveatur, quia motus ille cum dies pares, & impares comprehendat, sub motu ex propria natura morbi debet computari, & consequenter per impares terminabitur magis, quam per pares, juxta Avic. doctrinam cap. 3. citato, dicentis fortiorē esse undecimum diem decimo quarto die in morbis qui exacerbantur per impares, et si tales morbi in decimo septimo magis quam in vigesimo terminabuntur. Quà ratione Hippoc. 1. epid. part. 2. text. 24. quem sequitur Gal. 2. de dieb. decret. cap. 3. diem decimum septimū ex firmiter & efficaciter judicantibus appellat, cum quo non est negandum etiam in aliis diebus paribus per quos movetur, terminari aliquando. Nam Hippoc. solum docet morbos judicari per dies per quos moventur, & sic morbi pares terminantur per pares, & morbi impares per impares, morbi qui per impares, & pares moventur, per omnes terminari debent,

et si fortius per propriores.

Ad secundum dicimus adhuc plures morbos esse, qui per tertios moventur solum, & etiam in suis decretoriis sic judicantur, ut tertianæ plures continuæ, quod non tollit in morbis acutis alterum accidere.

Non minus difficultem solutionem habet secundum quæsumus quam primum: dicimus tamen verum esse in sexto deteriores crises quam in septimo & aliis diebus evenire, & rariū in quarto, et si verum sit accessiones omnibus diebus fieri posse: Ratio tamen hujus est, quia cum crises propriæ sint communis magis acutorum morborum, ut docuit Gal. 3. de cris. cap. 3. sic. *Repentina mutationes acutorum sunt, & morbi acuti à bile dependent, ut Hippoc. de diebus judic. & Gal. 3. progr. comment. 34. frequentiores sunt crises, & propriæ magis in morbis à bile pendebus, qui cum per tertios habeant moveri ex propria natura per tertios crises ipsis eveniunt, ut Galen. 4. aphor. comment. 36. & 3. de diebus decret. cap. 8. sic ait. Vnde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in hęc enim & accessiones sunt. Et cum ex alia parte Hippoc. demonstret crism alieno die factam periculosam esse, duo necessariò sequuntur; aliud est communiter crises in diebus imparibus securiores esse, & minus molestas, propter quod Hippoc. 4. aphor. text. 62. recidivam prædictit quando febris diebus imparibus non terminatur, non quia ita necessum sit, sed quia ita ferè semper contingit ob morborum acutorum materiam, & sic in sexto parum secura est crisis communiter, & in quarto raro fit, secūdū in aliis diebus, et si aliquando in sexto securissima adveniat crisis, & in quarto etiam, ut quando morbus sanguineus est, seu per pares movetur, ut Hippoc. 3. epid. part. 3. agroto 12. de Larissa sexto die optimè judicata.*

Hanc veritatem docuit Gal. 3. de cris. cap. 4. reddens rationem cur raro in quarto crisis adveniat per hæc verba, *Nam causa est, ut crisis səpiùs ex quarto ad tertium & ad quintum terminans mutetur. Nam morbus qui tam subito crism habet, omnino peractus est. In omnibus autem morbis per acutis necessarium est febres, seu synochos esse, vel cōtinuas quidem, sed qua per tertium exacerbantur, synochi quidem raro eveniunt, & ubi nullus sit error, in quarto finiuntur per crism, natura propriis circuitibus ad crism perveniente. Raro etiam est, ut nullus sit error. Continua autem febres, que in accessionibus crism habent tertio die, vel quinto rationabiliter finiuntur. Quasi diceret, synochi raro sunt qui crism habent in quarto juxta sui circuitus naturam qui per pares est, & sic raro in quarto est crisis, continua tamen, que per impares moventur, communis sunt magis, & sic crises in diebus imparibus magis accidentunt; & cum crises alias extra dies accessionis periculosas judecat Hippoc. sexto die periculosa est communiter, non ita in septimo. Quod idem intelligendum de alio die pari in morbis qui moventur per impares. Propter quod sic scripsit Galen. 1. de dieb. decret. cap. 5. Si aliquando in octavum diem, seu decimum, subita morbi solutio accidentat, similis ferè est ei, quæ sexta accidentat. Et consequenter dicendum est in morbo qui movetur per pares, si crisis in die impari accidentat, secura non est. Sic ait Hippoc. 1. epid. *Noſſe expedit si judicatio fiat extra praescriptos dies recidivas fore significat, & fnerit ſane pernicioſa. Dixerat antea judicari**

per pares morbos, qui per pares moventur, & è contra, & Ayicenn. fen 2. lib. 4. tract. 2. cap. 10. sic, Tu scis quod dies pár (alicui agritudini) inquam, est melior cùndam agritudini, & impar alicui agritudini est melior.

Dices: si crises fünt ratione accessionis, sequebatur febres continentes non magis terminari crisi quarto die quam tertio & quinto: Sed sic est quod terminantur crisi quarto die, ut Galen. 3. de cris. cap. 4. ergo ratione accessionis non resultat dies criticus; sed ratione aspectus retrogradi lunæ: constat, cùm febres continentes non habeant accessiones, sed eundem servent tenorem, & sic non magis excitaretur natura uno quam altero die ad expulsionem materiae faciendam; ergo ut potius quarto die fiat, aliud determinans est concedendum.

Respondetur quodd licet febres continentes non habeant accessiones, negandum non est terminari per pares non ratione lunæ, sed ratione molestiae continuatae, per quam excitatur ad expellendum natura. Propter quod Galen. 3. de diebus decret. capite 8. adducens morbos qui in sexto, & aliis diebus paribus terminantur bene, continentes adducit febres, & illas, quæ et si per tertios moveantur diebus intermediis, vehementes habent accessiones pro crisi irritantes: & sic Amatus Lusitanus morbos sanguineos per pares moveri docet, sequens Gordonij sententiam, quæ est in continentibus aliquiliter irritari magis: propter quod sic scripsit Galen. 3. de cris. cap. 4. Sinochi quidem raro eveniunt, & ubi nullus sit error in quarto finiuntur, natura propriis circuitibus ad crism perveniente. Et cap. 8. citato non solùm quarto, sed secundo & sexto terminari docet, ergo quia irritat specialiter diebus paribus, quod est per pares moveri non à luna, cùm ipsa secundum & sextum non constitutus decretorios; non dico irritationem ad crism bonam requiri, contrarium docuit Galenus 3. de cris. cap. 10. sed naturam accessione irritari, seu excitari ad pugnam, in crisi tamen prava irritari.

Dices iterum: si morbi qui moventur per pates, debent per pares terminari, & illa est optimæ crisis, quæ in die accessionis fit, cùm nulla crisis adveniat in accessione instanti & instigante, sequitur optimam debere esse ex hac parte omnem crism in quolibet morbo. Siquidem omnes vi accessionis fünt, at sic est quod ex ea solùm quod accessiones sint per pares, & crisi in sexto accidat, prava judicatur ab Hippocr. 2. epid. part. 2. text. 75. ergo non est prava dies judicatoria sexta, quia extra diem accessionis fit crisi. Quod ostendit Galen. in comment. & 1. de dieb. decret. cap. 4. & 11. ubi lignum malum in quarto, mortem in sexto, præfigare docet: ergo fieri crism diei accessionis, aut secus, non facit ipsum diem bonum, aut pravum: pro quo facit etiam quod Galen. 3. de cris. cap. 5. & 6. crism pravam dicit esse quando ratione accessionis instigantis anticipatū: & 3. de dieb. decret. cap. 8. idem repetens qui crism pravam in sexto dicit, dum accessiones per pares fünt, sic ait. Cum morbus ad septimum festinat, media vero accessionis magnitudo naturam ante suum tempus ad crism venire compellit: sic crisi sexto die prorumpit, quæ tanio pejor est eā quæ septimo futura erat, quanto magis ipsam præ-

vertit. Et paucis interpositis: In tardū quidem morbi secundum diem primo graviorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus, judicium tamen prævertunt, ut acuti proprie accessions vehementiam, hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos: ergo ratione accessionis fünt in sexto crises, sicut in septimo, ac per consequens non est pravus dies sextus, quia non fit crisi die accessionis; nec est optimus, quia die accessionis fiat crisi, scilicet motus morbi, cùm illi qui adducuntur à Galen, moveantur per pares, & in eis prava prædicet judicia in diebus solùm qui per pares moventur.

Pro hujus difficultatis solutione advertendum est crisis securitatem, aut bonitatem non pendere ex die præcisè, sed ex materiae coctione; nam ex tribus conditionibus optimæ crisis inferior est dies. Nam evacuari materiam juxta ideam morbi ad bonitatem simpliciter facit, quatenus pro morbo solùm cause ablatio solutio est; coctione verò materiae ad celeritatem, & securitatem crisis; teste Hippoc. quatenus natura recte operante fit, nullà existente resistentiā, dies enim juvans est, non simpliciter necessarius; et si pro expulsione completem facienda conducat, sive astro juvante, ut voluit Galen. sive diei perfectione, ut Pythagoras, sive accessione instigante, & ad motum faciente, ut volumus, & sic non ita præcipuum requisitum est. Galen. 3. de cris. cap. 3. conditiones optimæ crisis adducens, præcipuum dicit coctionem, sic ait; Primum quidem, & maximum bona crisis judicium sunt coctiones. Quod decumplit ex Hippoc. 1. epid. part. 2. text. 45. dicente, Coctiones celeritatem judicij, & securitatem sanitatis ostendunt. Quā ratione nullo alio considerato sic scripsit Gal. 3. de cris. cap. 5. Neminem unquam interemptum vidi qui precedentibus coctionibus crism habuisse: Ergo securitas crisis magis ex coctione penderet, quam ex die, et si ad firmitudinem ejus dies ita faciat, ut si diebus judicatoriis non fiat, recidivam prædicet Hip. 3. prog. text. 24. & alibi pluries, ex eo quod juvamine diei completa evacuatio fiat, non tamen hoc ita necessum est, ut salus sine tali juvamine esse non possit coctione existente, ut quando sine crisi terminatur morbus.

Ad objectionem respondetur quod morbus, qui moventur per pates ex propria natura est longus, ut constabit infra, & sic in sexto nequit bene terminari, hoc est coctæ materia; dum verò morbus acutus per pates movetur, morbo sanguineo secluso, fit propter multitudinem materiae, aut alicuius crassæ permixtæ, ratione cuius accessiones ad pates extenduntur, aut etiam per pates repetunt; quo casu etiam coctione ad septimum fieri non potest, & consequenter in quolibet morbo pari crisi in sexto incoctæ materia fit, pravaque est ex propria natura ob irritationem facultatis. Quid mirum ergo quod etiam si ratione accessionis crisi fiat in sexto, prava sit communiter, non solùm in chronicis, sed etiam in acuto morbo, quia fit irritata natura, ut ostendunt ea quæ posita sunt, quod non tollit aliquando bene terminari, ut visum fuit in Metone materia crudæ existente, & in synochis materia coctæ; qui raro accident, ut docuit etiam Galen. capite 8. lib. 3. de dieb. decret. & c. 4. lib. 3. de cris. & sic ferè semper crisi prava est in sexto, optima verò in septimo.

Ad tertium dicimus quod morbi quibus prouissimae crises sunt intra quatuordecim dies terminentur ex Galen. & isti ab humore bilioso fiant ; ut dictum est , facile , & celeriter moventur , facilèque ad statum perveniunt , verè advenit quod fere semper in septimo jam materia cocta sit , ut in ejus accessione ad expulsione moveatur natura : & cum ex alia parte ipsa non valde labefactata sit , hinc est quod tali die ferè semper optimæ fiant crises , quia regulariter his diebus sufficenter disponitur materia ad eas ; antecedunt tamen dum materia tenuis valde , morbum peracutum faciens propter ejus facilem coctionem , ut Galen. 3. de cris. cap. 4. & 3. progn. comment. 1. sequens Hippoc. in text. & de lib. de cris. dicentem , Placidissima febres , & cum securissimis signis quarto die desinunt , & prius : lethalissima vero , & cum signis horrendissimis quarto die , & prius occidunt , juxta illam doctinam 1. aphor. text. 7. Vbi morbus peracutus est , statim extrelos habet labores , & statim tenuissimo rictu utendum est . Quod ex eo est quia cum facile coquatur , primo die signa coctionis conspicuntur , ut optima crisis in tertio , aut quarto , aut quinto eveneri possit , ut 3. de cris. capite 4. docet Galen. & 3. progn. citato , quod non ita commune est , ut in septimo : dum vero morbus peracutus non est , sed acutus , jam materia non ita facile movetur , nec ita facile vincitur , & sic non coquitur ad septimum , sed ad alium transit diem , nonum scilicet , undecimum , aut decimum quartum & sic deinceps , juxta materiæ aptitudinem , & facultatis robur ; & consequenter cum facultas debilitetur quotidie per morbum magis , & materia crassior sit , propter quod morbus est longior , necessum est , quod post septimum non ita perfectè & completere fiant crises , ut anteà , idè Galenus haec scripsit 1. de diebus decret. cap. 20. & lib. 2. cap. 8. Decretorius itaque fortissimus omnium est dies septimus . Et paucis interpositis : Hac cum vehementissima pugna sunt crises , quæ usque ad decimum quartum diem veniunt , cum minori , quæ ad vigesimum usque pertingunt , inde usque ad quadragesimum magis earum vehementia exsolviunt ab illo die perfectè exoluta redditur . Quid mirum ergo quod septimus dies fortior sit ad judicium , quia sufficiens tempus est pro communi materia morborum acutorum coquenda , & facultas robustior ad expellendum .

Ad quartum dicimus juxta Hippocr. mentem dies judicatorios non magis fieri per septenos , & quartos , quam per tertios & vigesimos , solum est verum quartos esse judicantes septenorum , quia tres dies requiruntur ad coctionem perficiendam sufficenter pro crisi post apparitionem immutationis factæ in materia , dummodò signa anteà coctionis manifestæ apparuerint , ut experientia compertum est : idè dixit Hippocr. 4. aphor. text. 71. Quibus septima die crisis futura est , nubecula rubra appetat quarto die in urina . Et eodem fundamento 2. aphor. text. 24. ait , Septenorum quartus est index , habet enim , ut diximus , septem diebus communiter materia morborum coqui , nî forsitan valde tenuis sit , aut crassa , & facultas immutetur valde , & sic communiter in septimo sit crisis , non ita ante septimum , & plures post ipsum , quia commune valde est ma-

teriam crassam misceri ; & hac proportione diximus ex Galen. questione 9. de tempore crisis , constitutionem legitimam morborum signis coctionis metiri ; ita ut dum signa coctionis obscurè apparent , usque ad manifestam coctionem tot dies debent esse , ac fuerint à primo esse morbi ad illa signa , & à signis manifestæ coctionis morbi principium terminantibus usque ad statum , tot etiam , ac præcessere ; talis enim est natura , ut duplo majori numero dierum perficiat materia coctionem , quam obscura coctione ad manifestam coctionem consumpsit , & consequenter , quid mirum quod tres dies ad ultimam mutationem perficiendam requirantur , ratione cuius , Septenorum quartus est index , sicut probabiliter tali numero dierum materia biliosa corruptitur , & tali melancholia , de quo suo loco , & sic solum verum est indicationem fieri in quarto respectu septimi , non quia verum sit per septimos fieri mutations : nam Hippocrat. 2. aphor. text. 24. decimum septimum diem septimum appellat , et si tertiae septimana quartus sit , quod est non moveri per septimos verè , sed ita numerari facta computatione à quolibet die , ut si undecimus septimus diceretur , à quarto potius appetat , per quartos fieri mutations , juxta naturam humoris , qui vincitur , & alteratur . Propter quod Hippocrat. 3. progn. & lib. de judic. per quartos tantum dies criticos divisit , et si verum sit sufficenter materiam acutorum morborum septem diebus communiter coqui ; aliquando tamen tardius , aut citius ratione majoris , aut minoris multitudinis , aut resistenter materia commixta , & sic annuales , aut menstruales mutations quoad hoc casuales judicandæ sunt , et si negari non possit temporis mutations pro his , aut illis humoribus facere , & consequenter pro his , aut illis morbis , & ipsorum terminationibus , non aliter .

Ad quintum dicendum est quod licet omnes dies critici possint dici quatenus in quolibet potest crisis advenire juxta varietatem motus morbi , propter quod Gal. 1. de dieb. decret. cap. 2. sic scripsit : Indicia enim seu crises ipsa omnibus diebus accidunt , sed nec pares numero , nec ex aquati fide . Nihilominus pro quolibet morbo solus , ille dies judicatorius dicitur , in quo accessio ex propria natura fit tempore conducente pro coctione ; & cum non fiat in instanti coctio , ferè semper septem requiruntur dies pro communi acutorum materia , & sic in ipso crisis ferè semper , et si aliquando tardius aut citius juxta materiæ varietatem : dum vero materia cocta est , aut propter majus naturæ robur , aut propter materiæ parvitatem , seu dispositionem , non est in sexto crisis , donec adveniat in septimo accessio , & etiam quando parum de coctione deficit , sufficit accessio ipsa , ut natura ad expellendum moveatur . Ex quo patet in septimo fieri crism ferè semper , non in sexto , aut octavo in morbo impari , & sic de aliis diebus , post undecimum vero jam materia aliquid includit crassitie , ratione cuius protractatur ad quartanos circuitus ; est enim proprium materiæ quæ ultra decimum quartum protractat morbum naturam melancholia sapere , & sic per quartos moveri , nulli alteri humoris hoc convenit : Et cum experientia constet ultra decimum octavum sic

sic moveri, etiam naturam dicti humoris sapere est dicendum. Idemque de septimo dico respectu morbi imparis, ita ut diebus intermediis etiam si materia cocta sit defectu accessionis non excitetur natura ad expellendum, ut fiat crisis: diximus tamen accessionem fieri illo die in quo humor proprium circuitum habet.

Contra hoc tamen est, quod licet verum sit moveri per quartos usque ad quadragesimum, non constat ex doctrina dicta cur post ipsum non constituantur dies critici per quartos, sed per vigesimos, ita ut primus judicatorius post quadragesimum sit sexagesimus, & posteà octagesimus, & sic deinceps ex Hippoc. nam accessiones non ita fiunt, sed quotidie, aut per ternarios aut per quartos: præterea quia adhuc dierum criticorum à vigesimo quarto ad quadragesimum non datur sufficiens causa; non enim est necessum semper aliquid melancholicum esse permixtum, ut tales circuitus dentur; & quamvis sit, non sufficit accessio diebus intermediis; ergo non est cur quartis tantum tribuatur.

Secundò, quia licet usque ad vigesimum per quartos fieri appareat, à vigesimo non fiunt per quartanos circuitus: nam ab ipso ad vigesimum quartum quinque dies sunt, & quartanus circuitus solum duos dies habet medicos, quod idem constat à vigesimo septimo ad trigesimum primum: ergo non servat quartanos circuitus.

Ad primum dicendum hoc dubium locum habere etiam in opinione Gal. & Pythagoræ, quia non est cur virtus langueat in aliis diebus, & non post vigesimum: respondetur tamen quod morbi qui ultra quadragesimum procedunt crassam arguunt materiam, & debilem facultatem; & sic non sunt apti pro crisi, ut Gal. 3. progn. comment. 24. sic. Sapè dictum est, ut morbi, quos humores commitunt calidiores, cùm agri viribus valentioribus per excretiones judicentur, his contraria sunt affectiones in quibus facultas debilis est, & humor frigidus, qua nec excretione; nec abscessu judicantur, sed aut corrumpunt agrum, aut per quam longo temporis spatio vix coquuntur; porro inter has media incident, qua per abscessus finiuntur. Ergo nil mirum ut post quadragesimum raro sint crises, ut docet etiam 1. de dieb. decret. cap. 10. fiunt tamen in qualibet accessione natura ad pugnam excitata, & solum dum valida est, sufficienter reparatur, ut tertio aut quarto die pro expulsione valeat, post quadragesimum languida est: Et cùm materia crassa sit, non sufficienter robatur ab illo, quod patitur in quadragesimo, & sic expulsionem non fecerit, nisi per multum tempus, hoc sit vigesimis diebus parum, magis, minùsve: propter quod Galen. capite 10. citato alios dies decretorios prædictos, post quadragesimum inquit ab Autoribus adduci, quod est propter diversitatem reparationis facultatis, et si communiter modo dicto fiat.

Ad secundum respondetur quod communis criticus circuitus ab undecimo per quartos fit ob rationem dictam, dum verò id melancholicum permixtum non est, non erunt tales circuitus, nec dies critici erunt, tamen tunc per tertios, adducuntur verò dies secundum id quod commune magis est; & quamvis diebus intermediis sint accessiones, non excitabunt ad pu-

gnam, ut illæ, quæ juxta naturalem motum humoris, & morbi sunt, nisi violentia aliqua fiat symptomatica evacuatio.

Ad ultimum dicimus quod licet verum sit à vigesimo ad vigesimum quartum, & ad vigesimum septimum, & ad trigesimum primum, tres mediare dies, hoc non evertit doctrinam positam, quia hoc procedit juxta diversitatem incipiendi circuitus per quartos: nam qui incipit in decimo quarto usque ad vigesimum terminatur, qui decimo quarto non incipit, tertianos circuitus servat usque ad vigesimum primum, quia per impares movetur, & per impares terminatur, aut incipit circuitus per quartos die vigesimo quarto, & terminatur in trigesimo: si vero non incipiat in vigesimo quarto, servat tertianos circuitus usque ad trigesimum primum, & incipit per quartos die trigesimo quarto, & sic procedit, ratione cuius Hippoc. i. epid. & Autores communiter dies criticos numerant ab undecimo diverso valde juxta varietatem inceptionis per quartos, jam decimum tertium, jam decimum quintum, & decimum septimum, & decimum octavum, & vigesimum, & vigesimum primum, & sic de aliis, & consequenter Hip. dies impares adducens ultimū posuit trigesimum primum; quia solum usque ad ipsum morbus movetur per tertios impares, pro paribus vero centesimum primum posuit, quia usque ad ipsum servatur motus per pares. Quid sit moveri per pares, aut impares, infra constabit.

Dices: coctione existente natura movetur ad expellendum, ut docet 3. de dieb. decret. cap. 8: sed non implicat sexto die materiam morbi coctam esse, aut propter robur facultatis, aut propter parvitatem materiae; ergo in ipsa erit crisis optima, etiamsi morbus moveatur per impares. Patet: quia non est, cur talis expulsio præve fiat: nec valet respondere naturam sexto die non expellere, quia non est accessio excitans, non implicat etiamsi morbus per impares moveatur quod adveniant accessiones aliae diebus paribus per quas excitetur ad expellendum quod intelligendum est de quolibet die pari in morbo impari.

Respond. tamen quod etiamsi coctione possit in qualibet die dari perfecta, non excitabitur natura ad expulsionem, nisi dum ipsa secundum naturalem motum movetur ad accessionem faciendam, & ab ipsa excitatur. Quod si forsitan accidat excitari ad motum, vel vi alicuius accessionis additæ, vel alicuius alterius irritamenti, crisis fiet bona, non tamen omnino perfecta, & secura, quia sit natura ad expellendum vi irritationis commotæ, non ex se.

Advertisendum tamen est, quod cùm accessiones adveniunt in die pari, quæ valeant excitari pro crisi, quando morbus est impar, aut fiet parva crisis ante tempus coctionis propter irritationem quam illum aditum causat, aut expectata coctione fit in die motus proprij morbi, et si aliquid immediatè perficiendum resultet, dummodò parvum sit, non enim quælibet accessio pro crisi movet, sed quæ iritat plusquam valet tollerare facultas, materiā in summa coctione existente, ideo primæ accessiones, et si validæ sint, cùm naturam robustam inveniant, & indispositam materiam propter cruditatem crism non movent, nisi molestè, & validæ sint, & tunc sym-

promaticas causant evacuationes: dum verò deinceps, accessiones procedunt, cùm natura debilior fiat, facilius irritatur, & pro expulsione moveatur, crisiēsque sunt juxta materiae dispositionem. Totum quod Gal. docuit 3. de diebus decret. c. 8. in quo postquam docuit crisiū fieri in sexto anticipatam, pravam, ratione alicujus irritantis in morbo impari, & in illo qui deteriores habet accessiones per pares, sic scripsit. *Hi etiam secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos; etenim in secundo die natura quodammodo valida est, item in quarto adhuc valida magis quam in sexto, sed non in certamen venire audet; at in sexto accessionis vehementia frequenter eam ad certamen provocat.*

Ad ultimum dictum est Hippoc. locutum fuisse juxta commune placitum de causa dierum criticorum dum dies criticos non esse numerandos docuit, et si ex se causam crisis accessiones dixerit, cùm nullo alio respectu considerato doceat morbos terminari per dies per quos moventur; solum solvere restat ea, quae adversus Gal. posuit Planterius.

Dicemus ad primum, quid etsi morbi acuti per tertios moveantur, cùm ab undecimo moveantur plures per quartos, recte docet Galenus magis judicatorium esse vigesimum primum, quia in vigesimo terminantur morbi omnes pares, qui permutantur per quartos ab undecimo.

Ad secundum decimus in vigesimo terminari morbos diuturnos qui alias terminatur erant in undecimo, aut decimo quarto, & facta mutatione pro quartos ad vigesimum fuerunt prolongati, morbi tamen qui in vigesimo primo terminantur, quia per tertios moveantur ad ipsum breves sunt, qui ab ipso per quartanos circuitus prolongantur ad trigesimum, ut constet breves debere dici quia vigesimo primo terminantur, respectu terminationis propriæ erunt diuturni, qui vigesimo respectu propriæ terminationis.

Respondetur ad tertium esse jam dictum quod etsi plures sint morbi impares quam pares, quia illi ab undecimo per quartos moventur, & terminantur in vigesimo plures crises in ipso sunt quam in vigesimo primo.

pares, aut impares ad præagiendum de terminazione morbi, examinare licet, & in primis videtur nullam dari posse: nam moveri per pares, aut impares solum est, quia portio accessionem faciens secundo die, major est, quam illa quæ pro accessione tertij diei conductus; aut quia accessio tertio die facta deteriorem sui partem in quarto habet, & sic de aliis, aut è contraria: sed totum hoc evenire potest ab eodem humore eodem modo putrefacto cum ejusdem viribus subjecti: ergo nulla differentia in morbis est attendenda penes hoc quod moveatur per pares, aut impares. Majorem ostendit quoad repetentiam per pares Galenus 3. de diebus decretor. capite 8. per hæc verba. *Inviadunt quidam morbi secundum diem primo graviorem habentes, quartum tertio & totas accessiones in diebus paribus, &c.* Quo ad partem accessionis per pares ostendit Valles. 1. epid. citato in comment. Minor nullam includit repugnantiam; ergo nulla differentia est attendenda in morbis penes hoc, quod moveatur per pares, aut impares.

Hanc doctrinam confirmat Galen. 3. de dieb. decret. cap. 8. in quo omnes dies primæ septimanæ à secundo judicatorios appellat propter accessionis vehementiam, quia in omnibus possunt vehementes fieri accessiones, & ad hoc posuit exemplum, sive morbus moveatur per pares, sive per impares, ita ut quomodolibet moveatur morbus sit peracutus: sic scripsit; *Accessionis vehementia crisiū alio, quam statū tempore fieri compellit. Quare in omnibus ferè diebus peracutos morbos judicari, videre licet: quoniā ultimus ipsorum dies decretorius est septimus, & ante hunc non quartus modò, sed etiam tertius, quintus & sextus aliquando decernunt.* Quod dicit evenire in continentibus febribus, & in illis, quæ per circuitus repetunt, pares, aut impares sunt, quod est necessum ut crises diebus omnibus concedat: ergo nulla differentia deducitur penes hoc quod morbus moveatur per pares, aut impares. Quod videtur docuisse Hippoc. 4. acut. text. 63. per hæc verba. *Signa multa diebus imparibus magis, quam paribus deprehenduntur, quamquam utrolibet evenient pernicioſa accensenda sunt: quasi dejiceret, non deteriora fieri accidentia quocumque die eveniant, ac per consequens nulla diversitas est prædicenda penes hoc quod morbus moveatur per pares, aut impares.*

Præterea probatur ratione: nam morbus potest differre, vel quoad acutiem, vel quoad securitatem, hoc est quatenus brevis, aut longus est, cum periculo, vel sine illo; sed omne hoc potest esse quomodounque morbus moveatur: ergo nulla est differentia ex hac parte. Major constat, cum de morbis agamus in quibus crisis evenire contingit: & licet acutis propriæ crisi terminari conveniat, etiam longos plures crisi terminari docet Gal. 1. de die. decret. cap. 10. Minor probatur: nam esse morbum peracutum, sive moveatur per pares, sive per impares, ostendit Gal. 3. de dieb. decret. c. 8. adducens morbos, qui in prima septimana terminatur; sic ait, *Omnis dies post morbi principium in peracutis, propter accessionum vehementiam decernere videntur. Universi autem tales morbi alterum duorum habent, vel Synochum vel febrem aliam, quæ etsi manifestas habeat inclinationes, & accessiones, non tamen ter-*

## QVÆSTIO VI.

### De morbo pari, & impari, & eorum diebus judicatoriis.

**H** Y P R. I. epid. part. 3. text. 14. expref-  
sè docet morbos, alios esse pares, alios  
esse impares, & eorum dies decretorios  
appellat pares, aut impares, juxta cuiuslibet motu, sic scripsit, *Quæ diebus paribus exacerbantur, paribus judicantur, quorum verò sunt in imparibus, in quam accessiones in imparibus judican- tur.* Docet ergo morbos alios esse impares, alios pares, ratione dierum in quibus accessiones habent, & in ipsis judicia similiter fieri. Totum quod repetit plures Galenus, præcipue 2. de diebus decretor. capite 6. nunquid alia sit differentia in hoc quod est moveri per

io quoque die manifestas tantum habet, verum in ipsorum dierum quoque mediis. Et infrā. Invadunt quidam morbi, secundum diem primo gravorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus. Docet ergo morbos peracutos esse, sive moveantur per pares, sive per impares: quod idem dicendum est de longitudine, & periculo: ergo nil diversum est prædicendum in morbo pari in contrapositionem imparis, præter diversitatem diei, motus, & crīsis.

Ex eo præcise quod per pares, vel impares moveatur morbus, optimè judicari, vel secūs, voluerunt plures, & sic ex motu morbi optimè, vel pravè judicari prædicendum esse; quod deducit ex Hip. 4. aphor. text. 61. sic dicente, Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare: Et consequenter text. sequenti, sic morbos regius ante septimum malum, si verò septimo, vel nono, vel undecimo, vel decimo quarto bonum: Intelligit tamen per decimum quartum, secundum septenarium: quā ratione locutus fuit tex. 36. dum dies sudoris optimos enumerat, & ideo text. 29. sic dixit: Quibus in febribus sexto die rigores sunt, & difficile judicium sequitur, in quo sensu locutus fuit 4. acutorum text. 63. dum de signis criticis sic scripsit, Et hujusmodi signorum plura diebus imparibus, potius quam paribus deprehenduntur. Et infrā sic ait: Id verò salubrius est si paribus eveniet diebus, quippe in decreto perniciōsum est, quasi diceret, in diebus paribus nulla est crīsis, in diebus tamen imparibus, quippe judicatorij sunt, signa prava perniciōsaque sunt: ergo de mente Hip. dies impares sunt considerandi in morbis tanquam judicatorij. Quod sequens Gal. 3. de dieb. critic. c. 8. sic scripsit, Vere acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim, & accessiones sunt. Et consequenter 4. aphor. text. 56. ait, dies impares multā pollere virtute, non simpliciter, sed in acutis morbis est intelligendum super illa verba Maximè verò numerus impar est observandus, idē Avic. f. 2. lib. 4. tract. 2. cap. 2. sic ait, Et impares fortiores sunt secundum plurimum: & cap. 10. sic, dies impar melior est, ex eo quod moveatur de aggritudinibus in die impari: ergo attendendus est motus morbi, an per pares vel impares sit, ut inde cognoscamus an crisis judicandus feliciter, vel secūs.

Nobis tamen videtur dicendum morbum parem duo habere, duōque esse prædicenda per eum, non dico ex eo pendere simpliciter, sed cum hoc quod esse moveri per pares ferè semper duo conjungi, vel esse morbum longum, vel esse periculōsum magis, vel deterioris moris, quam morbus qui per impares moveatur. Primum docet Gal. 4. aphor. comment. 36. in quo postquam docuit morbos acutos per tertios moveri, accessionesque per impares habere communiter, sic ait, Didicimus autem quod in vehementioribus accessionibus iudicia sunt, & quod morbi, qui in diebus imparibus accessionem habent, citius iudicantur: qui verò paribus tardant. Atque ideo si etiam in principio aliquis morbus exacerbatur, hoc magis accidit in diebus imparibus: si tardare debeat, ad dies pares vehementiores incident accessiones. Ergo ex eo quod moveatur per pares longiorem morbum prædicere debemus, quam si per impares moveretur: Idem Avic. f. 2. lib. 4. tract. 2. c. 3. sic ait: Et scias, quod aggritudines, qua paroxysmos faciunt in imparibus sicut tertiana, & plures acuta, sunt velocioris

crīsis, & ille que faciunt paroxysmum in paribus sunt tardiores: ergo solū ex eo quod morbus moveatur per pares, vel impares, longitudo, vel acuties est prælagienda.

Ratio autem propter quam morbus qui per pares moveatur longus est prædicendus si alia signa non adsint eum acutum ostendentia, est quia bilis motum proprium habet per tertios, quatenus ex propria natura tertio die sufficienter accumulatur, & putrescit, ut accessiones faciat: ergo morbus qui moveatur per pares, dum alia bilis excessum ostendentia non sunt, ab humore crasso dependet. Patet: nam si bilis per tertios habet moveri, & die primo accessionum causa, per impares debet cauſare circuitus, ut 3. de die. decret. cap. 8. ergo ut ad pares extendatur accessione, crassa debet esse materia, vel tanta multitudo, ut una die resolvi nequeat, ac per consequens morbus, qui per pares moveatur, longus debet esse, quia materia crassa vel multa non potest nō longo tempore vinci. Ideo Vall. 1. epid. p. 3. solū longitudine differte scripsit morbum parem ab impari, nec ob aliam rationem Hip. sudorem frigidum cum remissa febre longum morbum prædicere docet 4. aphor. text. 37. & 1. prog. text. 38. nō quia à materia frigida & crassa pendet, quæ non nō longo tempore vincitur, ut Gal. in comment. ergo morbus per pares longus est, quia à materia crassa procedit.

Dices: morbus longus, vel moveatur per pares, quia per quartos, seu quotidie moveatur, vel quia per tertios: sed neutrum est moveri per pares; ergo nullus moveatur per pares. Major patet, quia non aliter morbus omnis moveatur communiter (dixi communiter ppter quintanam, sextanam, & septimanam) Minor probatur: nam quotidie sunt accessiones non magis paribus quam imparibus; quæ verò quarto die tam die pari, quam impari sunt, cum alia quarto, alia septimo eveniant, & sic deinceps; ergo per hos motus non magis pari quam impari sunt accessiones. Quod verò accessiones per tertios non sint per pares, probatur: nam morbi acuti per tertios moventur, & per impares habent accessiones: ergo nullus motus est per pares. Antecedens ostendit Gal. 3. de dieb. decret. c. 8. sic Vnde acutorum morborum in diebus imparibus judicium contingit, in his enim & accessiones sunt. Hujus reddens rationem infrā repetit, quod 4. aphor. comment. 36. dixerat, hoc est, Morbi peracuti primam statim accessionem vehementissimam habent, & ipsi proportionalem eam que die tertia fit: ergo moveri per tertios est moveri per impares. Clarius cap. 8. postquam dixit morbos acutos moveri per tertios, sic ait: Si enim ponamus, ut etiam apparent, secunda ab initio accessio ad tertium diem dilabetur, tertia ad quintum, quarta ad septimum, quinta ad nonum: Omnes autem in impares incident: ergo morbus longus nullus est per pares.

Respondebit aliquis, morbum longum moveri per pares, eriam si accessiones alias in diebus imparibus eveniant quando moveatur quotidie per quartos, quatenus circuitus per dies pares sunt, à quarto ad quartum, vel singulis diebus, nullā attentione ad impares existente. Quod videatur docuisse Gal. c. 8. citato explicans quid sit moveri per impares, sic ait, Quæ igitur causa sit ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum accessiones sunt, in longis autem, vel quotidie, vel quarto, non promptum est invenire: nec

*in presentia disquirere necessarium.* Quasi diceret: acuti per impares moventur, quæ sit causa, ut quam acuti per impares moveantur, & longi per pares, non est hujus loci: ergo moveri per tertios est moveri per impares, & moveri aliter est moveri per pares.

Hæc tamen responsio admittenda non est: nam si moveri per quartos, vel quotidie, esset moveri per pares, quia circuitus sunt per pares dies, hoc est per quartos, & singulos talium circuitum dies, deberet numerari per pares; sed sic est, quod Hip. I. *epid.* quem sequitur Gal. & communiter Medici solùm numerant pares dies, qui verè sunt tales, ergo moveri per alios non est moveri per pares.

Respondebit alius: moveri per tertios habere locum etiamsi morbus per pares, vel impares moveatur, quatenus secunda accessio minor est primâ, & tertia primæ respondens; vel è contrâ quatenus secunda est in maior prima, & quarta respondens secundæ. Quibus in casibus primus morbus erit per impares, quia imparibus majores adveniunt accessiones, & alius erit per pares, quia in diebus paribus accessiones majores sunt, quod docuit etiam Gal. cap. 8. citato, in quo ad probandum sextum diem decretorum esse, postquam dixerat morbos acutos moveri per tertios & impares, sic ait. *In vadunt quidam morbi secundum diem, primo graviorem habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus:* ergo moveri per tertios & per pares potest coincidere, ut coincidit etiam moveri per tertios & impares.

Hæc tamen solutio non videtur sufficiens: Nam moveri per tertios est quia, illi tres dies requiruntur ut humor sufficiens conjugatur & disponatur ad faciendam accessionem: tunc sic argumentor, vel moveri per tertios est proprium aliquius humoris, biliosi scilicet, vel cuiilibet commune: si proprium, ergo non competit humor facienti morbum longum, ac per consequens, nec ipse movebitur per pares, quatenus moveri per tertios est moveri per pares, quia bilis morbum longum facere non potest, cùm septem circuitibus exquisita terminetur tertiana, quæ à bile provenit, ex Gal. I. ad Glanc. c. de tertiana: si autem commune sit moveri per tertios cuiilibet humoris, non magis conveniet morbo longo quam brevi, & sic moveri per pares non ostendet morbum longum.

Nobis tamen videtur dicendum moveri per pares nil aliud esse quam moveri per dies, qui verè sint pares, quales enumerantur ab Hip. & hoc esse quatenus morbus movetur per tertios & accessionem, seu deterior, & major ejus pars ad diem parem evenit, id est quatenus accessionis primo die factæ plurimum, ad secundum devenit, & secundæ accessionis plurimum ferè semper ad quartum: dixi ferè semper, quia etiam contingere potest accessionem secundi diei deteriorem, & majorem esse primâ, & accessionem quarti majorem tertiam, ut cap. 8. docuit Galenus: attamen communiter durante accessione prima ad secundum diem fit: Et cùm hoc non possit esse nisi propter crassitatem, vel multitudinem humoris accessiones multiplicantis, vel durate facientis; hinc est quod morbus longus sit prædicendus quoad salutem saltem, quia non nisi longa duratio vincit potest: Ideò Vallesius I. *epid. citato,* non aliter deteriore judicat morbum parem impati, nisi quatenus morbum significat longiores

accessiones habentem: & cùm ex alia parte morbus per dum accidentia non sunt, multam bilem ostendentia ab humore crasso dependeat, quia quando multitudo non adest, solam materiae crassitatem significat, meritò dictum est longitudinem, vel periculum significare illud quando morbus acutus per alia non significatur signa, hoc quando significatur, quia morbus acutus à tanta multitudine proveniens quoad diem parem accessio protrahat, vel secundo die altera adveniat, vinci non potest brevi tempore.

Totam hanc doctrinam docuit Galenus 3. de die. c. 8. sic, Secunda peracutorum differentia, eti per triduum magnas habeat accessiones, & veluti principia circuitum, medius ipsorum dies tantam in peracutis morbis afferat accessionem, ut magnis aliorum morborum accessionibus, nihil sit inferior. Quasi diceret eti per tertios repeat morbus, & principium circuitus habeat dies medius accessionis, habebit partem tantam, ut alij magni morbi, quod significant illa verba, Principia circuitum per tertios: nam si tota accessionem qualibet die consumeretur, cùm nihil aliud sit circuitus, quam accessionem, non diceret principium circuitus: ergo cùm dicat per tertios esse principia circuitus, & diem medium tantam accessionem habere, ac in aliis morbis ad diem parem accessionis devinire significat, seu majorem ejus partem, hoc est paroxysmus; vocatur enim à Gal. I. aphor. comment. 12. paroxysmus deterior totius circuitus pars. Quod videtur significare in ipso cap. 8. ubi alio modo crisim pravam in sexto concedit, sic ait: *Pessima verò crisim secundum aliam rationem sexto die accedit, invadunt quidam morbi secundum diem, primo graviorem habentes, & totas accessiones in diebus paribus.* Quasi diceret, uno modo sit quando accessionem incipit die impari, & ad parem durat deterior ejus pars: alio quando tota deterior accessionem die pari fit. Ergo de mente Gal. utroque modo morbus movetur per pares, etiamsi per tertios moveatur, & quia secunda accessionem deterior est primâ, & quarta deterior tertiam: Et quia accessionem diei imparis ad parem ostenditur, quo modo crisim fieri in quarto, etiamsi raro, docuit 3. de cris. cap. 4. sic ait. Continua febres, quæ in accessionibus crisim habent tertio die, vel quinto rationabiliter finiuntur. Nam, si quandoque etiam quarto judicantur, ratione ejus accessionis, quæ tertio die fit, id patiuntur. Docet ergo accessionem diei imparis ad parem extendi, & sic per pares moveri tunc, cùm afferat in quarto judicari ratione accessionis diei tertio, & crisis in die accessionis sit, quid mirum ergo quod longitudo prædicetur ex motu per pares, cùm vel crassitatem materiae significet, vel multitudinem humoris per tertios accessiones facientis, quæ facilè vincit.

Ex dictis patet quod dum motus per pares conjunguntur cum signis morbum acutum ostenditibus, vel multitudinem bilis, periculum magis sit prædicendum quam dum per impares est: tum quia periculosus magis est morbus ab humore calido dependens, quam à frigido: siquidem ille celeriter movetur, & accidentia ejus molesta sunt magis, quia ab humore activo, & irritanti magis procedunt; morbus verò à frigido humore proveniens, minus activus est, lenteque agit, & motam habet, ut à natura vincatur: ideò Hip. I. *prog.* sudorem frigidum cum acuta febre mortem significare docet, cum mitiore verò longitu-

# Quæst. VI. De Morbo pari & impari, &c. 291

longitudinem morbi. Et de tumoribus agens text. 33. calidum, & ab humore calido pendentem periculosem appellat, non ita illum, qui ab humore frigido pendet. Cum ergo morbus qui per pares movetur, dum accidentia sunt ipsum acutum ostendentia ab humore calido procedat in magna quantitate, nil mirum quod periculum ostendat majus quam qui ab eodem humoris accessiones habeat per impares, quia non tantam ostendit causam, cum secundum naturalem motum ejus ita fiat, & cum ex alia parte dum dicta signa non sunt, hoc procedat propter naturalem humoris crassitatem & frigiditatem, dictum est merito moveri per pares, ostendere, aut morbi longitudinem, vel periculum magis quam dum morbus per impares moverur. Et ob hanc rationem Vall. comment. 13. & 1. epid. sic ait: *Quo fit ut tanto deterius sit moveri acutum morbum per pares quanto deterius est, quamcumque exacerbatione esse longiore.* Quasi dicerit ceteris paribus, morbus par, deterior est impari, quia crassitatem majorem, vel multitudinem ostendit ejusdem causæ; est enim proprium cuiuslibet humoris suos habere circuitus, & sic cum ad alios extenduntur, multitudinem ostendit intra eandem lineam.

Hanc doctrinam dedit Hip. 1. epid. p. 2. text. 75. in quo adducens morbos illa tempestate venientes dicit, ipsos signa habere quibus mortales esse significabatur, & inter signa adducit moveri per pares; sic ait, *Cum igitur febres ardentes inciperent, significationem de se præbabant, quibus pernicietes immineret: statim enim ab initio febris acuta, parum insuper rigebant, vigiles erant, exacerbationes in diebus paribus: plurimi quarta die dolores maximi, nec recidiva ulli horum advenit, sed sexta die cum sudore moriebantur.* Docet ergo moveri per pares esse signum ostendens morbum esse mortale: in cuius comment. Galenus sic ait. *Iam accessiones cum diebus paribus sunt à principio statim, interim ad sextum diem pessimum iudicium fore pronuntiant: interim in longum producendum morbum.* Quasi diceret morbum per pares, vel mortem, vel longitudinem significare; illud cum prava signa sunt acutum ipsum ostendentia; hoc cum non ita: quod significavit his verbis: *Si admodum moveantur quarto die pravam habente accessionem, ad diem sextum de vita recedunt, ut hi de quibus sermo habetur, id est si quarto die pravum signum sit, mors est prædicta, ut in his, quos adduxit.* Hip. ergo motus per pares in acutis, mortem, in aliis longitudine significant. Præterea Hip. 4. acut. text. 57. sic ait, *Si febris exacerbetur in tertium diem, consideranda sunt tertiana, exacerbationes: dixerat 7. aphor. text. 66. tales febres esse periculosas, & in hoc textu 57. addidit haec, Quin etiam, alia quedam inspicere oportet. Nam si dies quarta in aliquo iam dictorum fuerit similis tertio, scire vult infirmum in periculo versari.* Quasi diceret periculosa est febris continua per tertium repetens; at quarta similis tertiae, infirmum in periculo significat: est enim motus per pares in tali casu, & significat in morbo acuto qualis est qui per tertios repetit multitudinem causæ, & sic periculum majus, id est dicit si moverit per tertios & quartos est tertio similis: nam ubi non est motus per tertios non significatur morbus acutus, & sic quarto incrementum, longitudinem, non periculum demonstrabit. Quod significavit Gal. in comment. dicens malum signum esse quia optimi est pravum signum, & quia novam ac-

cessionem significat præter debitum morbo, quod est multam esse causam, sic ait, *Nempe quartam diem, que septima est index, rem novam edere ex gravibus est notis. Rei autem nova editio, designatione patet omnibus: nam si prima die, & tercia accessio fiat; & secunda facta nequaquam fuerit, quod quinta accessionem habitura sit, pars est, & non quarta. Quapropter si quarta habuerit, mali cuiuspiam alterius generationem demonstrat.* Docet ergo malum esse motum illum per pares, quia morbus acutus ex propria natura solum per tertios debet habere accessiones, & sic dum quarto eam habet, novum est quid malum alterum ostendens.

Quartum diem pravum mortem in sexto significare dixit eodem fundamento Hip. 1. ep. tex. 75. & Galenus in comment. & 3. de dieb. decret. c. 4. & 11. non solùm quando morbus moverit per pares, sed etiam per impares; quod ex eo debet esse quia talis motus jam per pares est; quæ ratione etiam Hipocrat. 1. coacarum in principio, sic ait. *Febres tertiana naturam referentes erroneæ, impares dies translapsæ, difficiles sunt.* Quasi dicaret febres tertianæ, quæ per tertios moventur; si per pares accessiones habeant, difficiles sunt; difficile quidem idem significat, ac mortale, vel longum, & sic longas; vel mortales eas prædicat. Quod difficile mortem, vel longitudinem ostendat, docuit Galenus 4. aphor. comment. 29. super illa verba, *Quibus in febribus sexto die rigores sunt, difficile iudicium sequitur;* sic ait: *Difficile habere iudicium, hoc est, vel malum afferre iudicium, vel non firmiter, vel longum tempus:* cum Hip. de morbo impari in parem mutato dicat difficultem esse, longitudino, aut malitia est prædicenda.

Dices: videtur morbum parem non posse fieri à multitudine causæ facientis morbum acutum, & sic non esse prædicendum periculum majus. Patet: nam bilis, quæ morbos acutos feret semper facit, per tertios repetit, quia per tertios habet commutari, & corrupti sufficienter pro acceleratione, ideo per tertios repete docet Galenus comment. 36. lib. 4. aphor. sed si quotidie repeteret, quotidie debebat corrupti; ergo non est dicendum etiam per pares facere accessiones, aut non est dicendum per tertios corrupti. Præterea: nam si moveri per pares, febres quæ per tertios repetunt, periculosem est, sequitur magis periculum esse morbum dum ab undecimo per quartos ad vigesimum transit, quam antea dum per tertios, tantum movebatur: sed nemo dixit morbum eundem periculosem esse, post decimum quartum quam ante; siquidem desinit esse acutum, vel saltem ejus activitas languet: ergo non est dicendum morbum esse periculosem ex eo quod moveatur per pares. Tandem Hip. 4. acut. tex. 56. ait: *Maxime vero numerus impar est observandus: quod alij vertunt, Maxime vero impares dies metuendi sunt qui videlicet agros in diversas affectiones distractare consueverunt.* Videtur ergo deteriorem esse motum per impares: quod significavit ipse Hip. text. 68. sequenti, nam postquam dixerat signa prava magis apparere in imparibus, ait sic, *Salubrius vero est si paribus eveniat diebus, quippe in decretoriis perniciosum est.* Quo fundamento videtur loqui text. 62. dum dixit. *Cum autem in febribus quinta die terrificum quidpiam fuerit, & animi defectus, paulo post inflati moriuntur.* Docet ergo motum per impares deteriorem esse.

Ad primū resp. quidquid sit de motu febrium per circuitus, humorem biliolum, qui ex se, & ferè semper movetur per tertios nī valida dispositio morbos, aut quantitas ad hoc faciat, cùm motus est per pares, periculum ostendere majus, quod multitudinem dicit propter quam, aut durant accessiones ab impari ad parem, vel die pari etiam eveniunt, vel quia quotidiè propter intensum vitium morbosum corruptitur, & propter multitudinem conjungitur, sive quia diversus est focus, ratione cuius per diversos tertios repetit circuitus, alius per pares, alius per impares, arguit tamen utrumque multitudinem, & vitium maximum, & consequenter periculum.

Ad secundum respondet dies impares esse metuendos ex Hip. quia loquebatur de morbis acutis, qui ex se per impares moventur communiter; et si alterum aliquando accidat, ex eo quod talis est motus proprius bilis, à qua morbus acutus procedit, quo sensu loquitur locis sequentibus, & 4. aphor. text. 36. & 61. dum febres in diebus imparibus terminari docet, ut constat comment. 56. in quo Galenus ait sic, *Dies impares multā pollere virtute non simpliciter, sed in acutis morbis est intelligendum*; quasi dicaret dies impares non esse abolutè considerandos, sed in morbis acutis quatenus ipsi communiter per impares moventur, quæ cùm simpliciter necessarium non sit comment. 61. per dies impares judicatorios esse intelligendos docet.

Ad tertium dicimus quod dum Hip. dixit moveri per pares esse signum ostendens morbum mortalem, non dixit quomodo libet, sed cum aliis signis pravis acutum morbum ostendentibus, quod docuit Galenus, comment. 75. 1. ep. p. 2. sic. *Accessiones cùm diebus paribus sunt à principio statim, Interim ad sextum diem pessimum judicium fore prænuntiant; interim in longum producentum morbum. At si admodum moveatur quarto die pravam accessionem habente, ad diem sextum de vita decedunt.* Docet ergo morbum parem non ostendere mortem, nī quando à principio talis est & prava signa sunt; ideo diximus unum, vel alterum significare; dum verò naturali motu per quartos movetur ab undecimo, nec à principio, nec absolutè, est pravis circuitus per quartos in omnibus eveniat diebus: præterquam quod non tollit talis motus morbum suas habere accessiones, quales habebat anteà, solum tamen habet illas manifestas esse magis, & molestiores, propter quod pro crisi faciunt.

Dices: contra hoc stat Hip. 1. coac. sic scribens: *Febres tertiana naturam referentes erronea, in pares dies translapsa, difficiles sunt.* Quibus verbis videtur significare tales febres primò fuisse tertianas per impares repetentes, & postea ad pares mutari, cùm dicat *in pares translapsa*.

Resp. Hip. non significare prius fuisse tertianam, sed tantum docere febres tertianas ad pares translapsas erroneas difficiles esse, quasi dicaret febres, quæ per tertios repetunt in diebus paribus sunt febres, naturam tertianæ erroneæ referentes, quæ difficiles sunt; est enim proprium tertianæ moveri per impares: cùm ergo ad tertios pares transferri naturam inpropiè habet tertianæ; quid mirum ergo quod dicat naturam tertianæ erroneæ habere, quia per tertios pares movetur, & ex alia parte difficilem esse.

Hic habet locum id quod Fracastorius de hu-

more melancholico dixit, non quod causa sit die tum criticorum, nec quod necessariò putrefat ad ipsos in omni morbo; sed quod plures per pares circuitus efficiat, cùm motus per quartos plures habeat per dies pares. Verum enim est plures multum melancolæ corrupti in pluribus morbis acutis, ratione cuius deterioris moris resultant, periculosioresque sunt molestissimis accidentibus, in quibus etiam plures apparent circuitus inopinati per quartos, quod pessimum signum est, quia humor est valde nocivus nostræ naturæ temperie contrarius, prava inducens accidentia, propter quod dum ejus complicatur putredo, anxietas est major, difficultè febres solvuntur, cor patitur, & cerebrum, spiritus corruptuntur, & plura alia pravae naturæ eveniunt, cùm ejus corruptione connexa; ideo Hip. 3. aph. text. 9. sic scripsit, *Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte, quod repetit 1. epid. p. 1. text. 5. & ex eo est, quia ipsorum materia prava est, & nostræ naturæ inimica valde nam licet ob bilem uestam ab æstate resultantem evenire dicat Galenus in comment. etiam ob pravitatem humoris tunc excedentis procedere docet comment. 22. eiusdem lib. dum morbos autumni proprios enumerat, quos procedere ab atra bile dixit: quid mirum ergo quod quando illius aliquid permiscetur, in morbis prava inveniantur accidentia, & morbus periculosus resulteret magis.*

Vall. 2. epid. comment. 5. citato, ita verum judicat morbos acutos à melancholico humore pendentes deteriores esse, ut reddens rationem cur exitiales sint autumnales morbi, sic dicat: *Vi festivales acutiores, ita autumnales magis lethales sunt, quia succi autumnales crassiores, sed deteriores speciei, atrabiliori enim.* Et consequenter assentit perituros, perire citius autumno, quam aestate, et si tardius liberantur. Dicendum ergo est deteriores esse morbos in quibus aliquid melancholæ conjungitur; & cùm hæc motus habeat per pares, et si non omnino ea ex parte, qua ad motum per pares facit, ad periculum majus conducit; ac per consequens dicendum est motum per pares periculum majus ostendere, vel longitudinem, dum morbus non est acutus; ideo sic scripsit Vallesius *Sunt enim autumnales, mortales, vel difficilis judicij.*

Eluescere concursum melancholicum in pluribus morbis, præcipue in his, qui prolongantur, ostendit manifestè motus omnium morborum ab undecimo ad decimū quartum, in quibus per quartos dies critici constituantur non solum ex Hip. 1. ep. & lib. de indi. verū & ex Gal. 1. de dieb. decret. c. 5. & 10. & ex omnibus Medicis: ergo quia aliquid speciale habet morbus in illis diebus ut magis pro crisi faciat, cùm in omnibus accessiones habeat, habet enim melancholia specialiter pro duratione morbi facere, si anteà non deficiant vires: ideo Hip. 2. aphor. text. 29. autumnales quartanas longas appellat, & sic dum morbus prolongatur aliquid ejus videtur esse, melancholia scilicet. Quod docet 2. de cris. Galenus c. 6. sic ait. *Dinturnæ, sunt quotidiana intermitiens, & illi adhærens continua, sicuti quartana, & quæ per quartum ex crescit.* Propter quod Vallesius loco citato de autumnalibus morbis sic scripsit, *Sunt difficilis iudicij, vix unquam sine productione morbi, aut malis abscessibus, vel permutationibus, vel recidivis relinquentes: quo fieri, ut etiæ acutæ*

habeat primas invasiones, tamen multi ex acutie decidunt, sunt enim autunnales, vel difficilis judicij. Docet ergo de ipsis esse prædicendum, quod de morbo pari docuit Hipp. ac per consequens in illis in quibus melancholia apparent accidentia, longitudo vel mors est prædicenda, quod motus per pares videtur significare qualis à melancholia causatur.

Circa quod non solum non admittimus necelsariam complicationem humoris melancholici ad dies criticos constituendos, verum negamus etiam hoc fieri ex eo quod melancholia suos faciat complicatos circuitus, & accessiones, ratione cuius duobus accessionibus cōplicatis, alia morbi, alia melancholiae natura ad crism faciendam excitetur, hoc etiam negamus; dicimus tamen hoc fieri quatenus aliquid melancholiae permixtum est, vel resultat vi unctionis per transmutationem crassi alterius humoris putridi in aliquibus morbis, præcipue in illis, qui protrahuntur ab undecimo, & dies criticos habent præter naturalem, & proprium motum eorum, quod permixtum simul cum proprio humore unam facit accessionem, naturam, & accidentia utrius humoris ostendentia, ut quando febris notha sit; quo casu humor melancholicus non putreficit, nec moveatur extra quartos, sed etiamsi ad focum fluat, & natura expellat putridū ad proprias accessiones, id permixtū relinquitur, ut suo quaternario accessionē faciat simul cum humore propriam accessionem faciéte.

Fiet hoc manifestum si attendamus in febre continua tertiana quotidie incrementum habente portionem v.g. pro die quarto à die secundo fluxisse ad focum, maneréque in ipso usque ad quartum, etiamsi die tertio expellatur, & moveatur, id quod à die primo ad focum fluxit, quia non expellitur, nec moveatur à foco, quidquid est, sed quod propter putredinem ferret. Quod probat communis doctrina docens bilem per tertios moveri, propter quod & morbos acutos per tertios moveri dicimus: moventur ergo febres juxta præcipui humoris motum, manente, eo quod putridum non est, donec putrefaciat, juxta suam dispositionem, ut accessionem faciat, etiamsi, id quod anteà putridum est moveatur, & ejiciatur.

Dices, et si verum sit bilem per tertios moveri, & corrumpi communiter, non implicat tale esse vitium in corpore, ut id, quod per tertios dies debebat corrumpi, per duos aut per unum corruptatur, ratione cuius quotidie bilis repeatat: ergo melancholia etiamsi per quartos habeat corrumpi, poterit ob interiorem intemperie corporis per tertios, vel quotidie corrumpi, ac per consequens non erit dicendum manere in foco, etiamsi juxta proprium motum alia humoris portio moveatur, donec juxta ejus naturam corruptatur, & expulsioni apta sit melancholia; quod ostendit febris tertiana intermittens notha ex bili, & melancholia, quo casu si melancholia non moveretur n̄ per quartos, debebat dari accessio in quarto illius melancholiae, quæ in foco erat nondum putrida, ut expelleretur tertio die quando bilis accessionem fecit, quod est falsum, & contra experientiam; ergo non est dicendum manere in foco ut expellatur in quarto, sed febrem notham fieri ex eo quod à duplice humore quilibet accessio proveniat. Quod confirmat modus operati communis facultatum naturalium, quæ in quantū possunt operari, ergo si moveretur ad expellendum, quod in foco est molestem, rotum debebat expel-

lere facultas, ac per consequens non relinquetur portio aliqua, ut altero die fiet accessio.

Contra hoc tamen est quidquid sit de motu cuiuslibet humoris suo loco dicendum, bilis ferè semper de 3. in 3. moveatur, & putreficit, & n̄ dum in eodē foco sit putredo, relinquitur quod 3. die debet facere accessionē, etiamsi moveatur, id quod 2. die accessionem, vel incrementū facit; loquor de febre tertiana continua quotidie incrementū habente, in qua certum est, unum esse focum, n̄ dubito dupliceum focum rep̄irī aliquādo, ut duplex tertiana sit, non quia simpliciter requiratur, sed quia plures accidit propter quod una auffert pluries, alterā manente: at verò in febre continua una debet judicari pars affecta, & unus focus, alias non unus morbus, sed morbus complicatus dicitur: cùm ergo non semper debeat supponi tātū & tale vitiū quod id quod per quartos habet corrupi corruptatur quotidie, rationabilius dicendū est per quartos corrupti, & in foco manere, donec pro suo circuitu sit putredo, & cum humore, pro accessione propria moveatur, ipsaque notha sit.

Ad argumentum resp. verum esse fieri tertianam notham ex melancholia, & bile intermitte, erit tamen in tali casu, aut quia vitiū est tale quod antevertat corruptionem melancholiae, vel quia sine ejus corruptione tertiana sit utroque humore moto, altero corrupto, altero secūs; non enim necessū est ut id quod per periodos moveatur corruptum sit, ut docet Gal. c. ult. de diff. febrium, et si in tanta quantitate ut excitet ad expulsionem requiratur, poterit ergo fieri febris notha ex duplice humore, altero corrupto, altero non, nothāque dicetur, quamvis ab uno solum dependeat febris, quia in causa utriusque accidentia inveniuntur, & in effectu quoque; si verò complicatio sit ut supponebatur, erit casus positus, & potius complicata erit febris, non notha, cùm illi circuitus non causentur à duplice humore coniuncto, sed quilibet ab uno.

Ad confirmationem resp. recte posse unum humorem in foco relinquiri, altero expulsi accessionem faciente, quia et si facultas naturaliter pellat, id ejicit quod de objecto ejus est; & cùm de objecto expultricis non judicetur, n̄ id quod coētrix jam immutare non valet; hinc est ut etiam si in foco pellatur id quod putridum est non ejiciatur, quod adhuc talem dispositionem non acquisivit; manet enim adhuc sub objecto coētricis, id est, adhuc facultas coētrix habet erga id operari, ut accidit in cinerilio, quod non expellitur à foco, etiamsi tot adveniant accessiones, in quibus natura pellat, quia adhuc facultatis coētricis habetur objectū, & expultricis objectum non est n̄ quod rejicit coētrix, ut docet Gal. 3. de dieb. de cr. cap. 8. aut quod ita irritat quod extra naturalem modum cogatur operari facultas, ut sit quando in crisi non solum coēctum, sed etiam crudum faciens accessionem particularem, & in evacuationibus symptomaticis.

Videtur ergo ex dictis necessariam concedēdam melancholiae permixtionem in omni morbo, ut voluit Fracastorius. Cūm non aliud dies criticos post undecimum inveniamus per quartos, quod suprā compugnavimus. Respond. nos impugnasse Fracastorium, quatenus dixit dies criticos non aliter fieri quā irritatā naturā propter cōplicationē accessionis melancholicae cū propriamorbi, & quatenus hoc judicabit necessariū, hoc nos negamus; dicimus enim dies criticos resultare juxta motum

cujuslibet morbi per pares, aut impares, nullo humore melancholico concurrente solum ratione accessionis. Quâ ratione Gal. c. 2. de dieb. dec. in omnibus diebus crises concessit, sic qui per impares moventur tantum ab undecimo crisi habent decimus tertius, & decimus quintus, & decimus septimus, & decimus nonus, & vigesimus primus, &c. qui verò per pares in aliis, habent tamen inæqualitatem dicti dies in judicando, ut magis judicatorius sit decimus septimus & vigesimus primus, quâ decimus tertius, & decimus quintus, quia cùm crassa materia sit quæ ultra undecimum protrahit morbum, non nî post aliquot dies coquitur, & sic plures judicatos dedit Gal. 2. de dieb. dec. c. 3. ex Hip. 1. ep. p. 2. quod est, quia qui per impares terminantur, aut undecimo, aut decimo septimo, vel vigesimo primo terminantur; et si aliquando aliis diebus imparibus: dum verò extra proprium motum humoris morbum moveri dicimus, hoc est permutari saltem quoad crisi, dicimus fieri propter alicujus alterius permixtionem quam ipse motus ostentat: & cùm motus per quartos melancholiæ debeat, ipsam dicimus permisceri dum juxta talen motum fit crisi quæ resultat, aut ipsâ denud corruptâ, vel quod verius judico aliquo crasso humoris facientis morbum vi unctionis in melancholiæ mutato, ut Gal. 2. de diff. fe. c. 9. quod crassum dū morbus prolongatur, necessariò est concedendū, & vi unctionis non nî in melancholiæ rationabiliter mutatur.

Dices: ex Hipp. morbi qui judicantur per dies per quos moventur, bene judicantur, quomodo ergo dicimus malas esse terminations diebus paribus factas, & periculosiores esse morbos, præcipue cùm morbus sanguineus per pares moveatur, & optimè judicetur per pares, ut Gal. 3. de cris. c. 4. & ex alia parte morbos ex sanguine securiores judicet Hipp. 6. apb. text. 53. per hæc verba. *Disipientia cum risu securiores, qua verò cum studio, periculosiores.* Ubi per disipientiam cum risu eam debemus intelligere, quæ à sanguine fit, ut Avic. f. 1. l. 3. tract. 3. c. 2. sic. *Dicemus ergo quod primum signorum seriem facti à sanguine est, quod accidit cum risu.* Et sic id licet non referat Gal. in comm. colligitur cùm alias species ab aliis humoribus evenire dicat, & hanc securiorem omittat: ergo si morbus sanguineus movetur per pares, non debent dici periculosiores morbi, & dies pares.

Resp. rectè dixisse Hipp. benè terminari morbos, qui terminantur diebus sui motus, quod intelligendum est comparatione factâ ad terminationem extra dies sui motus, non quod absolute benè terminantur, terminantur enim melius propriis diebus accessionis morbi, benè tamen, aut male juxta cujusque morbi naturam: & cùm illi qui moventur per pares deterioris naturæ sint, quia multitudinem significant, aut humorem atrabiliarium, hinc est ut terminations per pares deteriores sint, meliores tamen quâ si diebus imparibus fierent, quia juxta proprium motum, ut voluit Hipp. & sic fallitur Vall. in comm. dum dicit meliores terminations fieri diebus imparibus, quia sine fundamento opponit Hippoc.

Ad id quod de morbo sanguineo dicimus (quidquid sentiat Valeriola) verum esse tutiorem morbum dici etiam si per pares moveatur, & benè judicari per pares, est tamen malum signum motus per pares, non absolute, sed juxta id quod communiter accidit: & cùm raro sint sanguinei morbi, ut Gal. 3. de cris. cap. 4. & communes sint

magis morbi acuti qui per tertios impares mouentur, hinc est, quod rectè scriptum sit, morbum parem periculosem esse, dum acuti sunt signa, quia morbus acutus communiter per impares mouetur, nî tanta sit materiæ multitudo, quod accessiones protrahat ad dies pares, vel ipsas multiplicet, totum quod deterius est, quâ per impares moveri, si verò morbus acutus non sit, multa materia, vel ejus crassities longitudinem significat.

Argumenta opposita ex dictis manent soluta, cùm moveri per pares non eveniat in acutis nî ob multitudinem materiæ, & in non acutis ob crassitatem, totum quod aut periculum majus, vel longitudinem ostendit communiter, et si aliquando moveri per pares securissimum sit acuto existente morbo à sanguine pendente, raro tamen; dum verò diebus imparibus debere fieri judgementem docent Autores, loquuntur de eo, quod communiter accidit in morbis acutis, non quia in omnibus crises non fiant.

## QVÆSTIO VII.

### De diebus terminantibus quemcunque morbum.

**P**LURIBUS modis morbus accipi potest, ut attendamus ejus dies terminantes; est enim quæstio de diebus terminantibus morbum, qui sint. Ad quod advertendum est morbum materialē (illi enim tantum crisi terminantur) posse considerari prout terminantur in mortem, vel salutem, & posse considerari prout periculosus, vel sine periculo existit, & tandem prout longus, aut brevis est. Primo modo consideravit morbum Hipp. 3. prog. text. 1. dum dixit eisdem diebus terminari morbos in salutem, vel mortem secundo & tertio. Galen. cum depinxit 2. de dieb. decr. cap. 13. & lib. 3. c. 12. dum morbos acutos significare intendens alios celeris motus, alios tardi, alios cum periculo, alios sine illo supponit, ut tandem concludat morbum acutum esse, qui celeriter & cum periculo movetur, debet ergo morbus secundum omnes has terminations considerari, ut ejus dies terminantes adducamus.

Videtur tamen nullo modo esse dies determinatos ostendentes morbum in mortem, aut salutem terminari, longum, aut brevem esse, cum periculo, vel sine illo, ac per consequens alios esse dies prout morbus in salutem terminatur, prout in mortem alias; alios prout longos, alios prout breves, alios prout cum periculo existunt, alios prout sine ipso. Hoc probatur primo nam Gal. 1. de dieb. decr. c. 4. dum quartus prævè indicat, mortem in sexto cognoscit: si verò benè indicat, salutem in septimo: ergo dies terminantes morbum in salutem, aut mortem non sunt idem. Sic ait Gal. *Qui in quarto ad pejorem statum recidunt, plerique sexto moriuntur, è contrario vero si bona conversio contingat, septimo crism expectabit.* Idem docet capite 11. ergo diversi dies constituendi sunt pro terminatione in mortem, ac pro terminatione in salutem. Quod confirmat Hippocrat. 2. progn. text. 23. sic ait, *Variegata excrementa quamquam diutius mortem differunt, nibilominus sunt lethalia,* Gal. in comm. c. 11. 1. de cris. id evenire docet quia multæ significantur affectiones, quæ non nisi per longum tempus corruguntur

guntur, si corrigi possunt, at periculum majus ostendunt: ergo docet in mortem citius terminari, tardiū verò in salutem, ac per consequens diversi sunt constituendi dies prout morbus, in salutem, aut mortem terminatur.

Præterea: morbus salubris, qui per crism terminatur post coctionem materiae in statu terminatur; sed morbus mortal is non pervenit ad statum: ergo diversis diebus morbus terminatur in salutem, ac in mortem. Antecedens ostendit Gal. pluries, præcipue 3. de crisi. cap. 10. in quo docens optimam crism in statu fieri; imperfectam verò ob irritationem anticipari, sic ait. *In exitialibus morbis eodem modo res se habet, necnon crisis statu tempus expectat, aut admodum raro, sed maxima ex parte in augmentis interficit, vel in principiis:* Ergo dies terminantes morbos pro salute non sunt illi, qui pro morte terminant, quod ratio ostendit; nam morbi terminantur per salutem materiā costā; sive per crism expulsa, vel paulatim evacuatā, sed dum morbus terminatur in mortem, ad declinationem non pervenit; ergo non finiuntur æquali numero dierum. Major est certa, cùm non nisi coctione peractā crisis perfecta fiat. Minor constat, cùm mors adveniat materiā existente crudā, ac per consequens in æquali dierum numero finietur morbus in salutem, ac in mortem.

De morbo longo, & brevi minor est dubitatio, cùm ille constituantur talis per magnam ejus durationem, brevis verò per parvam, & sic diversis diebus debent terminari, qui si periculosi existant, eam durationem habebunt, qualem ex se morbus habebat si periculo careret, ut inde constet longi, & brevis morbi terminationem esse quarendam, cùm sub hac differentia periculum esse, & abesse possit. Ad quod advertendum est, quod morbus brevis potest esse celeris aut tardi motū; diaria enim febris brevis est morbus, & tardi motū, synochus verò celeris motū est, & brevis morbus, et si longior sit diariā, quia ve locius movetur humor calidus Synochum causans, quām spiritus, irritat enim ille magis: Quæstio tamen solū est de morbis crisi terminandis, & sic rectè potest dari accessio ab humore frigido, vel crasso pendens; quæ immedia te cesser tardique erit motū, et si brevis sit morbus, in cuius contrapositionem synochus celeris est motū, & longus, ut docet Gal. 3. de dieb. dec. c. ult. at verò si ad rem loquamur; morbus brevis est, qui celeris motus est: nam ut Gal. loc. cit. quod celeriter movetur non potest morari, & sic morbus brevis, seu celeris motū, aut est cum periculo, aut sine ipso; cum periculo autem constituit, non ita si periculo careat: difficile tamen est celeriter moveri, & periculum non habere, qui verò longus est, tardè movetur: potest tamen etiam cum periculo esse; aut sine illo, & sic ut dies terminantes morbi cognoscamus morbum acutū, aut longū respicere debemus, quatenus acutus brevis est, & celeris motū, non ita longus.

Morbum acutum intra quadraginta dies terminari videut docuisse Hip. 1. prog. text. 25. per hæc verba. *Facilis inspiratio in acutis morbis quibus febris copulatur, & intra quadraginta dies judicari solent, magnum habet ad salutem momentum.* Ergo terminus morborum acutorum quadragesimus, dies est assignandus. Quod videut ostendere etiam 3. prog. text. 3. & seq. in quo postquam acutorum morborum per quartos, statuit vigesimum etiam

quadragesimum & sexagesimum adduxit, sic ait, *Igitur accessiones ex acutissimis morbis per quatuor in vigesimo ancla finiuntur, deinde eadem additione primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexaginta dies perveniet.* Morbi ergo acuti saltē ad quadragesimum protrahuntur, & ab hoc termino debent censi longi; manifestè tamen hoc docuit Hip. lib. de dieb. jud. in fine per hæc verba, *Indicantur autem febres quarto die, septimo, & undecimo, & decimo quarto, & decimo septimo, & vigesimo: Ex his vero acutis trigesimo, deinde quadragesimo, postea sexagesimo.* Cum verò hos numeros excederint, diurna jam febrium constitutio fit. Docet ergo manifestè morbum acutum ad sexagesimum protrahi ab illōque termino longum fieri morbum.

Cum Hipp. lib. de jud. dies ad vigesimum tantum numerasset, vigesimum morbos acutos terminare voluerunt plures; nam postquam dies judicantes ad vigesimum per quartos adduxit ait, *Hæ in acutissimis morbis per quatuor ad viginti appositiones sunt: Ergo post vigesimum morbus est longus. Quod videtur significare Gal. 2. de dieb. decr. cap. 12. sic ait, Exadè peractus morbus est, qui quartum diem attingit: non exactè qui ad septimum usque producitur. Eadem ratione inter acutos, alius exactè acutus qui usque ad decimum quartum porrigitur. Non exactè vero qui ad vigesimum usque durat, quamquam & ipse acutus fit.* Ergo morbus ultra vigesimum longus est, acutus verò ad ipsum protrahi habet: si tamen attendamus quæ 2. aphor. docet Hip. text. 23. videatur morbum acutum ad quadragesimum tantum extendi, longum verò ab ipso incipere, sic ait. *Acuti morbi in quatuordecim diebus terminantur.* Ergo non est dicendum morbos acutos ad quadragesimum aut vigesimum extendi.

Quamquam ab Autoribus diversi assignentur dies morbos acutos terminantes, nihilominus rationi consonum videtur morbum omnino acutum ferè semper intra quatuordecim dies terminari, aliquando ad vigesimum extendi à quo ad quadragesimum seu ad quincunque alium diem, jam longus constitutus morbus, cum hac difference, quod usque ad quadragesimum longus morbus ex decidentia vocatur, à quadragesimo verò longus absolutè dicitur; tamen morbus longus ex decidentia, cùm non solū per multum tempus morbus protrahitur, sed cùm accidentia & circumstantiae acutie reluent in ipsis, propter quod longus ex decidentia dicitur, scilicet morbus longus ex acuto decidens procedens, seu factus, & ob hanc rationem à decimo quarto ad quadragesimum diverso modo movetur morbus, quām anteā, & post, antea per tertios movetur acutorum morborum proprium; ut Gal. 2. aph. com. 36. & 3. de dieb. dec. c. 8. à 14. ad 40. per quartos & pares morborū longorum proprium, ut in ipso c. 8. docet Gal. post 40. verò per vigesimos constitutur dies critici, ut ex dictis constat: ergo morbus qui ultra 14. dies protrahitur, longus est non absolute, sed ex decidentia; acutus verò qui non transit decimum quartum, longus tamen absolute, qui ultra quadragesimum procedit.

Hanc veritatem docuit Hip. l. de jud. sic. *Acuti morbi in 14. dieb. plerumque judicantur. Quibus verbis significavit non terminari absolute, & semper intrā 14. diem, sed plerumque; & juxta hunc sēsum locutum fuisse 2. aph. & sic Gal. in com. & 2. de dieb. decr. c. 12. & 13. ex professo nostrū placita*

tur; nam postquam dixit acutum morbum ex-  
actè decimo quarto terminari, acutum absolute  
vigesimo sic ait. *Acuti ergo simpliciter non unice*  
*ultra decimum quartum diem progrediuntur, non*  
*judicati.* Quasi diceret qui ad vigesimum, aut qua-  
dragesimum protrahuntur, jam non simpliciter  
acuti, sed ex accidentia tales appellandi sunt:  
quod ita esse intelligendum ex Hippoc. docet in  
ipso cap. 12. infra per hæc verba. *Si non acutorum*  
*duplicem naturam cognovisset Hipp.* aliam absolute  
acutorum, aliam ex accidentia, non sare distin-  
xisset appositione suam sententiam. Ostendit ergo  
Galen, morbum aliud dici absolute acutum,  
aliud ex accidentia ab Hipp. quod videtur signifi-  
care 1. prog. text. 25. dum dicit, *Facilis spiratio*  
*in morbis omnibus acutis, qui intra quadraginta dies*  
*judicari solent, signum salutis putanda est.* Nam si  
acuti absolute essent intelligendi, non dixisset  
in acutis intra quadraginta dies terminandis:  
ergo alij sunt appellandi simpliciter acuti, alij  
non ita, sed cum additamento.

Probatur hoc ratione: nam morbus acutus,  
simpliciter ille est, qui à bile dependet, ut Hip-  
plib. de dieb. judic. circa principium, & Galenus 4.  
aphor. comment. 36. & 3. prog. comment. 32. idèò  
celeris motus est, & cum periculo; est enim hu-  
mor calidus, & tenuis; ergo breviter debet ter-  
minari: præterea Hippoc. 4. aphor. text. 59. sic  
ait. *Tertiana exquisita septem circuitibus, quod*  
*longissimum est, terminatur:* ergo debet morbus  
acus intra quatuordecim dies terminari, quia  
illis diebus sufficienter potest coqui materia: &  
cum illi inveniantur in septem circuitibus, rectè  
dictum est, quod longissimum est ipsis termina-  
ri tertianam exquisitam, ita ut eo gradu, quo ab  
esse exquisito deficit, jam decadat ab acutie mor-  
bus, & in longius protrahatur.

Probatur præterea: nam morbus acutus à  
bile fit per tertios, quæ mouetur: sed à decimo  
quarto tam est motus per tertios, quam per quartos:  
ergo non fit ut antea à bile, ac per conse-  
quens non habet simplicem naturam, quam ha-  
bebat. Patet minor: nam eti per tertios den-  
tut accessiones, ut antea, constat per quartos esse  
accessiones majores, cum ipsas sequantur crises,  
& per quartos constet dies criticos resultare:  
er-  
go diversam naturam habet morbus, ac habebat,  
ac per consequens ad decimum quartum simpli-  
citer acutus erat morbus, à decimo quarto vero  
non ita; sed ex accidentia tales à quadragesimo  
absolute, & simpliciter longus. Quod confirmat  
Galen. cap. 8. citato per hæc verba: *Quanam*  
*cansat ob quam in acuis morbis tertio quoque die*  
*plurimum accessiones fiant, in longis autem, vel*  
*quotidie, vel quarto quoque die, non promptum est*  
*invenire: quod vero si veniant, oculis usurpare li-*  
*set.* Docet ergo motum per tertios proprium esse  
acutorum morborum, per quartos longorum, ac  
per consequens, cum à decimo quarto per quartos  
moveatur morbus, qui antea movebatur per  
tertios, acutum antea fore simpliciter est dicen-  
dum, postea vero non ita, sed acutum dicendum.

Neque est admittenda concordantia, quam  
adduxerunt plures circa Hip. verba: dicunt enim  
quod dum quatuordecim diebus morbus acu-  
tum terminati scripsit, sit intelligendum quatenus  
intra quadraginta dies quatuordecim inven-  
niuntur judicantes, & sic verum est morbus  
acus ad quadraginta extendi, & quatuorde-  
cim diebus judicari. Quam concordantium im-

pugnat ex professo Galen. 2. aphor. comment. 23.  
& 2. de diebus decretorijs: nam, vel dies judicatorij  
sunt per septimanas numerandi, & sunt sex, vel  
sunt numerandi per septimanas, & quadraturas,  
& sunt duodecim, quartus scilicet, & septimus,  
post undecimus, & decimus quartus, post deci-  
mus septimus & vigesimus, post vigesimus quar-  
tus & vigesimus septimus, post trigesimus primus  
& trigesimus quartus, post trigesimus septimus,  
& quadragesimus; & hoc modo non sunt quadra-  
ginta dies; vel sunt numerandi etiam intercalares,  
& plusquam quatuordecim sunt, cum ad mi-  
nus addantur tertius & quintus & nonus, &  
apud plures, plures alij; ergo dicta concordan-  
tia non est admittenda, sed dicendum est locutum  
fuisse Hippoc. de exquisitè & verè acutis. Dum  
ipsos quatuordecim diebus terminari docuit, quia  
ita ferè semper fit, et si aliquando ad vigesimum  
protrahantur eadem acutie; propter quod toties  
vigesimum terminum acutorum assignavit, dum  
vero ad quadraginta extendi docuit, locutus fuit  
de acutis ad longitudinem accidentibus, quatenus  
qui acuti erant in principio ob aliquem er-  
ore ad longitudinem devenerunt, & sic acuti  
accidentes nominantur, seu longi ex accidentia,  
et si verè longi ad illum terminum, & ulte-  
rius protrahantur, dicunturque tunc planè no-  
cturni.

Ratio autem deceptionis propter quam plures  
morbi acuti, qui intra 14. dies terminantur tar-  
dius judicamus terminari, adducitur à Galeno 2.  
aphor. comment. 23. & 2. dieb. critic. cap. 13. dicente,  
accidere plures morbus aliquem remissè inci-  
pientem, & tardi motus quarto aut septimo, aut  
altero die acutum fieri, celeriterque moveri, ra-  
tione cuius decimo septimo, aut vigesimo, aut al-  
tero die judicatur à principio, seu à primo esse  
morbi, et si verè decimo quarto à permutatione  
judicatur. Patet ultra decimum-quartum termi-  
nari à prima invasione, & decimum quartum à  
permutatione; nam illius morbi debet dici ter-  
minatio, & judicatio, cuius est ablato, illius  
judicationis vi, & cuius motus sequitur judica-  
tio: sed terminatio vigesimo die facta sequitur  
motum inceptum, seu permutationem factam in  
septimo: ergo debemus dicere ab illo die incipere  
morbus acutum, ac per consequens die judica-  
torio, juxta ejus motum sunt attendendi, non à  
primo esse morbi; nam antea, aut morbus non  
erit magnus, aut forsitan non erit ex illis, qui  
tali crisi terminantur, & sic, nec ipsi est tribuen-  
da crisi.

Dices: ab undecimo seu à vigesimo mutatur  
motus morbi quoad dies criticos: ergo ab illo  
die debebat fieri computatio: sed hoc est  
falsum; ergo non ex eo quod permutteretur  
morbus à die permutationis est numeratio fa-  
cienda.

Resp. non esse idem motum morbi permutterari  
quoad dices criticos, ac permutterari morbum: pri-  
mum est verum ferè in omni morbo ob rationem  
dictam: secundum non est verum; nam permute-  
ratio quoad motum nascitur præcisè penes clas-  
sificationem aliquam repartam, aut resultantem in ip-  
sam causam morbi vi ipsius morbosæ dispositio-  
nis, quod omnino naturam morbi non variat,  
et si aliquam immutationem intra eandem speciem  
causet: Dum vero dicimus morbum permutterari,  
dicimus naturam mutari, ita ut si antea morbus  
erat intermittens, fiat continuus si; compositio-  
nis,

nis, siat intemperiei, ut si ex somno profundo exciteretur febris, aut ex putrida lenta, acuta resulteret: in tali casu verè mutabitur morbus, & certum est, quod etiam si à primo esse morbi vigesimo judicetur, non erit vigesimus dies respectu morbi qui judicatur, sed qualis à permutatione fuerit.

decimum quartum suum judicati sint: nam in diem primo quaternione vehementiam incipientes, deinde decimo septimo judicati decimum quartum suum diem non exceperunt. Docet ergo computationem faciendam etià à die permutationis, cùm afferat intra summa decimum quartum terminari morbum acutum, etià decimo septimo terminatur à prima invasione, quatenus vehementis factus fuit in primo quaternione, id est, quatenus à die permutationis, quæ facta fuit quarto, aut quinto die est facienda mensuratio.

Secundo aphor. comm. 23. idem repetit, sic ait. Nullus inventus est unquam, qui ab initio velociter moveretur, hunc transgrede terminum, ut quidam levius, ac parvi circa primos dies existentes 4. aut 5. die continui vehementes, & acuti fieri incipientes ad decimum septimum terminarunt; alij vero sexto aut septimo die excuci incipientes, ad vigesimum terminarunt, adeò ut morbi continui acuties nunquam possit plures quam quatuordecim obtinere dies. Ergo à die permutationis computatio est facienda.

Probatur ratione: nam cùm dies critici continuantur, & numerentur ratione dispositionis conduceant ad crisis dum morbus est unus, una debet esse computatio; dum verò morbus diversus est, diversa computatio debet esse; nam diversi sunt assignandi dies dum morbus celeriter movetur, ac dum lente, & tardè movetur, ut Gal. 3. de cris. cap. 4. sed potest incipere morbus lento motu, & post aliquot dies vehementer & celeriter moveri: ergo diversa computatio est, dum morbus permutatur, ac antea, ac per consequens à die permutationis dierum computatio est facienda.

Dices: In tertiana intermitte fit permutatio ab uno die in alterum: ergo quolibet die debet fieri diversa computatio; nam nulla potest esse major diversitas, quam illa quæ invenitur inter esse, & non esse febris, quæ datur in exquisita tertiana.

Respond. computationem debere fieri juxta dispositionem conduceant ad crisis, & cùm in febre intermitte una dispositio sit foci, sicut in continua; siquidem dispositio vi illius repeatit febris, & unus morbus dicitur; hinc est quod una computatio sit facienda tam in febre intermitte, quam continua, unam naturam habente. Ideò Gal. 1. epid. part. 2. comm. 7. de septimanis agens unum morbum inquit esse quando secunda accessio, sive quinto, sive septimo, sive octavo die accidat, non casu: sed ratione aliquis seminis derelicti ex prima accessione, seu dispositione evenit; tertianam exquisitam septem circuitibus, quod longissimum est terminari docuit Hipp. 4. aphor. text. 59; quia septem circuitibus intra quatuordecim dies sint, & intra ipsos terminantur morbi ex bile facti: tertiana quando longius protrahit, si exquisita sit septem terminatur circuitibus: nam etiam si in intermittentibus ijdem sint circuitus, ac dies in continuis, ut voluit Gal. in comm. cùm maior dispositio ad correctionem detur die intermissionis, id est, quando magis septem circuitus sunt expectandi; quia quatuordecim dies comprehenduntur in ipsis, ad quos morbus acutus extenditur, nī longitudine superveniat, quam impedit dispositio major ad correctionem in intermittentis, quod non tollit etiam paucioribus terminati posse, ut docet ipse Galen.

Difficultas major est de recidiva, & partu, an compa

## QVÆSTIO VLTIMA.

*A quo die debeat fieri Computatio.*

**D**U B I U M antecedens hujus questionis resolutionem desiderat, quæ propter plura examinanda venit, & in primis habet locum, in cuiusvis morbi enumeratione in recidiva, & in partu; certum enim est quod cum dies morbi numerandi sint, à primo debet incipere computatio, ut voluit Galen. 1. de dieb. cit. cap. 6. nam etià principium morbi sumatur, & pro tempore cruditatis, & pro primis diebus, & proxima ejus invasione, in duabus primis acceptioribus accipiendum non est: siquidem tempus cruditatis ad septimum usque diem extendit pluries; & in secunda acceptance ad quartum diem, & dies critici constituuntur tertius, & quartus, & septimus: non ergo computatio habenda est à principio morbi prout principium tempus cruditatis significat, seu primos dies; sed prout primam invasionem ostendit: quo modo bene stat dies criticos constitui, vel per motum lunæ, quatenus ab uno puncto ad alterum hunc, vel illum aspectum habet, hunc, aut illum effectum facit, ut voluit Galen. vel per assonantiam unius diei ad alterum, ut voluit Pythagoras; vel per accessiones ipsas, ut cum Hipp. volumus.

Nec facit contra hoc, primum diem morbi pluries non cognosci, & sic nec computatio dierum criticorum certè posse fieri: ex quo deducitur dies criticos à prima invasione non esse numerandos, quia cùm dies critici certi & determinati adducantur ab Autoribus, qui sine certa notitia primi diei non possunt cognosci, non poterit fieri computatio à primo die morbi. Hoc inquam, nil valet: nam, ut docet Galen. cap. 6. cit. dics criticos in morbis quorum est manifesta prima invasio cognoscimus: sic ait, *Morbis itaque alijs in quibus obscura principia sunt, omisis, detractorios dies in manifestis experiamur.* Quod ut ostendat docet difficile esse morbum dari quin ejus primum esse constet, non solum Medico, verum etiam cuilibet hora, magis minùsve, quod non esse ad rem judicat: siquidem die critico cognito patrum interest an hac, vel illa horâ futura sit crisis, præcipue cùm id ex hora accessionis sit deducendum, ut docet ipse Gal. 3. de cris. c. 4.

Etsi verum sit dierum criticorum computationem à die invasionis incipere, intelligendum est manente morbo intra eandem speciem, & naturam: nam ut docet Galen. 2. aphor. comment. 23. & 3. de dieb. crit. c. 13. dum morbus permutatur ab una natura in alteram à die permutationis computatio est facienda, sic ait: *Qui námque ad decimum septimum diem vel vigesimum, exciderunt, acuti morbi planè incepérunt, tanquam submersi lento motu, graviq[ue], deinde alijs primo, alijs secundis quaternione exactè acutorum motum recipientes ad 17. & 20. exciderunt, quamquam & hi intra*

computatio facienda sit à die febris, an à die partus, & recidivæ, ad quod supponendum est recidivam non quemlibet morbi regressum appellari: sed dum morbus eiusdem rationis est ab eadem foci dispositione, seu vitio procedens, alias dum morbus in abscessus terminatur, recidiva dicetur, ut dum febris erratica in quartanam transit, quod potius permutatio est quam recidiva; ut dum post unum morbum aliud, et si ejusdem rationis, resultat, totum quod recidivæ rationem non habet: siquidem ita sit, ac si novus affectus esset, aut nullo supposito resultaret: quo casu à die regressus computatio est facienda, quod est notum; nam si diversus affectus est, cum propter diversam naturam, diversam arguat dispositionem, diversa debet esse computatio, & adhuc, quando morbus ejus naturæ est à diversa dispositione seu vitio procedens, nil supponit antecedens commune, ratione cuius non sit ab illo seorsim computatio facienda.

Neque ex hoc colligendum est diversam esse habendam computationem à die suppurationis, at à primo die inflammationis, quatenus morbus aliud diversæ naturæ considerandus sit à suppurationis die, ut voluit Vall. 10. contr. c. 5. nam licet diversum quid sit materiam suppurari, ac crudam esse, non diversum morbum constituunt, sed eundem in diversis temporibus; nam ut febris non constituitur diversa ex eo quod nunc materia cruda sit, & postea cocta juxta temporum diversitatem, sic tumoris idem considerandus est morbus quando materia fluit, & cruda existit, & quando coquitur, quatenus juxta has mutationes diversa constituuntur ejusdem morbi tempora: sed per diversa tempora non est facienda diversa computatio in morbis: ergo nec in tumore diversa computatio est facienda quando materia fluit, ac quando suppuratur. Quod morbus non constituitur diversus ratione temporum per coctionem, & cruditatem materiae, est expressum in Gal. lib. de tot. morbi temp. & 1. aph. & in Avic. f. 1. l. 4. c. 3. quod per diversitatem temporum non sit diversa computatio constat; cum à primo die morbi usque ad crism computationem faciat Gal. 1. de dieb. decr. c. 6. & crisis in statu morborum debet fieri materia quando cocta existit, ut docet etiam 3. de cris. c. 5. ergo ratione diversorum temporum, aut ratione coctionis, aut cruditatis non fit diversum morbum computatio.

Quod ratione suppurationis tumoris non sit diversa computatio facienda probatur: nam ratione diversorum temporum non sit diversa computatio: sed ratione suppurationis constituuntur tempora tumorum diversarum ergo non est facienda diversa computatio, ratione suppurationis. Major est certa: Minorem ostendit Gal. 1. de feb. c. 6. ubi expressè docet actionem sedimentum facientem ejusdem rationis esse, cum illa, quæ in tumoribus est puris generativa: sed puris generatio dicitur suppuratione: ergo de suppuratione philosophandum est, sicut de actione sedimentum faciente. Hanc constitutre augmentum morbi, & statum, dictum est: ergo & suppuratione diversa morbi tempora debet constituere. Quod ex professo docuit Gal. c. 3. de tot. morbi temp. dicens, principium tumoris constitutum toto tempore quo materia fluit, augmentum quando materia putrescit, statum dum in pus vertitur: ergo per mutationem in pus, seu per suppurationem non est facienda diversa computatio in tumoribus: nam suppuratione

solum diversa tempora significat; comprehendit enim suppuratione, ex Hippocrate putredinem, & mutationem in pus: quæ ratione 6. aph. tex. 20. scripsit, *Si sanguis in ventrem fluxerit, necesse est suppurrari.* In cuius comm. Gal. per suppurationem mutationem, quam recipit sanguis extra proprium locum intelligit, quod est corrupti, ut tandem in pus verratur. Qua ratione judico suppurationem actionem participem coctionis & putredinis intelligunt plures, quatenus coctio, seu mutatio in pus non datur absque putredine, sic augmentum, & statu per actionem transmutantem materiam tumoris inpus constituuntur.

Dices: sequitur non esse dies tumoris numerandos à prima invasione, quod est contra Gal. 1. de dieb. decr. c. 6. nam febris incipit dum materia putrescit: sed in augmentatione incipit putrefactio; ergo incipit febris: at Gal. à die febris numerat dies c. 6. cit. ergo non à principio tumoris. Quod ostendit Hippocrate prog. text. 5. 8. sic. *Suppurationis initium observare oportet, quod ob eo die putredine est quo primò quis febricitavit.* Nec valet respondere, quod etiam si febris incipiat in augmentatione, cum tumor habeat esse à principio, ab illo numeratio est facienda: nam mutationes illæ sequuntur tempora diversa morbi, ut quando morbus augeatur & vigeret, non præbet diversam considerationem ad computationem dierum; & licet sic febris in augmentatione incipiat, à primo esse tumoris dies sunt constituendi. Quod etiam constat in morbo signa repugnantia coctionis habente in augmentatione sui, ut Gal. 1. aph. comm. 12. & c. 3. l. 4. Avic. & dies à primo sui esse numerantur, ergo etiam in tumore. Hoc inquam nil valet, quia dum morbus diversæ materiae constituitur, ac anteà diversa computatio est facienda: sed dum advenit febris morbus diversæ materiae resultat, ac anteà: ergo nova computatio est facienda à principio febris, ac per consequens, non erit facienda à primo esse tumoris: dum vero morbus vigeret & augetur, etiam si lethalia sint signa, non mutatur natura morbi, quia intra propriam quam habebat anteà vigeret, & augetur, & dicta habet accidentia.

Et licet hoc argumentum perat constitutivum temporum morborum suo loco explicandum, resp. dies à primo esse sensibili tumoris esse numerandos, quatenus propria quod durat toto tempore fluxionis sine putredine brevissimum est, & sic à primo esse febris, & tumoris computatio sit: dum vero Galen. docuit in augmentatione incipere putredinem, intelligit actionem ad opus facientem, quæ suppuratione dicitur, quatenus actio caloris eluet, quæ in statu perficitur: ideo dictum est à Galen. & Avic. locis citat. Argumentum constitui dum signa coctionis manifesta sunt; statum dum perfecta, & actionem pus facientem assimilari actioni sedimentum gerant, quæ etiam per signa manifesta coctionis augmentum constituit, & per perfectiora statum: ergo dum per putredinem incipere docet, quoad correctionem intelligenda est, non in esse putredinis: impossibile enim est toto tempore fluxionis sine putredine humorem inculcatum manere. Dicitur tamen actio, quæ in augmentatione incipit suppuratione, quam participem ex coctione, & putredine voluerunt plures, de quo suo loco dum vero Hippocrates dixit suppurationem à febre incipiente cognosci, intelligitur à febre vehementius incipienti, quam anta, ut docet in commentario Galen. & ab illo die numeratruptionem, non quia

# Qu. VIII. A quo die Comput facienda. 299

quia computatio ab illo die sit, & non primo morbi, sed quatenus à die, in quo apparent signa coctionis tot sunt expectandi, quot præcesserunt antea, ut diximus.

Ad rem ergo est difficultas utrum dum recidiva datur, à die regressus computatio fiat, vel à primo die morbi antecedentis. Circa quod communis opinio est, quam sequitur Vallensis 10. *controv. cap. 5.* à primo esse morbi recidivam esse computandam, non à die recidivæ, primò quia Hipp. 1. *epid. part. 2.* plures, & variæ historias adducit aëgorantium, qui sexto vel septimo die judicati fuerunt, duodecimo recidiva facta fuit, & quinto die à recidiva à morbo fuerunt liberati omnino die decimo septimo, quæ historias adducit etiam Gal. 2. *de dieb. decr. c. 3.* ergo à die primo morbi est facienda computatio; & non à recidiva, alias non affirmarent Hipp. & Gal. decimo septimo fuisse judicatos, qui quinto aut tertio recidivæ judicabantur. Quod probant etiam, quia tertiana intermittens unus dicitur morbus, etiamsi diebus intermediis febris deficiat, quia una dispositio est in corpore pro omnibus accessionibus faciendis: ergo idem dicendum à recidiva; quod ostendunt accidentia, quæ cognoscuntur in corpore dum moribus terminatus est, & recidiva timetur, sitis scilicet, otis amaritudo, intemperies, & similia quæ adducit Hippoc. 6. *epid. part. 2. text. 19. & 20. & 22. sic.* Si ex effusis intus relinquuntur, paratus est abscessus. Et ejus adducens signa, sic ait, Sitis intus relicta, & oris resiccatio, & injuncunditas, cibi fastidium codem modo. Et reddens rationem inquit, Qua relinquuntur post iudicationes recidivas facere solent. Ergo dicendum est à primo esse morbi computationem esse faciendam, non à recidiva, cum ab uno, & eodem vicio dependant, seu ab eadem causa reducenda.

Mihi tamen videtur dicendum à die recidivæ esse computationem faciendam; nam dierum computatio debet fieri à tempore cruditatis usque ad coctionem materiæ, quæ supposita crisis fit: sed recidiva fit materiæ denuò incrudatæ coctione præcedente in ipsa prout morbum antecedentem faciebat: ergo diversa est habenda computatio à die recidivæ. Major est certa, quia computatio fit à primo esse morbi usque ad diem crisis, quæ fit coctæ materiæ. Minor probatur, quia solum penes hoc quod die critico non fiat crisis, recidivam prædictit Hippoc. 1. *ep. p. 3. text. 14. & 3. prog. & aphor. 4. text. 61.* dicens, Nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidivare, Ubi per impares iudicatorios intelligit Gal. in comment. sed hoc potest fieri materiæ coctæ; ergo in tali casu diversa computatio est facienda à die recidivæ, ac antea.

Probatur ratione: nam omnis recidiva fit, vel quia aliiquid materiæ expellendum relinquuntur post primam iudicationem, naturâ completam evacuationem facere non potente, aut quia benè cocta non fuit materia, aut quia dies non currebat; idè Hippocr. 3. *prog. text. 22.* sic ait: Qui- bus febres, nec salutaribus notis apparentibus, nec diebus decretoriis conquiscent, hi reversionem timere debent. Sed quomodocumque accidat à die recidivæ, est facienda computatio; ergo non à primo esse morbi. Major est certa. Minor probatur: nam morbus qui cessat, & redit à quacunque causa ex dictis, aut ob intemperiem partis ad novam corruptionem faciendam, novam arguit alterationem: ergo sicut in quolibet morbo con-

tinuo à primo esse usque ad coctionem fit computatio, sic in recidiva à primo ejus esse deber fieri computatio diversa, ac antea fiebat. Probatur antecedens: nam morbus qui cessavit expulsâ, aut resolutâ materiæ, cessavit quia jam coctæ materiæ aut aliter disposita fuit sufficienter pro morbi terminatione. Ergo recidiva facta fuit portione denuò corruptæ remanente ex materia antecedenti, seu denuò genita. Quod confirmat Gal. 1. *de dieb. decr. c. 6.* in quo docet à die febris faciendam esse computationem, non à die, quo caput dolet, vel accidentia neutra sunt, quæ tempore convalescentia reperiuntur: ergo à recidiva est facienda computatio.

Præterea: nam unius morbi non debent dari duo principia: sed si à primo esse morbi fieret computatio, duplex principium, duplex augmentum, & status invenirentur: ergo à primo esse morbi non est computatio facienda. Major est certa. Minor probatur: nam essent tempora prioris morbi, & tempora recidivæ: siquidem dum recidiva fit, materia corrupta est, & ad iudicationem corrigitur: ergo percurrit sua quatuor universalia tempora, ac per consequens duplex morbi constitutio invenitur, & sic duplex debet esse computatio.

Huic argumento responderet Mercatus, in recidiva morbum antecedentem esse in augmento, quatenus aliiquid coctum est, & aliiquid crudum, quod manifestæ coctionis est signum, augmentum constituens, & sic unicum morbum esse computandum primum & recidivam: quod idem est ac dicere morbum esse in augmento, tantum radicem totalem, et si quoad portiones particulares signa cruditatis sint in recidiva, quia id à portione faciente accessiones prœvenit, quæ cruda est, etiamsi radix totius morbi coctionis indicia præbeat, ut videre est dum in statu, aut declinatione morbi accessiones fiunt: ergo etiamsi per recidivas cruditas apparet, non tollit augmentum dici totius morbi, quatenus signa coctionis præcedentia non perseverant, sed jam coctionis, jam cruditatis sunt.

Hæc tamen solutio nulla est, neque in præsenti locum habet; siquidem in præcedenti morbo signa coctionis præcesserunt, verè augmentum, & statum ostendentia, & etiamsi crudæ materiæ facta fuisset crisis, morbus cessabit, ita ut regressus verè fiat, ut si novus morbus produceretur corruptæ novæ materiæ; ergo diversa debet esse computatio. Patet: nam prior morbus finitus fuit, aut materiæ expulsâ, sive coctâ, sive crudâ, aut materiæ corrætâ, ita ut nova corruptio sit ad novam febrem inducendam, alias non cessaret prima: ergo diversa est attendenda computatio, præcipue cum in recidiva verè reperiuntur signa cruditatis, nullo coctionis existente signo, quod ostendit cruditatem in tota morbi materia esse, non in portione accessionem faciente; dum verè in hac sola est cruditas, coctio tamen, quoad universalem materiam invenitur, ut sit in febribus, communiter signa coctionis apparent, non cruditatis, quod debebat esse in recidiva si codem modo esset philosophandum in febre intermittenti, etiamsi febris cesseret quoad universalem materiam coctio, aut cruditas est, respectu cuius una dispositio iudicatur, hujus sit una computatio; quo solvit, quod de tertiana dicebatur: ubi sit materia, quæ coquitur in febre intermitte, nō est hujus loci dicendū suo loco.

Pro solutione dubitationis advertendum est recidivam dupliciter dici, aliam propriam, aliam

impropriam, propriam quando vi alicujus dispositionis derelictæ in corpore, seu alicujus portio-  
nis materiae antecedentis denuo resultat regres-  
sus, quia portio illa, seu dispositio antecedens ad  
novam fecit corruptionem materiae morbum cau-  
santis: siquidem, aut correcta derelicta fuit, aut  
putrida non sufficiens pro morbo faciendo sine  
nova corruptione, & de hac loquitur Hipp. 6. ep.  
quæ relinquentur in morbis recidivas facere: im-  
propria vero recidiva dicitur quando materia  
morbis faciens, etiam in statu cruditatis, veluti  
delitescit, seu occultatur, ita ut febris, & acciden-  
tia morbosa cesserent, & deficiant repente sexto,  
vel septimo die per tres aut sex dies, donec iterum  
sparsa materia, quæ forsitan in aliquo membro  
ignobili detenta erat febrem faciat, & coquatur,  
& tandem in terminationem veniat, sive per cri-  
sim, sive secus, aut quia repente febris, & acciden-  
tia cesserent sexto aut septimo die, plurimo ma-  
teriae resoluto, crasso putrido manente, nondum  
pro morbo faciendo sufficienti, donec natura  
coctionem aggrediente febris redeat post aliquot  
dies, sine nova putredine, juxta mentem Hipp. 2.  
aph. text. 47. dicentes, *Dum prius conficitur &c.* ut  
docuit expressè Gal. 1. de cris. c. 18. quibus modis  
plures cognovi judicatos bene, & male; & de  
hac recidiva loquitur Hipp. 1. ep. part. 2. dum tot  
egrotantes decimo septimo judicatos adducit à  
die primo morbi; & de hac etiam loquitur dum  
scripsit 2. aph. text. 27. *His qua præter rationem le-  
vius se habent, non oportet fidere, neque malum  
formidare mala, qua præter rationem eveniunt.*  
Quod non tollit plures etiam judicatos numerosas-  
se Hipp. à die recidivæ, cùm asserat in ipso 1. ep.  
*Indicati sunt quarto, aut tertio, aut 5. die à recidiva.*  
Ex dictis constat, etiam à die febris computa-  
tionem esse faciendam, febre veniente post par-  
tum, sive naturalem, sive violentum, non à die par-  
tus: nam cùm debeat fieri computatio quādo mor-  
bus diversæ naturæ incipit ab illo initio, & fe-  
bris incipiat post partum, ita ut morbus alterius  
naturæ sit, si alius in partu supponitur, à die fe-  
bris est facienda computatio. Pater, quia à die fe-  
bris unus incipit morbus, & una dispositio cru-  
ditatis in causa, cuius motiones, & alterationes  
sequuntur dies critici: ergo ab ipsa computatio  
est facienda.

Præterea: si ratione agitationis, & commuta-  
tionis humorum factæ in partu, ab ipso computa-  
tionem esse faciendam dicamus, ut voluit Vega; con-  
tra stat Gal. nam 1. de dieb. dec. c. 6. expressè  
docet non à die accidentium computationem esse  
faciendam, sed à die febris: ergo etsi accidentia  
præcedant causæ alterationem ostendentia, à febre  
est computandum sic ait. *Non idem sunt capitum do-  
lor, & febris, nec vigilia, & cibi fastidium, & cor-  
poris totius gravitas, seu lassitudine; verum singula  
hæc, diversa à febre existentia, febrem denuntiant.*  
Et infra: Hippocrates, non ubi primum capite do-  
luit, sed cùm primo febricitavit morbi initium con-  
stuitens. Ergo non est à partu computatio facienda.  
Pater, nam motus humorum, seu agitatio facta  
in partu, nil facit ad crisim, cùm crisis non sequan-  
tur agitationem illam, sed coctionem materiae pro  
sui expulsione moventis: sed ad hanc dispositio-  
nem conductit materia prout alterata; non prout  
mota: ergo non sequitur commotionem factam  
per partem, sed alterationem conducentem pro-

febre, ac per consequens à die febris non à partu  
est computatio facienda.

Tandem si à partu computatio deberet fieri,  
in omni febre acuta aut intermittenti à die ante  
febrem, & non à febre computatio esset facienda:  
sed hoc est falsum & contra communem Medicorum  
consensum: ergo non est à partu computatio  
facienda. Antecedens probatur: nam ideo à  
partu computatio est facienda, quia ratione alte-  
rationis, & agitationis ab ipso factæ materia dis-  
ponitur ad febrem causandam: sed etiam in omni  
morbis, sive à causa extrinseca, sive intrinseca  
ante diem febris disponitur, movetur, &  
alteratur materia, ut febrem faciat, præcipue si  
verum est bilem de tertio in tertium corrupti;  
ergo à die ante febrem est computatio facienda.  
Pater: nam non aliter partus unum morbum facit,  
ut ab ipso computatio fiat, nisi quatenus altera-  
tur materia ad febrem: sed si bilis de tertio in  
tertium corruptitur, aut quotidie propter causæ  
efficaciam, etiam à die ante febrem alteratur, agi-  
ratur, & disponitur ad febrem: ergo à die ante  
febrem est facienda computatio. Hoc nullus reci-  
pit, nec recipere debet: ergo nec à partu est fa-  
cienda computatio febre post à veniente. Quan-  
tentiam habet Avic. f. 2. l. 4. tr. 2. c. 1. ubi sic ait.  
*Si peperit mulier, deinde accidat ei febris, tunc fiat  
computatio ex febre, non ex partu, ex illo enim est error.*

Contra hoc stat Hipp. 3. prog. tex. 10. sic scribens:  
*Pari modo in mulieribus morborum iudicia à partu  
numeranda sunt, Gal. in com. hoc placitum recipit;*  
sic ait: *Principium numerationis tibi fiat non quo die  
febricitare cuperint, sed quo pepererint:* Ergo à die  
partus non à febre computatio est facienda. Et  
confirmatur: nam si febris præcedat à partu, & ejus  
accidentibus, aut saltem intendatur, & violentior  
sit febris, quæ ante mitis erat, diversæ naturæ sit;  
ergo à partu, & non à febre est computatio facienda.

Resp. dubium non esse de febre ante partum  
existente: nam in hac à die febris est facienda  
computatio, nō per partem febris natura mutetur,  
ut ex dictis constat: de febre tamen potest partum  
veniente difficultas stat, circa quam dicimus Gal.  
historiam Hipp. narrare, non suam proferte sen-  
tentiam in com. positio Hipp. autem, etsi in loco di-  
cto à partu computationem esse faciendam scribat,  
contrarium docet 1. ep. p. 5. agroto 4. in quo enu-  
merationem à febre fecit, & non à partu, & 3.  
ep. p. 3. agroto 2. etiamsi febris ante partum præces-  
sisit, à die permutationis febris in acutam, qua  
fuit terria post partum, computationem fecit: non  
ergo à die partus est computatio facienda, de men-  
te Hipp. perpetuò, sed quando ab ipso febris inci-  
pit: dixit tamen à die partus, quia quando partus  
qui febrem facit violentus est, & eadem die ipsam  
accedit, quia tanta alteratio, & agitatione quanta  
in partu invenitur violento, eadem die febrem fa-  
cit, & ideo à partu vult Hipp. esse computationem  
facienda: dum vero post partum advenit febris,  
jam partus non est, & sic à febre est facienda com-  
putatio, etiamsi vi purgationis repente, aut aliter  
alterante procedat, quia tunc partus, tamquam  
causa procatartica se habet, quæ, etsi ad corru-  
ptionem conducat, in ipsa non indicat, ut Gal. 8.  
meth. c. 1. quia præfuit, & non est ut sui ablutionem  
indicit, etsi ad curationem faciat, quatenus  
ejus cognitione ad cognitionem effectus producti  
febrē causantis conducat.



# TRACTATUS DE FACVLTATIBVS.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Facultas, & quotuplex.*

**F**ACULTAS generali significatio accipitur, pro qualibet potentia ad operandum, sive effectum similem, sive dissimilem; quā ratione qualitas quālibet habet potentiam, seu facultatem operandi sui similem. Consonat Philosophus cap. de qualit. ubi secundam speciem qualitatis explicuit per naturalem potentiam, prout est qualitas principium operativum: sic Gal. de simpl. medicament. facult. cap. 2. Facultatem explicuit per sequentia verba: *At facultas causa quadam est effectrix.* Quam sequitur Princeps Avicen. fen. 1. lib. 1. doctr. 6. cap. 1. ubi docuit facultatem esse initium operationis: Ergo ex his hucusque constat, facultatem esse principium quoddam operationis elicitiūm.

Cæterū, licet verum sit quamlibet qualitatem primam esse principium elicitiūm sui similiſ, & in hac significacione habere rationem facultatis: nihilominus in praesenti agimus de facultatibus strictiori significacione quoad usum medicum, & quatenus à naturali temperamento distinguitur: facultas ergo propriè dicitur, principium elicitiūm effectus diversarū rationis ab ipso principio; quippe de qualitatibus; quae si milium sunt productivæ, nulla specialis se offert controversia, & si forsitan aliqua est, ad Philosophos potius, quam ad Medicos spectat. Solūm igitur de facultatibus agimus, quæ corpori humano, quatenus speciale vivens est, debetur, de quibus experientia nos docet, effectus diversos patrare à suo principio elicitiivo, sive sint accidentia superaddita animæ, & ab ipsa distincta, ut Thomistarum opinio acriter tenet; sive identificantur realiter cum ipsa anima, ut altera Schola firmissimis fundamentis defendit. Utcumque tamen philosophari pro libito quis voluerit: Certum est, potentiam de qua agimus, esse principium operativum, effectus diversi à causa, à qua dimanat.

Circa secundum quod inquirimus, (relictis divisionibus facultatis naturalis, & supernaturalis, & aliis subdivisionibus, quæ nostri instituti non sunt) solūm de illis facultatibus, & divisionibus in praesenti agimus, quæ competunt corpori humano, quatenus speciale vivens organicum est. De quibus Gal. 6. de usu partium, cap. 2. dixit, tres esse facultates, quibus nostrum corpus gubernatur; quem sequitur Princeps noster Avic. fen. 1. lib. 1. doctr. 6. cap. 1. ubi specialius prædictas facultates numeravit: perpendite ver-

ba. Virtutum autem genera, & operationum ex eis provenientia, apud Medicos sunt tria, quæ sunt, genus virtutum vitalium, & genus virtutum animalium, & genus virtutum naturalium. Ex his planè constat, quod eā proportionē, quā concessit Avic. tria principalia membra in ordine ad individuum. Quæ nostro Tract. de partib. diximus esse cor, cerebrum, & hepar, eā ipsa ratione fatetur tres facultates præcipuas; quæ in partibus principalibus relatis habent proprium domicilium. Vitalis quidem facultas, in corde, animalis in cerebro, & tandem naturalis in jecore; quæ quidem in corpore humano inveniuntur, & specialiē considerationem Medico præbent, quatenus speciale vivens organicum est; non quidem quatenus corpus mixtum, & ens naturale est; nam juxta hanc considerationem competit ipsi gravitas, sicut competit lapidi: de his ergo suo ordine specialis erit sermo.

Facultas igitur vitalis, quæ sita est in corde, est illa, à qua opera vitam ostendentia procedunt; sic Avic. cap. 1. suprà citato per sequentia verba: *Vitalis facultas est, quæ cùm in membris recepta fuerit preparabit ea ad recipiendum virtutem sensus, & motus, & operationes vita.* Ubi advertas, obsecro, quod licet vitalis facultas, mediis speciebus vitalibus, quas producit, disponat, & præparet in membra sentientia, ad sensum, & motum; eo quod omnia membra à principio vitali dependant, ut vivant; tamen certum est, virtutem sentiendi, & movendi, à cerebro communicari mediis spiritibus animalibus, ut postea dicemus: solūm igitur à corde procedit virtus, seu facultas vitalis, à qua opera vitae procedunt, & dependent. Et cùm cor producat spiritus vitales, & qualitatem illustrantem, quam Galen. fatetur, & cum ipso communis Medicorum Schola; idè dividitur facultas vitalis, in generativam spirituum vitalium, & productivam alterius qualitatis illustrantis, seu irradiantis. Ulterius etiam constat pulsum, seu motum cordis, & arteriarum à facultate vitali celebrari, Galeno auctore 4. de diff. puls. cap. 2. quæ quidem valde diversa est à generativa spirituum, & productiva qualitatis irradiantis, cùm illa sit mortua, & reliquæ alterative sint facultates; hinc sit ut communiter dividatur facultas vitalis in tria membra. Cæterū cùm Avic. lib. 1. doctr. 6. c. 4. non concedat qualitatem illustrantem, juxta illius opinionem, facultas vitalis solūm dividitur in generativam spirituum, & motivam cordis, & arteriarum: Et cùm nostro Tract. de partib. dictum sit, non esse necessariam aliam qualitatem præter illam, quæ ab spiritibus per continui alterationem producitur; consequenter cum Avicenna dicimus, solūm in duo membra esse dividendam facultatem vitalem.

Animalis facultas secundo ordine numeratur,

Ff

quæ


quæ in cerebro residet, tamquam in suo proprio domicilio, & ab ea, opera animalia dependent, quæ in sensu, & motu consistunt; non quidem in motu quolibet, sed, quæ à motu spontaneo procedunt, ad quem præcedit sensatio, quæ ostendit vivens esse sensibile, & animal; ideoque opera animalia dicuntur, opera sensus, & motus voluntarij, seu spontanei, ut constet motum cordis, & arteriarum, necnon etiam, motum attrahentis, & expellentis facultatis minimè pertinere ad animalem facultatem; quippe sunt quin præcedat sensatio, solum ab ipsa natura; ideoque motum pulsificum fieri à facultate media docuimus nostro Tract. de Pulsibus, quæ neque sit sensitiva, neque merè vegetativa; propterea quod motiones cordis, & arteriarum elaborantur à facultate vitali, quin præcedat aliqua sensatio; & præterea quia altiori modo operatur facultas vitalis, quam reliqua agentia merè vegetabilia; utpote pro ratione urgentiae, & finis operatur: ideo nobis visum fuit pertinere pulsum ad facultatem medium, quæ nec sit merè vegetabilis, neque purè sensitiva, de quo plura ibi dicta sunt. Restat ergo, quod solum motiones spontaneæ, quæ in nobis inveniuntur, procedant à facultate animali, quæ est in cerebro.

Et juxta hanc considerationem noster Princeps Avicen. *fen. 1. lib. 1. doct. 6. cap. 5.* dividit facultatem animalem, in sensitivam, & motivam: illa dicitur, quæ producit virtutem ad sensum; hæc, quæ admotum: differunt tamen secundum magis, & minus. Quippe *soprà* dictum est, eandem esse virtutem ad sensum, & motum; ita ut virtus, quæ valet ad motum, valeat ad sensum; non tamen, quæ valet, & sufficit ad sensum, est sufficiens pro motu; undè hæc divisio facultatis non est essentialis, sed accidentalis valde, & secundum magis, & minus, licet opera sint valde diversa. Ulterius, facultas sensitiva dividitur in externam, & internam: illa dicitur, quæ ad extra facit sensationem, & subdivit in visivam, auditivam, olfactivam, gustativam, & tactivam, facultatem; de quibus sensibus quinque externis Philosophi specialiter disputant in lib. 6. de anima, & in usu medico speciale etiam habent considerationem. Interna facultas sensitiva dicitur, quæ sensationem intra elicet, & dividitur in sensum communem, phantasiam, imaginativam, cogitativam, seu æstimativam, & memoriam: quarum potentiarum internarum quælibet, habet propria munera, per quæ ab aliis fecerit: nam officium sensus communis, est percipere actuales sensationes sensuum externorum; phantasie vero munus, est percipere prædictas sensations in absentia objectorum: ad imaginacionem autem attinet, impripiè componere unum ex simplicibus distinctis. Cæterum cogitativa, seu æstimativa potentia tota versatur in cognitione disconvenientia, aut convenientia; memoria de præteritis recordari, cum differentia temporis.

Demum facultas naturalis, quæ in hepate residet tamquam in membro principali dicato ad subministrationem, & elaborationem sanguinis pro nutritione totius corporis: illa dicitur à qua dependent opera naturalia nutritionis, & augmenti; dividiturque in facultatem ministrantem, & ministratam; illa dicitur, quæ aliis servit, eò quòd ejus actio ordinatur ad opus alterius facultatis: Ministrata facultas dicitur, cuius actus dependet ab actione alterius facultatis ministran-

tis; de quibus noster Princeps Avicen. agit *lib. 1. doct. 6. cap. 2. & 3.* ubi dividit facultatem ministratam, in nutritivam, augmentativam, & generativam: ex his nutritiva est, quæ convertit alimentum in substantiam propriam illius quod alitur; augmentativa, quæ in acquisitionem novæ quantitatis terminatur, per unionem quantitatis alimenti, cum quantitate viventis: tandem generativa potentia in productionem similis versatur.

Ministrans facultas, dividitur in coquenter, attrahentem, retinentem, & expellentem. Coquens facultas dicitur, quæ disponit alimentum, ut convertatur, de qua specialem instituimus tractatum. Trahens est cuius munus est appropinquare alimentum ad partem ubi celebrari debet coctio. Retinentis autem officium est, conservare alimentum in illa potentia acquisita per tractionem. Et ultimo expultrix est, quæ separat quidquid non est necessarium, & illud expellit.



## C A P V T I I .

*Utrum facultas distinguatur ab anima,  
& à tempore?*

**G**IRCIA primum, quod in controversia ponitur, communis opinio est Sancti Thomæ *1. part. quest. 77. art. 1.* quæ tenet potentias realiter ab anima distinguiri: hanc sententiam communiter descendunt omnes hujus doctrinæ Professores. Fundamentum præcipuum Divi Thomæ est, quod cum anima sit immediatum principium essendi, minimè potest esse immediatum principium operandi; atque adeò, animam non esse immediate operativam; sed potius indigere compunctione aliquo superaddito ad operandum, quod realiter ab anima distinguatur, & per consequens potentias realiter ab anima distinguiri. Cæterum, hoc argumentum minimè videtur efficax, ut suaderet assumptum; nam calor est principium immediatum principale essendi calidum, & etiam est principium immediatum essentiale producendi alterum calorem: ergo sicut in entitate accidentali optimè compatitur esse principium immediatum essendi, & esse principium immediatum operandi; ita in entitate substanciali, optimè potest inveniri esse principium essendi, & operandi, ac proinde anima poterit esse immediatè operativa. Fundamentum ergo Sancti Thomæ non convincit assumptum. Premitur etiam ratio Sancti Thomæ, ex eo quod non implicet contradictionem, quod Deus faciat creaturam aliquam per suam essentiam potentem operari, absque alterius entis adminiculo: Ergo non repertur repugnantia, ex eo quod anima de facto sit principium essendi, & operandi, absque superaddita potentia. Neque valet si respondeas talēm creaturam habere summam simplicitatem soli Deo propriam. Nam contra instatur, quoniam, et si illa creatura, & anima de facto esset principium essendi, & immediatum operandi, tamen in tali substantia posset esse compositione actus, & potentia quæ repugnat Deo: ergo minimè haberet simplicitatem Deo soli debitam; ac proinde nullam involuit contradictionem si anima sit principium immediatum essendi, & operandi.

Videtur tamen favere sententiæ Thomistarum Aristoteles:

Aristoteles : nam 2. lib. de anima cap. 2. tenet animam esse actum corporis physici, & organici ; & inferius asserit intellectum non esse actum corporis : ergo sentit intellectum differre ab anima. Rationibus etiam suaderi potest Angelici Doctoris opinio ; nam formae inanimatorum , quales sunt elementorum formae , operantur, mediâ potentia superadditâ realiter distinctâ , ab ipsis formis: ergo etiam formae animatorum debent operari mediis potentias realiter distinctis. Antecedens patet in igne qui operatur medio calore realiter distincto à forma ignis. Cùm possit corrupti calor , & remitti secundum aliquos gradus , quin aliqua pars substancialis ignis corruptatur, neque remittatur ; quippe substanciales formae non sunt intensibiles , neque remissibiles : ergo planè constat formas inanimatorum operari mediâ potentia realiter distincta ab ipsis formis , & perinde à simili de formis animatorum eadem ratio currit.

Vlterius fulcitur idem assumptum , quia potentiae animae sensitivæ tam internæ , quam externæ , necnon etiam potentiae animae vegetativæ , nutritiva scilicet , & generativa , sunt potentiae materiales , & corporeæ: ergo necessariò debet distinguiri realiter ab anima rationali , quæ spiritualis est ; siquidem una entitas , nequit esse corporea , & incorporea , materialis , & spiritualis , ac proinde idem argumentum debet currere , de potentias spiritualibus : etenim si anima indiget potentias ab ipsa realiter distinctis ad opera vegetabilia , & ad internas , & externas sensations ; posteriori jure ad intellectionem , & volitionem , cùm hujusmodi operationes longè perfectiores sint. Premitur etiam idem assumptum ; nam potentiae omnes materiales , sunt vitales , ac proinde operantur vitaliter , & immaterialiter : ergo debent recipi in eodem principio à quo eliciuntur : sed si immediatè procederent ab anima rationali in ipsa deberent recipi ; implicat autem materiales recipi in spirituali : ergo tales actiones materiales debent recipi in potentia materiali à qua eliciuntur , realiter distinctæ ab anima rationali .

Vlterius : omnis potentia creata immediatè operativa , est qualitas (ut constat ex Philosopho , qui inter species qualitatis numeravit potentiam , & impotentiam ) : ergo nequit identificari realiter cum substantia animæ , ac proinde quando ipsa operatur , necessariò operatur mediis potentias , seu qualitatibus accidentalibus realiter à se distinctis.

Tandem fulcitur eadē opinio , ab inconvenienti : quoniam si anima immediatè est operativa , immediatè debet elicere volitionem & intellectionem : ergo posset anima rationalis velle absq; prævia cognitione , quod alienū à bona Philosophia est. Consequentia probatur ; quia voluntas , neque intellectus est quid realiter distinctū ab anima , ordine prioris , & posterioris potentiae : ergo anima ipsa erit principium immediatum volendi , independenter ab intellectione ; pro libito ergo poterit elicere actum volitionis , sine actu intellectionis , ac proinde poterit velle sine prævia cognitione ; sicut etiam poterit se determinare ad eliciendam actus intellectus , absque prævia volitione .

Probabilior sententia est , potentias non distinguiri realiter ab anima. Hanc opinionem communiter tenent Partes Iesuitanae Familiae , tum Antiqui , tum etiam Recentiores. Probant plures testimonio Philosophi 2. lib. de anima , cap. 2. ubi

fatur animam esse , quâ vivimus , sentimus , & loco movemur : ergo non indiget potentias realiter ab ipsa distinctis. Hoc tamen testimonium non convincit assumptum ; nam etiam in contraria opinione , conceditur animam esse , quâ vivimus , &c. Tamen intelligenda est Philosophi doctrina de principio radicali , quod est anima , non de immediato , quales sunt potentiae. Clarius tamen nostram assertionem tuerit Divus Augustinus 3. lib. de spirit. & anima cap. 4. per sequentia verba. Dicitur námque sensus , imaginativa ratio , intellectus , intelligentia , & hac in anima nihil sunt aliud , quam ipsa . Si ergo nihil aliud est inter operationes dictas , & reliquias sensationes , quas latè describit loco citato , acutissimus Augustinus , signum est animam esse immediatè operativam , & sortiri varia nomina , propter varias operationes. Etenim si mediant potentiae inter animam , & operationes , falsò proferret , & hac in anima nihil sunt quam ipsa .

Rationibus etiam validatur nostra conclusio. Prima sit ; nam sicut se habet agens in ordine ad actionem , sic passum in ordine ad receptionem ; sed passum ad receptionem nullâ indiget potentia passiva superadditâ : ergo neque ut forma agat , & operetur indiget potentia activâ realiter ab ipsa distinctâ . Neque valet si respondeas pati esse imperfectionem , atque ideo fieri absque aliquo superaddito ; at verò agere perfectionem esse , proindeque sine potentia superaddita non posse animam operari , secùs autem accidere in passo ( fatur Contrarij :) unde aiunt materiam primam minimè egere potentia superadditâ ad recipientum ; formam verò substancialem neutiquam posse operari absque potentia superadditis .

Institutus tamen solutio ; nam potius videtur perfectionem majorem esse , non indigere aliquo à se distincto ad operandum , ut constat in summo Opifice , qui propter suam immensam perfectionem operatur immediatè , & independenter : Ergo ex eo quod agere si perfectius , quam pati , non sequitur necessariò , animam egere potentias distinctis ad operandum . Neque ex eo , quod anima operetur immediatè , sequitur operari , ut causam primam ; etenim hæc semper operatur independenter à concursu alterius , & altiori perfectione ; anima verò , licet immediatè influat in suas operationes , tamen dependenter à concursu causæ primæ , necnon etiam imperfectiori , ac rudiori modo : Præterquam quod nec perfectio , aut imperfectio in agenti arguit necessitatem multiplicandi potentias , seu entitates distinctas ab anima ; nam Deus est summa perfectio , & non indiget potentia diversa à se ad operandum .

Rursus accidentia sunt agentia imperfecta , & tamen operantur immediatè , & independenter ab aliis accidentibus , ut patet in calore , & frigiditate : anima ergo neque ob perfectionem , neque ob imperfectionem indiget potentias superadditis ad operandum , ac proinde sicut materia prima recipit absque potentia superaddita , sic forma poterit agere sine potentia superaddita ; unde ne multiplicentur entitates absque urgenti necessitate , probabilius putandum est animam non indigere potentias superadditis ad operandum ; præcipue , quando ex hoc nulla sequitur contradictione , nec repugnantia .

Ulterius etiam fulcitur assertum nostrum: nam anima producit immediatè omnes suas potentias, necnon etiam temperamentum immediatè, absque altera entitate intermedià (aliàs daretur processus in infinitum) ergo etiam poterit prorumpere in operationes diversas à se, & immediatè, quin sit necessarium adstruere, & multiplicare potentias diversas.

Respondent communiter Adversarij, huic argumento, potentias oriri immediatè ab anima, & similiter temperamentum, per emanationem, quoniam requiruntur pro complemento, & perfectione animæ, ad operandum, non autem per veram actionem realem, qualiter est illa per quam operantur potentia; hæc autem non inventur in anima respectu suarum potentiarum, nec temperamenti, & sic non operatur immediatè actione vera, & reali, proindeque eget potentias superadditis ad operandum.

Contra tamen potest instari hæc solutio. Primo, quia anima habet propriam entitatem completam à se, independenter ab accidentibus extrinsecis: ergo non indiget potentias pro sua perfectione entitativa, & formalis. Si ergo producit potentias diversas à se, & immediatè, etiam poterit operari diversas operationes à se. Præterquam quod non probant Adversarij, emanationem non esse actionem realem, et si concedamus esse grammaticalem actionem; si hæc sufficit, ut anima prorumpat in entitatem realem accidentalem distinctam à se; qualis est potentia, quæ est species qualitatis, & terminus realis emanationis, eadem ratione poterit prorumpere anima immediatè in operationes diversas: Patet consequentia, quia non minus est terminus, & entitas realis potentia, quam operatio: sed anima per emanationem potest producere potentias immediatè: ergo eadem ratione, & per eandem actionem poterit operari, & prorumpere in omnes actiones quas producunt potentia.

Demùm, quod emanatio sit actio vera, & realis ex eo probatur, quod haber pro termino entitatem realem, accidentalem, qualis est potentia, quæ ponitur à Philosopho inter species qualitatis: ergo est actio vera; si autem forsitan actio non vera, poterit habere pro termino entitatem realem, poterit anima operari immediatè, & prorumpere in operationes reales diversas: ergo erit immediatè operativa.

Si ulterius respondeas animam indigere potentias distinctis, ut per ipsas determinetur ad operandum, cum ipsa ex se sit indifferens, ad unam, aut alteram operationem. Contra instatur solutio; quippe organisatio diversa, & temperies diversa sufficit, ut anima operetur unam, aut alteram operationem. Constat, nam eadem potentia nutritiva quæ residet in toto, in una parte producit ros, in mammis producit lac, & in testiculis semen fœcundum, & hoc solum ratione diversæ dispositionis, quæ ad diversa opera determinat ipsam nutritivam: ergo eadem ratione sufficit diversa dispositio, & organisatio, ut anima, quæ ex se indifferens est, ad unam, aut alteram operationem, determinetur ad hanc potentiam, quam ad illam, absque multiplicatione potentiarum, solum propter diversam temperiem, aut organisationem.

Doctissimus Emanuel Martinez, Magister meus, conatur fulcire hanc nostram opinionem, suo *Tom. de rebus naturalib. nonnaturalib.*, &

*contra naturam, fol. 132.* speciali arguento. Nam in effectu producto (exempli gratia) in intellectione, nihil speciale reperitur, quod correspondat potentia intellectiva, ratione cuius sit necessaria talis potentia diversa, ab anima: ergo absque necessitate ponitur talis potentia, & sic de reliquis currit argumentum. Antecedens probat: nam si aliquid correspondet potentia intellectiva, maximè ratio talis vitalis, cum vitalitas absolutè tribuat ut necessariò animæ: sed hoc minimè probat necessitatem potentia: ergo non est adstruenda. Minorem probat, quia nulla est productio in rerum natura, quæ non sit individualis: ergo si in intellectione ratio vitalis correspondet animæ, etiam debet correspondere ipsi animæ, ratio talis vitalis, videlicet intellectus; quin si necessariò ponenda potentia intellectiva distincta ab anima. De hoc arguento disputat Petrus Garcia Carrero in sua parte naturali, disp. 30. *Super Avicenn.* & conatur satisfacere dicendo animam, & potentias subordinari in agendo, & sic non esse necessarium, quod correspondeat aliquid peculiare in effectu potentias, quæ non correspondeat animæ; quod commune est in omni causa principali, quæ operatur medio aliquo instrumento, & unica actione, & indivisibili operatur; & hoc concedit Doctor Martinez citatus: tamen acerrimè negat potentias subordinari cum anima ad operandum, nam hoc videtur gratis dictum. Tamen mihi videtur etiam esse gratis dictum non subordinari, unde ex eo non invalidatur solutio nostri Petri Garcia; præterquam quod si anima est principium indifferens ad plures operationes, bene comparatur, quod cum in intellectione sit ratio vitalis, & peculiaritas intelligendi, possit correspondere potentia intellectiva, versari in verum, & animæ possit correspondere ratio vitalis; nam et si nulla sit productio quæ non sit individualis, non tamen tollit, quod individualitas non correspondeat concursu: ergo non probat, nec urgeat ratio à Doctore Martinez adducta.

Deinde etiam contra ipsum insurgo ex his, quæ docet *fol. 128. columnæ 2.* ubi afferit, quod in visione ratio vitalis, est eadem realiter cum ratione talis visionis; diversa tamen formaliter, quæ diversitas sufficit ut colligamus necessitatem duarum causarum. Ex quo sic retorqueo argumentum contra ipsum; nam in anima dum operatur mediis potentias, ratio vitalis, & ratio visionis, aut intellectus, aut volitionis, est eadem realiter; & formaliter diversificantur etiam si nulla sit productio vitalitatis in communi, sed in particulari; & tamen, et si hoc sit verum, datur distinctio formalis inter rationem vitalis, & talis vitalis in effectu, quæ sufficit ad multiplicationem causatum (in opinione hujus Doctoris:) ergo non cohæret cum suis assertis, dum format argumentum contra Thomistas de necessitate causarum, quæ ex aliquo reperto distincto in effectu debet constare. Cum ergo sit distinctum formaliter inter potentiam, & animam, dum operatur visionem; ex eo non convincitur non esse ponendam distinctionem inter animam, & potentias, sed ex aliis rationibus, quas adduximus.

Tandem contra Magistrum premo difficultatem; etenim non est necessarium semper, & absolute, quod necessitas causarum constet ex aliquo distincto reperto in effectu pro qualibet; nam

si posamus duo luminosa nec penetrata, nec unita, sed separata in cubiculo, quæ agant diversa actione, tamen sint applicata in eodem instanti, & sint ejusdem intensionis; tunc necessarium est, quod prædicta luminosa agant intra suam sphæram. Quo præsupposito, formo argumentum; respectu indivisibilis, quod æqualiter dividit distantiam utriusque luminosi ex diametro applicati; nam tunc necessarium est, quod ab utroque luminoso æqualiter illuminetur, cum sit intra sphæram utriusque, & illa luminosa sint ejusdem intensionis, seu activitatis, & sint applicata, & posita in eodem instanti temporis (neutrū enim involvit repugnantiam): sed talis illuminatio, æquè tribuitur cuilibet luminoso, quin corresponeat aliquid diversum in effectu uni, quod non corresponeat alteri: ergo absolute non est necessarium, quod sit peculiaris correspondentia, ad multiplicandam causam in effectu, etiamsi concavæ operentur diversa actione; (nam si operentur subordinatè, aut unica actione, non est dubium): Ruit ergo argumentum nostri Magistri. Tamen respondet in casu adducto de duobus luminosis, tale indivisible non illuminari nec ab uno, nec ab altero, quia indivisible separatum nequit produci, & daretur naturaliter, si fieret illuminatio. Solutio quidem indigna tanti Magistri: quippe adhuc ut indivisible dividens distantiam inter utrumque luminosum illuminetur, minimè est necessarium, quod sit separatum, sed sufficit, quod sit capax illuminationis: sed etiamsi uniat duas partes extremas est capax illuminationis; nam supponimus totum medium esse illuminatum, & intra sphæram activitatis utriusque luminosi; at tunc non potest illuminari partim ab uno, & partim ab alio, cum sit indivisible, nec pr̄fus ab uno quam ab altero, cum sint æquè applicata, & in eodem instanti, & ejusdem virtutis, & aliæ spatium est æquè dispositum, ut cætera sint paria: ergo in tali casu illuminatio, æquè corresponebit cuilibet luminoso, quin sit necessarium ex parte effectus diversa correspondentia pro qualibet causa: idem ergo poterit contingere quando anima operatur mediis potentias realiter à se diversis. Et quidem hoc argumentum in publicis Disputationibus Complutensis Academæ me coegerit afferere, posse eundem effectum procedere naturaliter à duplice causa totali, & adæquata non subordinata. Sed hæc pro Physicis sufficiant, & ad nostrum institutum redeamus.

Solum restat satisfacere argumentis pro contraria parte adductis. Ad primum desumptum ex autoritate Philosophi, dicimus cum ipso, intellectum non esse actum corporis, nec ipsum informare sub ratione formalis talis, benè tamen sub ratione formæ substantialis, & hac eadem ratione dicimus, mentem esse in anima; hoc tamen solum arguit distinctionem formalem, minimè vero realem inter animam, & intellectum. Unde deducitur rationes formales constituentes potentias habere rationem accidentis, ut actus ad quos ordinantur, & constituant secundam speciem qualitatis juxta Philosophi doctrinam; & hinc patet solutio, ad ultimam instantiam pro contraria parte adductam.

Ad primam rationem desumptam à paritate aliorum agentium naturalium, Respondeo ignem non operari mediis potentias realiter à se distinctis, sed mediis aliquibus dispositionibus, seu qua-

litatibus; tamen propriam formam per propriam actionem ignis producit, quo etiam modo anima in actionibus transmutativis (ut in nutritione) mediis qualitatibus à se distinctis operatur, & disponit; propriam tamen formam actione propria producit; at in actionibus non transmutativis, ut in reductione aquæ ad propriam frigiditatem, nullius qualitatis efficientia est necessaria, ut per se patet, & sic in anima accidere deberet, nec proinde multiplicandæ sunt potentiae, sed sufficit dispositio, aut temperamentum diversum, ut anima diversimodè operetur.


Ad secundum Respondeo materiales potentias, quas nominamus, in rigore materiales non esse, sed quia operantur mediis dispositionibus materialibus, quamvis verum sit realiter omnes esse spirituales, etsi differant per suas formalitates, secundum quas habent hoc, aut illo modo operari.

Ad instantiam, seu tertium argumentum dicimus actiones immanentes esse in duplice differentia; aliae quidem, quæ dicuntur materiales, ut visio, & imaginatio, quia fiunt necessariò mediis aliquibus dispositionibus materialibus, & medijs quantitate, in qua subjectantur, ut potè medijs quantitate tali, anima illius partis operatur, necnon etiam medijs aliis dispositionibus; & hanc ratione sufficienter salvatur immanentia in hujusmodi actionibus vitalibus, quoniam in parte eliciente actiones subjectantur. Cæterum aliæ sunt actiones vitales, quæ non fiunt necessariò medijs quantitate, ut volitio, & intellectio, quæ spirituales dicuntur, & subjectantur in ipsa anima, quia ipsa sola est principium volitionis, & intellectus; unde constat animam prout hanc aut illam elicere actionem fortiri nomen diversæ potentiae; cum nihil aliud sit potentia, quam principium operationum, licet in re sit sola unica, realis entitas, cum diversis formalitatibus juxta diversas operationes in quas prorumpit; benè igitur in operationibus, quas vocamus materiales, compatitur vitalitas, quin in ipsa anima recipientur immediatè, sed solum medijs quantitate.

Ultimo arguento Respondeo, minimè sequi animam elicere actum volitionis absque prævia cognitione; nam sicut in opinione distinguente potentias realiter ab anima, est ordo, seu subordinatio inter tales potentias, ita ut minimè possit potentia volitiva operari, quin priùs potentia intellectiva operetur; sic etiam etsi anima sit principium immediatum operandi, tamen est ordo à natura præscriptus inter actum volitionis & intellectus, ita ut anima non possit elicere volitionem, quin priùs antecedat actus intellectus; Totum, quod in facultatibus naturalibus ministrantibus patet apud Medicos; nam priùs ad nutritionem celebratur attractio, deinde retentio, ulteriùs coctio, & tandem nutritio, & excrementorum expulsio: talis autem ordo, & subordinatio in his facultatibus à natura est præscriptus, ut nutritio, & augmentatione, irritè non celebrentur: ergo eadem ratione in intellectu, & volitione credendum est accidere, quin ex hoc ullum absurdum in Philosophia sequatur.

Ex dictis constat temperamentum, valde distinctum realiter esse à facultatibus; nam facultates non distinguuntur ab anima; temperamentum autem, nihil aliud est, quam proportio primarum, & secundarum qualitatum conducen-

rium pro esse, & operati formæ : sed dispositio-  
nes, seu qualitates conducentes ad operationem  
formæ planè distinguntur ab ipsa forma : ergo à  
facultatibus , quæ identificantur realiter cum  
forma; & juxta hanc intelligentiam de actionibus  
animæ vegetativæ sermonem faciens Avicen. *fen.*  
*I. l. i. doctr. 6. c. 3.* ait, *His quatuor virtutibus qua-*  
*tuor prima serviunt qualitates* : Si ergo tempera-  
mentum seu qualitates , serviunt quatuor virtu-  
tibus , seu potentiss vegetabilibus , sentit mani-  
festè , realiter temperamentum seu primas qual-  
itates differre à potentiss , quod ita clarum vide-  
tur , quod nullo alio indigeat scrutinio.



### C A P U T I I I .

#### De numero facultatis vitalis & animalis.

**E**X dictis in *prima quest.* constat juxta Avic. doctrinam , quâ ratione dicitur facultas , vitalis nimurum , quia ad munera vitæ conductus ; & per quid constituantur animalis facultas , nem-  
pè , quia ad opera sensus , & motus influat ; quæ verò dicatur naturalis , etiam ibi explicatum est , videlicet , quia ad opera omnia vegetabilia neces-  
saria sit. Constat etiam animalem facultatem re-  
sidere in cerebro , vitalem in corde , & naturalem in jecore , ex his , quæ *Tract. de Part.* docuimus , &  
licet constet etiam de divisione talium facultat-  
rum in *prima quest.* tamen , quia aliqua se offerunt dubiola , oportuit instituere speciale caput , de di-  
visione prædictarum facultatum , ut specialius ip-  
sorum naturam , & operationes agnoscamus.

Et quidem circa numerum facultatis vitalis , quæ residet in corde tamquam in proprio domi-  
cilio , si Principe nostrum Avic. confulamus *fen.*  
*I. l. i. doctr. 6. c. 1.* videtur geminam esse ; alteram generativam spirituum vitalium , & alteram moti-  
vam cordis , quatenus mediis ipsis calor nativus conser-  
vatur , à quo vita dependet , ideoque idem Avic. *loc. cit.* dixit de facultate generativa spiritu-  
tum præparare omnia membra , ad opera vitæ . Et ratione probatur duplē esse facultatem vi-  
talem ; nam ea dicitur facultas vitalis , quæ ad ope-  
ra vitæ specialiter conductus : sed non solum vir-  
tus generativa spirituum , quæ est in corde con-  
ductus ad opera vitæ , verū etiam virtus motiva  
cordis , & arteriarum , Gal. Autore *4. de diff. puls.*  
(ut latius nostro opusculo de *Pulsibus* docuimus ) : ergo adstruendæ sunt geminæ facultates vitales , modo ab Avicenna explicato.

Contra hanc doctrinam aliqua se offerunt ar-  
gumenta : nam potius generatio spirituum vita-  
lium , videtur pertinere ad animam vegetativam ,  
proindeque ad facultatem naturalem , potius quam  
ad vitalem ; non ergo inter facultates vitales erit  
numeranda facultas generativa spirituum . Ante-  
cedens probatur , nam spiritus vitales generantur  
mediā alteratione facta à corde quam communi-  
ter Autores vocant coctionem ; sed facultas alter-  
ativa , & coctrix , est omnino naturalis & ad  
gradum vegetandi attinet , cùm sit una ex mini-  
strantibus , & deservientibus ad nutritionem : ergo  
facultas generativa spirituum non est numeranda  
inter vitales .

Respond . quod licet spiritus generentur mediā  
actione alternativā , aut coquente disponente ad in-  
troductionem formæ spirituum , & actio talis alter-  
ativa , pertinet ad facultatem naturalem ; tamen  
quia facultas formam inducens est propter opera

vitæ specialiter , idè dicitur vitalis , et si facultas  
alterativa , & coquens disponat pro forma spiri-  
tuum ; sicut etiam facultas coquens in testiculis  
disponit pro seminis forma ; & licet semen mediā  
alteratione , & coctione producatur , nihilominus  
ejus facultas est generativa , & instrumentum ge-  
nerationis dicitur , quoniam specialiter ratione suæ  
formæ conductus ad generationem : ergo sic simili-  
ter licet alteratio , & coctio , disponant pro for-  
ma spirituum , tamen ipsorum generatio pertinet  
ad facultatem vitalem , eò quod spirituum vita-  
lium forma tota ordinata est ad opera vitæ , &  
specialiter influit in opera vitæ , merito ergo in-  
ter facultates vitales est reponenda .

De facultate motiva cordis , & arteriarum , vi-  
detur etiam non esse adscribendam in numero vi-  
talium , præcipue in nostra opinione *Tom. 2.* ubi  
sermonem instituendo de facultate pulsifica , do-  
cuimus pertinere ad facultatem medium inter  
vegetativam , & sensitivam : ergo cùm talis facul-  
tas media sit inferioris ordinis , videtur minimè  
esse enumerādā inter facultates vitales , quæ habet  
suā sedem in corde tamquam in mēbro principali .

Resp . quod , et si talis facultas pulsifica , sit media  
inter vegetativam , & sensitivam , si attendamus  
præcisè ad motum cordis , & arteriarū , tamen quia  
ex vi talis peculiaris motionis calor nativus con-  
servatur , à quo vita dependet , & regenerantur  
spiritus , & attrahitur materia ad regenerationem  
ipsorum , idè merito facultas motiva cordis dici-  
tur vitalis , quoniam simpliciter est necessaria , &  
principaliter pro custodia vitæ conductus , & pro-  
pterea arripit nomen vitalis per antonomasiā ;  
nam reliquæ facultates , quæ ad vegetativā animā ,  
& sensitivam spectant , etiam sunt vitales ; quia vi-  
taliter , & immanenter operantur in contrapositiō-  
nem agentium merè naturalium , qualis est ignis .  
Cæterū , quia opera , quæ à corde , & ab ejus fa-  
cultatibus elicuntur præter rationē cōmunem &  
generalē operandi vitaliter , habent illud speciale ,  
quod est conducere specialiter , & simpliciter , atq;  
immediatè pro custodia , & cōservatione vitæ ; idè  
dicuntur vitales in contrapositionem aliarū facul-  
tatū , quæ resident in cerebro , & hepate , in quibus  
adsunt animalis , & naturalis facultas , propter spe-  
cialia opera sensus , & motus , nutritionis , & aug-  
mentationis , ad quæ specialiter concurrunt .

Videtur tamen diminutè processisse Avic. in  
enarratione facultatum vitalium ; etenim nullam  
fecit mentionem de qualitate illustrante , seu irra-  
diante necessaria ad opera vitalia , quam immedia-  
tè producit cor , ultra aliam qualitatem mediis  
spiritibus productam , ab Autoribus concessam ,  
tum in facultate vitali , tum etiā in animali ; de  
hac qualitate illustrante loquitur Gal. *l. an sanguis*  
*in arteriis continetur , cap. ult.* & videtur reponen-  
dam esse inter facultates vitales : nam idè facul-  
tas motiva cordis , & generativa vitalium spiri-  
tuum , ponuntur inter facultates vitales , quia ab  
ipsis dependet vita in fieri , & conservari per sua  
specialia opera , sed similiter est necessaria in com-  
muni opinione qualitas irradians , seu illustrans à  
corde immediatè producta : ergo est facultas vita-  
lis ultra duas ab Avicenna numeratas .

Neque valet effugium asserentium prædictam  
qualitatem illustrantem produci ab anima per  
emanationem , & non per veram actionem rea-  
lem , ac proinde non constituere tertiam speciem  
facultatis vitalis . Nam contra hanc solutionem  
valide egimus *2. quest. præcedenti* dum latè hanc  
eyasione

evasionem impugnavimus, dum potentias ab anima non distingui firmissimis fundamentis demonstravimus, quas facile poterit transferre in hunc locum. Ex his constat juxta Gal. mentem tres esse facultates vitales quas libenter concedit noster Doctor Martinez fol. 133. sui Operis, neque Avic. contrarium sensile fatur. Planè tamen fater saltim accusandum esse Principem Arabem de peccato omissionis, quidquid dicat Doctor Martinez, pro excusatione Principis Avic. dum afferit non adduxisse tertiam speciem potentiae vitalis, quia solum loquutus fuit de potentia non operantibus per modum emanationis. Frivola quidem solutio, quandoquidem ipse sentit emanationem esse veram, & realem actionem, & sine fundamento dici actionem Grammaticalem; non ergo debet exponere doctrinam Avicen. contra proprium placitum, præcipue quando videtur gratis dictum, nam ex nullo verbo in littera Avic. potest deduci hujusmodi evasio.

Nos tamen facile effugimus prædictam difficultatem, cum in nostro Tract. de Part. acerimè accepimus defensandam opinionem negantem necessitatem talis qualitatis illustrantis, ex eo quod tam ad opera vitae, quam ad opera animalia sufficiat qualitas illa producta ab spiritibus, & frustanea sit, atque omnino superflua, alia qualitas illustrans immediatè producta ab anima; quia tamen ibi hæc assertio sufficierat probata est, idè libenter in præsentiarum omitto probacionem: Ergo juxta nostram opinionem doctrina Avicen. inconcussa manet.

Forsitan majori fundamento accusandus videtur Avic. dum loquitur de facultate animali; nam ratio suadet simili modo enarrandas esse facultatis animalis species, sicut, & vitalis; etenim in cerebro tanquam in proprio domicilio est virtus generandi spiritus animales, mediis quibus diffunditur in omnes partes per genus nervosum, virtus ad sensum, & motum, quæ animalis nuncupatur ab omnibus. Ulterius: in cerebro, est motus compressionis & dilatationis similis motioni cordis, & arteriarum, medio quo attrahitur materia ad generationem spirituum animalium, & quo ventilatur calor nativus cerebri & expelluntur fuliginosa excrements: Ergo sicut duplicatur facultas vitalis, per motionem cordis, & per generationem spirituum vitalium, quia hæc omnia influunt in actiones attinentes ad vitam; similiter eodem modo debet multiplicari in duas species facultas animalis, ita ut alia sit motiva cerebri, & alia generativa spirituum animalium; & denique tertia in Gal. doctrina, quæ sicut facetur qualitas alia illustrans, à corde producta, præter illam, quam producunt spiritus vitales, sic etiam simili ratione, eam concedit in cerebro, cum ergo Avicen. ipsas non narret, videtur diminutè procedere.

Respondetur Avicenam, cap. 4. lib. citat. in principio hujus capituli, postquam de motiva cordis, & generativa spirituum, vitalium mentionem fecit, de generativa spirituum animalium in cerebro, & motiva ipsius locutum fuisse, ubi sine dubio fatur, concursum virtutum animalium pro sensu, & motu, quæ sunt animalia opera: Verba Avic. sunt sequentia, *Nisi postquam spiritus in cerebro ad aliam convertitur complexionem, non preparatur ad recipiendam virtutem; que est principium sensus, & motus.* Ex quibus verbis manifestè constat Avic. fateri generationem spirituum

animalium in cerebro, mediis quibus defertur virtus ad sensum, & motum, & diffunditur per totum corpus. Deinde de motu cordis, & cerebri loquitur etiam *inferius* Avic. per sequentia verba. Prater hoc est etiam motus substantia spiritualis subtilis, & principium constrictio[n]is, & dilatatio[n]is propter attractionem aëris & ejus expulsionem. Claret igitur constat ex verbis relatis, non solum fateri Principem Avic. in cerebro facultatem generativam spirituum animalium; sed motivam ipsius cerebri per dilatationem, & compressionem, quæ ad opera sensus, & motus concurrunt: Et cum sit certum facultates diversas, constitui per diversa opera in quæ influunt, & ob hanc rationem, in corde posuit duas facultates; simili etiam, & eodem jure debet concedere duas facultates animalis in cerebro propter opera diversa ad quæ concurrunt specialiter; non ergo omissivè processit Avic. in enumeratione facultatum animalium.

Instatur Avicennæ doctrina: nam ipse cap. 4. citato expressè docet, ( loquens de vitali facultate ) preparare membra omnia ad recipiendam virtutem sensus & motus, & operationes vita. Si ergo ad omnia opera conduceat, quippe deficiente vitali virtute, nullum opus patrari poteat: ergo superfluè ponuntur reliquæ facultates, cum sola vitalis ad omnia opera concurrat.

Respondeatur, quod etsi verum sit, facultatem vitalem ad omnia opera disponere, non tamen dici animalem, nec naturalem, quia ipsa non præstat virtutem ad sensum, & motum specialiter, neque ad opera naturalia vegetandi; unde solum conceditur præparare, & disponere in suo genere, pro reliquis operibus, generali ratione, quatenus nullum est operari sine vita; & cum sola virtus vitalis ad vitam specialiter concurrat, idè specialiter, vitalis facultas nominatur per autonomiam in contrapositionem reliquarum virtutum, animalium, & naturalium. In cuius confirmationem sic ait Avic. *In membro paralytico est virtus, quæ ejus custodiat vitam, donec cum remorum fuerit impedimentum, profluat ad ipsum, virtus sensus & motus.* En clarissimum experimentum ex quo constat non sufficere vitalem facultatem, & virtutem ad omnia opera, cum in membro paralyti affecto, opera vitae reluceant, minimè vero opera animalia sensus, & motus, donec removeatur impedimentum pro communicatione virtutis animalis: ergo planè convincitur, diversam validè esse facultatem animalem, à vitali, & hanc solam non sufficere ad omnia opera.

Sed quid dicendum de ira, & timore: nam videtur inter facultates vitales esse reponendas, si dictis Avic. itemus, constat autem iram, & timorem pertinere ad facultatem animalem, quoniam mediè cognitione fiunt: ergo non videtur firma hæc doctrina. Cæterum ut veritas hujus dubioli clarescat, & Avic. mens examinetur, audiamus verba ipsius cap. 4. cit. ubi postquam loquitur de vitali virtute, sic ait; *Quibus etiam admiscentur sen adiuntur timores, & ira motiones, properea quod in eis reperiunt dilatationem, & constrictio[n]em, quæ accedit spiritui, qui huic proportionatus est virtuti.* Ex quibus verbis constat Avic. minimè affirmâsse timorem, & iram absolute pertinere ad facultatem vitalē, sed miseri virtuti vitali, quatenus in dictis passionibus spiritus vitales immutantur, unde ratione motionis talium spirituum dixit Avic. aliquo modo attinere ad vitalem facultatem, per accidens tamen; nam rigorosâ locutione, omnia animi pathemata,

pathemata, ad animalem facultatem reducuntur, cùm fiat præsupposita sensatione, & similiter omnes actiones internæ, & externæ, de quibus specialiter Philosophi disputatione, idèò examen peculiare de ipsis non facimus, quia non sunt nostri instituti.

Rogabis, an ex dictis constet proprium temperamentum ab anima oriri, sicut, & potentias ipsas per emanationem ( quidquid sentiant Autores, de realitate talis actionis, de qua *suprà* egimus ) quid dicendum de tali productione temperamenti; ad quam scilicet virtutem pertineat: nam revera neque ad animalem, neque ad vitalem reduci potest; etenim minimè pullulatio temperamenti pendet neque à cerebro, neque à corde, ut per se patet. Rursus, neque ad facultatem naturalem spectat, cùm nulla sit ex facultatibus ministratis, nec ministrantibus.

Respondetur in praesenti pro nostro instituto de facultatibus corporis humani agere spectat, minimè vero de illis, quæ mixta debentur, quatenus mixta corpora sunt; temperamentum autem debetur corporibus sub ratione generali, quatenus mixta sunt, non sub ratione particulari corporis humani, de cuius facultatibus in praesenti agimus, & ipsatum numerum examinamus.

#### C A P U T I V .

##### *De numero, & objecto facultatum naturalium.*

**N**T E R facultates naturales aliæ dicuntur ministratæ, aliæ vero ministrantes. Ministratæ dicuntur, quæ proprium exercent munus, supposita actione aliarum facultatum ministrantium, quæ operantur propter ministratas, idèò que ministrantes nominantur, quoniam operationes ipsarum ordinantur ex propria natura ad operationes aliarum, quæ dicuntur ministratæ, & forsitan servientes ab aliquibus appellantur facultates ministrantes, quorum dominium residet in ministratis.

Ex his deducitur facilè, inter facultates naturales, nutritivam, augmentativam, & generativam, esse ministratas. Ratio ex dictis constat: nam illæ dicuntur facultates ministratæ, quarum opera dependent ab aliis facultatibus operantibus præcisè propter illas: sed opera nutritivæ, augmentativæ, & generativæ facultatis per dependentiam attrahentis, retinentis, coquentis, & expellentis facultatis, quæ præcisè operantur, propter nutritivam, augmentativam & generativam: ergo meritò istæ dicuntur ministratæ, & illæ ministrantes. Constat ergo ex his facultates ministratas esse tres, & ministrantes esse quatuor.

Dices, nutritivam, & augmentativam potentiam, non esse ministratas, sed potius ministrantes; etenim videtur actiones ipsarum deservire pro generativa potentia: ergo potius dicuntur ministrantes. Antecedens probatur: nam per nutritionem disponitur alimentum, ut ex ipsa generetur semen, quod est instrumentum generationis; quippe testes pro sua nutritione fabricant semen actione ipsa nutritiva. Rursus per augmentationem ipsius viventis redditur semen fecundum: Ergo hujusmodi facultates operantur propter generativam, ac per consequens inter ministrantes debent enumerari; ruit ergo doctrina nostra.

Respondeo facultatem generativam seminis, minimè differre à nutritiva testium, nam agit in materia seminale tanquam in proprium alimentum ex quo nutriuntur; licet instrumentum illud productum pro nutritione habeat aliam facultatem diversam generandi, undè non servit facultas nutritiva generativæ, nam licet per actionem nutritivam producatur instrumentum generationis, non est, quia ipsa nutritio ordinatur ex se ad generationem, sed potius ad nutritionem propriam testium; & cùm testes alias sint constituti in ratione partis principalis, per se producunt instrumentum generationis propter dignitatem officij, ut latè *Tractatus de Humoribus* docimus, loquendo de productione seu generatione diversorum humorum in jecore, & illam esse propter dignitatem officij insinuavimus: & proinde idem dicendum de facultate principe, quæ residet in testiculis, in ordine ad speciem. Itaque si consideretur facultas nutritiva in ipsis, ultimè produceat suam formam in proprio alimento, sicut omnes partes in rore, & cambio, quod & gluten est, quæ humiditates secundæ nominantur, & disponuntur à facultate nutritiva partium pro sua assimilatione: hæc autem actio independens est à generativa, & minimè ordinatur ad generativam, licet supponatur, seu, ut melius loquar, sit simultanea, seu identificata cum generatione seminis, quod ( alias habet facultatem generativam sibi insitam ad productionem similis viventis à quo deciditur ): Cæteræ autem facultates quæ ministrantes dicuntur, solùm valent preparare alimentum pro nutritione, augmentatione, & generatione, & sic totum suum esse est ordinabile ad alias, & sic meritò dicuntur servire, & ministrare aliis, quoniam non ultimè formam indicunt, sicut nutritiva, augmentativa, & generativa, & præcisè ob hanc formalitatem distinguntur facultates ministrantes à ministratis: Etenim valdè diversum est, supponi unam facultatem ad alteram, ac ordinari ex propria natura ad alteram; hoc constituit facultatem in ratione ministrantis, & illud non tollit esse aliquam facultatem ministratam, & cùm facultas augmentativa, ultimè etiam producat suam formam, quin sit ordinabilis ex se, & per se ad aliam, idèò sicut nutritiva est ministrata, similiter & augmentativa.

Constat ex dictis facultates ministrantes, quartario numero comprehendendi, & dennò probatur: nam tractio alimenti, ipsius retentio, coctio, & excrementorum expulsio, fiunt à facultatibus ministrantibus superius numeratis: sed omnes istæ actiones, ex se sunt ordinabiles ad nutritionem, quin ultimè inducant formam: Ergo sunt facultates ministrantes ipsæ solæ; eum certum sit attractio alimento, retento, & cocto, neconon etiam excrements expulsis, nihil deficere de his, quæ attinent ad ministrationem, ut facultas nutritiva operetur: non ergo est adstruenda altera facultas ministrans diversa, ab his, quæ enumerata sunt.

Objicies, ut facultas nutritiva operetur in omnibus partibus, est necessaria distributio alimenti, per cuius defectum laeso reperitur in membris, Gal. autore 3. de causis symptomatum: ergo erit addenda altera facultas distributiva, inter ministrantes. Ulterius defectu applicationis, alimenti in hydropticis, tenet Gal. 1. de facultatibus naturalibus, deficere nutritionem: ergo alia facul-

tas operativa erit necessaria affigens alimentum in partibus.

Respondeo, facultatem attrahentem distribuere alimentum, cum propria ejus functio sit trahere ipsum pro qualibet parte in qua residet, deinde facultas retinens applicat alimentum, & ipsum affigit in quolibet membro, & sic minimè est necesse multiplicate alias facultates ministrantes pro nutritione, quandoquidem nulla urget necessitas, ut per se est manifestum.

Secundum quod inquirimus in quæstione attinet ad objectum facultatum naturalium; & quidem de ministrantibus, certum est attrahentem, & retinentem ordinari immediatè tanquam in objectum proximum ad alimentum attrahendum, & retinendum pro nutritione viventis, ita ut nutritio, seu terminus ejus sit objectum remotum, & principale, & mediatum, quod respiciunt hujusmodi facultates, ut ex se est manifestum; objectum verò immediatum facultatis coötricis est modus substantiæ ortus ex unione oppositorum patibilium, juxta ea quæ *nostro opusculo de Coctione* docuimus, Tom. I. nostrorum Operum; & denique facultatem expultricem immediatè terminati in excrementorum expulsionem, in confessu est omnibus. Remotum verò & principale omnium facultatum, esse absolutam & uberrimam nutritionem, seu terminum ejus, cum totum esse harum facultatum sit ordinabile ad ultimum finem assequendum in viventi mediâ præparatione alimenti, quæ sit per attractionem, ipsiusque retentionem, & per modum substantiæ perfectivum, quem adquirit per coctionem; & denique per excrementorum expulsionem mediâ quâ magis proportionatum redditur pro nutritione. Ex quibus constat objectum remotum & principale facultatum ministrantium, esse nutritionem viventis, seu ipsius terminum; proximam verò & immediatum esse illud quod nuper de cuiusque facultate assignavimus.

De facultatibus autem ministratis etiam est certum ( si Philosophis credendum est) augmentativam ordinari in acquisitionem quantitatis novæ per unionem quantitatis alimenti, cum quantitate viventis, quidquid sit de formalitate augmentationis, an consistat in unione dicta utriusq; quantitatis, an verò in ipsa quantitate denuò adquisita, in quo non immoror, quia ad Physicum magis, quam ad Medicum spectat. De generativa notandum est, aliud esse loqui de actione immediate terminata ad substantiam seminalem, à testibus & eorum facultate nutritiva elaboratam; aliud verò de ipsa facultate latente in semine considerato tanquam instrumento generationis. Si de prima acceptione loquamur, certum est attinere ad nutritivam facultatem, ut *suprà* docuimus, & sic *infra* de ejus objecto constabit. Si in secunda significazione accipiatur facultas generativa, dicendum est ordinari facultatem generativam seminis in productionem viventis similis, à quo decisum fuit semen, & de hac facultate, docuimus latè Tomo nostro I. ubi pro libito ea, quæ ibi dicta sunt, poterit quisquam transferre.

De objecto nutritivæ facultatis aliqua se offert controversia, in qua aliqui affirmant transmutationem alimenti esse proprium objectum facultatis nutritivæ; cuius opinionis fundamentum est: nam illud est objectum alicujus facultatis in quod talis facultas ordinatur; sed nutritiva ordinatur in transmutationem alimenti in propriam substantiam:

ergo ipsum transmutari est ipsius objectum. Confirmatur à simili de artificialibus: nā objectū fabri non sunt ligna & lapides, sed domus ipsa, quā intendit fabricare: ergo sic similiter cū finis facultatis nutritivæ sit transmutatio alimenti in substantiam alii, ipsum transmutari erit proprium objectum.

Noster Martinez *suo libello de rebus naturalibus* &c. fol. 137. tener objectum facultatis nutritivæ, esse alimentum, minimè verò transmutationem. Cujus fundamentum est, nam facultates actione immanenti operantes (qualis est nutritiva) ita se habent ut eatum objectum sit quod cognoscitur, minimè verò ipsa cognitione: ergo objectum facultatis nutritivæ erit ipsum alimentum circa quod versatur, & non ipsa transmutatio; etenim alimentum, circa quod tendit est, quod transmutatur, ac proindè alimentum erit objectum, & non actio transmutativa ipsius.

Cæterum, in hac re distinguere est necesse objectum materiale, & formale facultatis nutritivæ. De objecto materiali dubium non est quin sit alimentum: quippe actio nutritiva agit in alimentū, & ipsum intendit quilibet pars nutrienda assimilari in propriā substanciali. Quo admissō tanquam certo, dicimus objectum materiale facultatis nutritivæ esse alimentum, èd quod in ipsum agit; non tamen ibi quiescit usque dum finem intentum assequatur, quod est assimilatio ipsius in propriam substanciali, & hic est finis intentus à facultate nutritiva cujuslibet partis, & principalis, in qua versatur: ergo objectum formale est substantia similis adquisita mediâ actione transmutativâ, minimè verò ipsa transmutatio. Patet consequentia; nam illud est objectū formale alicujus facultatis, quod terminat actionem formalem ipsius; sed actio formalis nutritivæ facultatis non terminatur in alimentum, licet in ipsum agat, sed in substanciali denuò adquisitam mediâ actione transmutativâ: ergo substantia denuò adquisita similis erit objecto formali in quod terminatur actio nutritiva. Et cùm alias certum sit, quod et si attingat alimentum, quoniam in ipsum agit, non tamen ibi quiescit actio; sed tota est ordinata in finem ultimum, seu objectum, quod intendit facultas nutritiva mediâ suâ actione transmutante, clare deducitur materiale objectum esse alimentum, formale verò esse substanciali denuò adquisitam & assimilatam.

Confirmatur: nam illud dicitur objectum alicujus facultatis, in quod ultimè terminatur actio ipsius, & à quo sumit denominationē formalem: sed non ab alimento, sed à substantia denuò adquisita dicitur pars nutrita, & alia: ergo talis substantia est objectum formale hujus facultatis, & minimè alimentū ipsum, et si consideretur quatenus transmutandum; etenim quod transmutandum est, dummodo non sit transmutatum, non terminat ultimè actionē transmutativam, sed ita est in via usquedū attingat ultimū terminū; atqui non attingit ultimū terminū, usq; dum alimentum sit transmutatum; in quo eventu jam evanescit formalitas alimenti: ergo neque alimentū absolutè, neq; consideratum quatenus transmutabile est objectū formale nutritivæ facultatis; neque ipsa transmutatio, sive actio transmutativa, utpote ipsa non est terminus sed via ad terminum, quia est pars substantifica in quam transmutatur alimentum, & in quam terminatur ipsa actio: ergo talis substantia denuò adquisita est terminus ultimus, & formalis nutritivæ facultatis, & alimentū est objectū materiale, seu terminus vialis talis actionis. Et confirmatur à simili; nā

Iapides, lateres, & ligna, nō sūt objectū principale, & formale fabri, sed potius se habent tanquam materia circa quam agit faber, domus verò quæ ædificatur, aut ædificata est, est objectum formale, in quo quiescit artifex, & circa quod versatur: ergo sic similiter de nutritiva facultate philosophandum, quæ tota intenta est in fabrica nutritionis propriè, mediā alteratione viali in alimento; terminata tamen in substantiam denuò adquisitam tanquam in domum fabricatam: jure ergo optimo ipsa est terminus formalis nutritionis. Ex qua doctrina si forsitan, quæ dicta sunt superius, ex aliis opinionibus militant contra nos, manent soluta, & dubium satisfactum.

vegetandi; cùm omnes sint ex sua natura ordinatae ad nutritionem, & augmentum, in quibus vegetativa vitalitas relinet: ergo tales actiones & facultates à quibus procedunt, necessariò dicuntur vitales. Secundò validari potest assertio proposita, quia ex nullo capite melius deducitur vitalitas in facultatibus, quām ex altiori modo operandi, contrapoiso modo operandi agentium merè naturalium: sed facultates naturales operantur altiori, & perfectiori modo quām agentia merè naturalia: ergo operantur vitaliter. Minor probatur: nam agentia merè naturalia, & quæ non operantur vitaliter ut ignis, agunt in quantum possunt, absque electione aliqua; sed facultates naturales non agunt in quantum possunt, sed etherogeno modo, & veluti cum electione aliqua; quippè absolute non trahunt in quantum possunt, sed idoneam materiam pro nutritione, ipsamque retinent, & inutilia excrementa propulsant, aliisque opera moluntur, ut alimentum reddatur magis depuratum, & idoneum pro nutritione, & augmento, & hoc certo quodam ordine, & minimè cœco impetu, quemadmodum operatur ignis: ergo altiori modo operantur facultates naturales, & non in quantū possunt, sicut ignis, ac proindè operatur vitaliter, & nō merè naturaliter.

Sed dices: etiam medicamenta expurgantia trahunt cum electione quadam, quippè Rhabatbarum expurgat bilem, ipsam trahendo electione ex venis in quibus reliqui humores sunt permixti cum bile; idem de agarico respectu pituitæ accidit, & sic de reliquis humoribus respectu medicamentorum, cum quibus habent familiaritatem. Ulterius etiam magnes, solùm trahit ferrum, & minimè aliud corpus, etiam si sit contiguum, & ferrum remotum: ergo operantur hujusmodi agentia naturalia, etherogeno modo, & veluti cum aliqua electione, & tamen non operantur vitaliter: ergo licet facultates naturales operentur cum electione, inde non deducitur optimè, quod operentur vitaliter. Urget etiam hanc doctrinam actio seminis, quæ in nostra opinione non est vitalis; quippè semen non vivit, & tamen operatur mirificā illam fabricam, delineando diversa membra in diversis partibus materiæ suo ordine, & proportione, & situatione requisita ad organisationem naturalem viventis; & tamen hæc actio tot circumstantiis depicta, non est vitalis; etsi videatur excedere modum operandi agentium naturalium: ergo idem dicendum de facultatibus naturalibus, etsi selectione quadam operetur; aliâ ergo via indaganda est vitalitas in dictis facultatibus.

Respondeo facultates naturales ministrantes, & ministratas, illud habere peculiare in suo modo operandi quo distinguantur ab agentibus naturalibus, & quo constituantur in esse vitales; nempe quod operentur cum subordinatione facultatis ad facultatem, ita ut earum operatio tali ordine & subordinatione procedat, ut prius facultas attrahens arripiat alimentum proportionatum, & in quantitate proportionata, deinde retinens illud retineat, usque dum coquens facultas illud perficiat, quo tempore expellens propulsat excrecentias partes, ut alimentum maneat magis assimilatum, & depuratum pro nutritione, & tunc, & non anteà, operatur ministrata facultas nutritiva, & deinde augmentativa; tunc sic argumentor: sed iste modus operandi excedit valde modum operandi agentium merè naturalium; quippè talia agentia minimè operantur cum hac sub ordinatione,

## C A P U T V.

*An facultates naturales sint vitales.*

**H**X his, quæ precedentibus capitibus dicta sunt, constat clare distinctio inter facultatem vitalem, quæ residet in corde, & inter animalem, & naturalem, quæ habent proprium domicilium in cerebro, & jecore, & diversificantur penes diversa opera in quæ specialiter influunt, in praesenti autem non inquirimus, an facultates naturales sint de genere vitalium, quæ resident in corde; nam cùm deserviant ad diversa opera, certum est ad diversam facultatem pertinere. Dubium ergo procedit de modo operandi talium facultatum, an scilicet operentur tanquam agentia merè naturalia, sicut ignis; an verò in modo operandi excedant valde modum operandi agentium merè naturalium, ratione cujus altioris ordinis dicantur, & operentur vitaliter, seu immanenter.

Et quidem de facultatibus naturalibus præcipliè procedit controversia: nam de pulsifica facultate latè disputavimus nostro Tomo 2. ubi diffusè satis probavimus pertinere ad facultatem medium inter sensitivam & vegetativam, de qua etiam obiter aliquid dicemus, similique de facultate generativa spirituum, & de prodigiæ illustrantis virtutis, quæ immediate ab spiritibus procedit; de facultate animali, quæ ad gradum sensitivum, & sensitivam animam reducitur, dubium non est quin sit vitalis; quippè ejus operationes sunt præcedente cognitione, & sensatione, cùm autem talis modus operandi sit altioris ordinis, qui minimè in ullo agentium merè naturalium repeatitur, dicendum est opera facultatis animalis, sensus scilicet, & motus voluntarij, esse vitalia, & ostendere sine dubio vitæ, in suo principio elicitive.

His prædictis de facultatibus naturalibus aliquibus visum fuit, minimè esse vitales, quorum fundamentum est: quod alia agentia merè naturalia simili modo operantur; quippè ignis augetur, & veluti nutritur sibi aggregando ignem, & magnes attrahit ferrum, à quo conservatur ejus virtus, & talis lapis nutritur: cùm ergo hujusmodi opera, minimè ostendant vitam in suo principio elicitive; videtur etiam neque augmentationem, neque nutritionem, nec attractionem in facultatibus naturalibns ostendere vitam in suo principio elicitive, ac proindè inter merè naturales esse numerandas.

Verior opinio tenet, facultates naturales esse vitales. Ratio est, quia hujusmodi facultates operantur dependenter ab aliquo gradu vitæ: nā pertinent ad animam vegetativam, seu ad gradum

# Cap. V. An Facult.natur.sint vitales. 311

tione, & ordine, sed in quantum possunt, quin in suis operibus reuceat, talis ordo, & veluti discrecio: ergo rationabiliter censeri debemus in tali actione, & perfectiori modo operandi consistere vitalitatē, & per ipsum distingui sufficienter actio-nes, & facultates vitales à non vitalibus. Quā ratione Gal. 3. de facult. nat. c. 6. aiebat, *Trahere est propter potiri: quoniam omnes iste facultates agunt, & ordinantur prædicto ordine, propter nutritio-nem & augmentum; & quia iste facultates ministratæ non operantur usq; dum ministrantes ope-rentur; id est in ipsis est subordinatio, & discretio, & sic omnes operantur vitaliter.*

Ex his, facile objectionibus propositis responde-tur: nā, et si in peculiaribus medicinis purgantibus, sit peculiaris familiaritas, cū peculiaribus humorib; ratione similitudinis, aut quia operatur à tota substantia tractionem illam, sicut accidit in Mag-ne te respectu ferri; tamen illam tractionem ope-rantur hujusmodi agentia in quantum possunt, absq; subordinatione aliqua, & absq; directione. Unde illud trahere non est propter potiri, néque ordinabile ad aliud, & sic neque tractio medica-mentorum purgantium, neq; magnetis tractio est vitalis, sed merè naturalis. Idem de actione deli-neativa feminis est dicendum; nam illa est propria & innata, concessa huic instrumento generatio-nis, & talis facultas operatur in quantum potest, talem delineationem, & situationem, absque sub-ordinatione aliqua, & directione, seu discretione; id ēque licet talis fabrica sit mirifica, propter ejus varietatem; tamen est omnī naturalis, quia fit à principio omnī naturaliter operante, & absque aliqua subordinatione facultatis, ad facultatem; sed in quantum potest operatur semen opus ad quod à natura destinatum est: quā doctrinā nullius roboris sunt argumenta in contrarium adducta.

Restat ut de facultate pulsifica aliquid dicamus; & cū ex dictis constet, pertinet ad facultatem medianam inter vegetativam, & sensitivam; videtur opus pulsifica facultatis esse vitale, nam fit à fa-cultate altioris ordinis, quam vegetativa, & aliquantulum inferioris, quam sensitiva, sed si opera, quā procedunt ab anima vegetabili, aut à gradu vegetativo sunt vitalia, ut dictum est, potiori jure opera pulsifica vitalia debent esse, cū procedant à gradu animæ perfectiori. Idem de generativa spirituum dicendum est, si consideretur actio, qua-tenus se tenet ex parte cordis; nam cor intendit suam nutritionem ex illa materia in qua prius quam forma viventis resultet, resultat per acci-dens forma spirituum (& idem degeneratione spi-rituum animalium, cū sit idem fundamentum) ergo talis actio quatenus se habet ex parte cordis est nutritiva, licet non accedat ad ultimum terminum, proindeq; est vitalis; quemadmodū actio, quā testes generant semen, quod alimentum proprium, & proportionatum est ex quo nutruntur.

De qualitate illustrante, ab spiritibus sive vitali-bus, sive animalibus immediate, producta, dicen-dum est, non esse vitalem; nam eam producunt spi-ritus sine electione, aut subordinatione aliqua; in opinione probabiliori resultat à spirituum for-ma, & sic jure optimo reputatur pro naturali ac-tione, & minimè pro vitali. De actione, quā agit tem-peramentum, etiam est certum esse merè natu-rale, quia in quantum potest agit temperies & absq; ulla electione, & subordinatione. Cæterū est in diversis partibus diversimodè operetur, ut propter diversam temperiem inductam; nam ea-

dem semper erit nata producere eundem effectum; & licet produceret diversos effectus, indè non benè infertur agere actione vitali; nam diversa dispositio ex parte materiæ sāpē id facit, quin in actione sit vitalitatis alicujus suspicio.

Restat scrupulus circa facultatem expultricem, quam suprà posuimus inter facultates ministran-tes, & de omnibus diximus pertinere ad gradum vegetandi, seu ad vegetativam animam. Videtur tamen potius ad sensitivam attinere; nam in pluri-bus partibus celebratur expulsio excrementorum præcedente sensatione, exempli gratiā in urinæ expulsione, & dejectionibus per alvum: sed opera-tiones, quæ celebrantur præcedente sensatione pertinent sine dubio ad facultatem sensitivam: falsò ergo asserimus facultatem expultricem com-putandam esse inter naturales, quæ ad gradum vegetandi reducuntur.

Respondco actiones omnī naturales, minimè fieri præsupposita sensatione, seu cognitione, sed solā naturali antipathia cum excrementis operari: cæterū urinæ excretionem, & alvi dejectiones, esse actiones mixtas, seu naturales, & voluntarias, juxta Avicennæ doctrinam, quem sequuntur plures & non insimilæ notæ Doctores; undè ea ex parte, quā sunt naturales, sine dubio operarentur, quin præcederet sensatio: ea tamen ex parte quā depen-dent à musculis, sine quorum laxatione non po-test fieri expulsio, necessarium est, quod præcedat sensatio ad expulsionem; nam in dictis partibus fuit necessaria talis dependentia propter ordinem, & debitum modum requisitum ad expulsione tam-um excrementorū; & ita non solū retinet ipsa naturalis facultas, sed musculi alij, qui etiam simul cum expultrice naturali juvent ad expulsionem mediā suā laxitate, ad quam præcedit sensatio, & sic meritò tales expulsiones in dictis partibus ce-lebrantur duplii facultate operante naturali sci-liset, & voluntaria, ut liberè possemus talia excre-menta propulsare, & in occasionibus decentibus ad ornatum & commercium. Constat ergo ex his, per accidens se habere præcedentiam cognitionis, & sensationis ad expultricem facultatem natura-lem, si ipsam secundum se consideremus.

## C A P U T VI.

An in partibus sit peculiaris facultas  
operans propter totum, seu propter  
bonum commune.

**N**OTUM est apud omnes Professores Medi-ci-næ dari in nostro corpore quasdam partes ea dignitate à natura constitutas, ut non solū operentur peculiares sua munera nutritionis, & augmenti, & reliqua, quæ ad suas facultates ministrantes spectant, verū etiā alias exerceant fun-ctiones pro toto viventi communes, & simpliciter necessarias: sic videmus ventriculum chylosam substantiam pro toto confidere præter propriam, & peculiarem actionem pro suo nutrimento. Simi-liter jecur massam sanguinariam ex quatuor hu-moribus compositam elaborare, valde necessariam pro conservatione viventis. Ulterius etiam con-stant renes trahere nimiam seri quantitatem, ves-icam fellis biliosum humorē, lienem etiam melancolica excrementa, à jecore trahere, & ali-quarem portionem in ventriculū mittere pro ex-citatione famis, quæ omnia opera potius videntur

destinata pro bono communi, quām pro peculiariis functionibus prædictarum partium.

Ex his ratio dubitandi oritur, & inquiritur, an prædicta membra unicā, & eadem facultate propriā, & innatā, operentur varia hæc munera, an verò in his sit concedenda peculiaris altera facultas, quæ à natura sit ipsis concessa, ut propter bonum commune, & totius operetur, in qua difficultate nostro Primario Martinez, in suo Opere de rebus naturalibus pag. 141. visum fuit non esse in membris multiplicandam alteram facultatem operantem propter bonum commune, & totius, sed sufficere propriam, & peculiarē facultatem cujuslibet membra ex dictis, ut illa munera, quæ videntur communia eliciantur. Assumptum probat unicā, & suo videri, efficacissimā ratione; nam facultates differunt ratione diversarum operationum: sed opera, quæ eliciuntur à dictis partibus conductentia pro toto, sunt eadem cum operibus peculiaribus, & propriis eundem partium: ergo & facultates à quibus procedunt identificantur, quin sit necessarium de novo adstruere specialem, & novam facultatem, quæ operetur præcisè propter bonum totius. Minorem probat: nam coctione, tractione, & expulsione omnia opera talium facultatum complentur: sed hæc omnia celebrantur propriis, & peculiaribus facultatibus: ergo frustra ponitur alia nova; etenim facultas operans propter totum, eodem modo operatur, ac illa quæ operatur propter se peculiarē, & proprium opus: cùm ergo idem modus operandi sit in dictis partibus, ad omnia munera, eadem est facultas à qua omnia fiunt, & minimè est multiplicanda altera nova.

Hæc tamen ratio minimè convincit assumptum: etenim non probat eodem modo operari facultatem quando proprium opus conficit, ac quando operatur propter totum; imò bonum rationabilius; nam elec̄tiori modo trahit ventriculus materiam nutrimentalem propriam, quām materiam alimenti, ex qua fabricat chylosam substantiam, & jecur etiam pro sua nutritione, non trahit totam materiam chylosam, sed pro fabrica quatuor humorum ex quibus pars quælibet juxta suam etherogeneitatem arripit bilem, aut pituitam, aut melancholiam, aut sanguinem quartum humorem, & hoc quidem diversa actione ab illa, quā trahit chyrum, etsi in generico prædicato tractionis convenienter; nam in primo casu trahit pro toto, in secundo specialiter trahit pro suo nutrimento seligendo materiam proportionatam in quantitate & similem in qualitate: ergo diversimodè operatur jecur & ventriculus quando attrahunt materiam pro toto, ac quando attrahunt materiam pro sua peculiari nutritione: ergo diversificantur actiones, proindeque, & facultates à quibus procedunt; & idem currit argumentum de retentione & expulsione: non ergo etsi omnia opera fiant tractione, retentione, & expulsione, eodem modo operantur partes, ac proinde non eadem facultas operatur. Confirmatur à simili: nam, etsi tractio facta à Rhabarbaro respetu bilis conveniat cum tractione, quā quælibet pars trahit alimentum; tamen diversa sunt facultates, etenim illa dicitur omnino naturalis, hæc verò vitalis: ergo sic similitet licet partes trahant materiam alimenti pro chylo, & chyrum pro sanguine, diversa tamen erit hæc tractio, quā illa, quā trahunt proportionatam materiam pro suo nutrimento; etenim hæc tractio fit selectiori mo-

do, illa verò fit trahendo nimiam quantitatam materiae, & improportionatam pro suo peculio; proportionatam tamen pro toto, & ut omnes partes arripiant alimentum proportionatum: jure ergo optimo censenda est diversa actio illa, quā jecur trahit chyrum, & ipsum elaborat pro fabrica quatuor humorum, ab illa, quā trahit peculiarē, & proportionatum alimentum pro sua nutritione, ac per consequens diversa erit facultas à qua elicetur.

Præterea etiam hæc ratio clatiūs convincit contra nostrum Martinez in tractione serosae substantiae facta à renibus; nam hæc materia est incapax ut renes ab ea nutriantur, utsi pars aqua incomutabilis alimentorum, & ulterius talis attractio est valde immodica, & improportionata pro sua nutritione, (in casu in quo esset capax,) & solū à natura providè concessa renibus, ut expurgaretur tota massa sanguinaria, ab inquinamento fieri; ex cuius retentione corrumpetur sanguis: ergo talis actio debet fieri facultate diversâ, quæ solū operatur propter bonum totius. Patet hæc ultima consequentia; quia renes per illam actionem non intendunt propriam nutritionem, sed expurgationem sanguinis, ut per se patet: ergo à facultate diversa fit operante propter totum, etsi forsan propter se est secundariò, & quasi per accidens, ut scilicet materia ex qua nutriendi sunt renes sit magis libera, & depurata ab excrementis.

Præterea in favorem hujus probationis sic arguo, natura provida fabrefecit jecur, ventriculum, & renes, tanquam officinas communes eā dignitate constitutas, ut ministrarent materiam simpliciter necessariam pro bono communi: ergo rationi magis consonum videtur, quod ipsis partibus concessent facultates peculiariter operantes pro bono communi. Cæterū, quod non sufficiat facultas cujuslibet membra pro hoc ministerio, probatur, quippe nullum aliud membrum disponit materiam pro bono communi, etiamsi ornatum sit omnibus facultatibus ministrantibus, & ministratis: ergo credendum est naturam speciāliter concessisse officinis communibus aliā facultatem, quā munera communia exerceant, & non sufficere illam, quā operantur propter se, sicut non sufficit, quæ in aliis membris est concessa pro coram conservatione. Propterea mihi videtur probabilius, in peculiaribus membris adductis, facultatem aliam operantem pro bono communi multiplicandam esse: quod præterquam probatum est ex impugnatione facta contra nostrum Magistrū, etiam ex suis principiis suadetur: nam quando ventriculus fabricat chyrum, & jecur quatuor humores, minimè operantur propter se; imò potius tales actiones sunt via ad terminum & formam, quæ per accidens resultat, in opinione hujus Doctoris: ergo non elaborant chyrum, & massam sanguinariam facultate propriā peculiarē, operante propter se, sed potius aliā diversā facultate operante propter totum, & producente materialē simpliciter necessariam pro sua conservatione. Cæterū, quod talis materia secundariò deserviat pro nutritione peculiarī harum partium, est omnino per accidens, & sic credendum est non fieri à facultate membra peculiarē operante propter propriam nutritionem & conservationem. Præterea etiam non caret scrupulo asserere, actionem ita necessariam, qualis est illa, quā producitur chylosa substantia pro bono communi esse terminatam in formam resultante omnino per accidens. Quod præcipue in jecore in nostra opinione minime ha-

ber locū; ibi enim latē probavimus, illā actionem per se terminari in massā sanguinariā, & esse per se intentā à jecore propter dignitatē officij in quo est à natura cōstitutum jecur. Quā doctrinā clariū intelligitut, actionem illam, quā jecur producit quatuor humores præcisē ordinari in bonum commune totius, & procedere ab alia facultate propter totius utilitatem operante, & minimè à peculiari, quæ solū dirigitur ad peculiaria opera jecoris, quatenū membrum peculiare, & non quatenū operatur pro bono communī. Consonat Galen. cap. 4. de diff. symptom. ubi tenet diversum symptoma oriri à ventriculo, ut organum coctionis, seu elixationis est in ipsius cavitate à symptomate, quæ accidere potest si consideretur ventriculus quatenū propriam exercet nutritionem. Ex qua doctrina colligitur diversā facultate operari quando conficit chylum, ac quando nutritur, alias non posset esse diversum symptoma sub una ratione, quin esset sub alia: ergo vero similius est in officinis communib[us] naturam providam adstruere novam facultatem à qua opera necessaria simpliciter pro toto fiant, præcipiū cùm ratio contrarium suadens nullius sit momenti, ut constat ex dictis.

• • • • • + • • • • • • • • • • • • • • • •

## CAPVT VII. ET VLTIMVM.

### De instrumentis facultatum naturalium.

**C**OMMUNITER receptum apud omnes Medicos est juxta Avic. doctrinam, facultates naturales uti duplice instrumento ad suas functiones obeundas, nēcē qualitatibus seu temperamento ex omnibus conflato, & fibris, mediis quibus facultates ministrantes, sua opera exercent: de omnibus igitur in presenti cap. age-re intendimus.

Et quidem de fibris certam est in doctrina Gal. lib. 3. de facultat. naturalib. cap. 10. esse triplex genus fibrarum, & hanc doctrinam admittunt inconcusse omnes Medici, & docent quasdam esse fibras rectas destinatas ad trahendum; obliquas alias ad retinendum servientes, & tandem transversas ad expulsionem dicatas. Totum quod clariū notificavit Gal. lib. 5. de usu partium cap. 11. per sequentia verba: *At vesicarum tunice, rectos ac rotundos, & obliquos habent villos, una enim utriusque vesica tunica, cùm si ad omnem motū speciem, constructionem adepta est accommodam. Siquidem, & motum quem attrahendi causā illi recti, & cum quem excernendi causā, transversi, ad extremum etiam eum, quem, ut ea etiam retineant, quibus undique apprimuntur, obliqui confidunt, instrumenta ipsa habere aequum fuerat.* Ex quibus verbis satis clare constat distinctione inter diversas fibras ad diversa munera servientes, in facultatibus, quoru[m] opera sunt medio motu, minimè verò in coctrice facultate, ponuntur, cùm hæc operetur citra motum; & adhuc in reliquis, quæ medio motu operantur, hujusmodi fibræ minimè sunt instrumenta simpliciter necessaria, ut operentur; etenim ossa, & plantæ attrahunt, retinent, & expellunt absque fibris, non aliter ac Magnes attrahit ferrum, & retinet ipsum, absque illo motu ipsius Magnetis: in[m]o & cerebrum, et si motu operetur, ut experientia constat, tamen sine fibris operatur, cùm

ip[s]is careat, juxta Galen. placitum cap. 4. de instrumento odoratus: Et omnes Anatomici eandem veritatem experimentis testificant. Deducitur ergo manifestè fibras non esse simpliciter necessarias ad opera facultatum naturalium quæ medio motu celebrantur, conducere tamen ad melius & perfectius operandum.

Restat tamen explicare, quā ratione per motum prædictarum fibrarum actiones facultatum naturalium, quæ illis indigent celebrentur. Circa hoc dubium plures ex Recentioribus firmiter tenuerunt tractionem, & retentionem fieri, quin aliqua vis motiva, seu impulsiva communicetur alimentis, seu rebus attractis ex vi motū fibrarum; sed potius præstare quædam usum ut à facultatibus naturalibus potentius operationes fiant; & quidem hanc doctrinam habere fundamentum in Galen. aiunt, qui lib. 5. de usu partium cap. 11. cit. sic fatur, loquendo de fibris. *Nam tensis solis transversis, latitudo ipsa contrahitur: at rectis solis longitudine minuitur; omnibus porrò simul tum rectis, tum transversis, tum obliquis in se ipsos contractis tota contrahitur particula; quemadmodum certè his omnibus longioribus redditis tota etiam extenditur.* Ex quibus verbis dubitationem propositam solvunt, & rationem ad sui comprobationem deducunt; nam si tractio fit quia motu fibrarum minuitur longitudine, absque dubio manu dicit rem quam tangit versus principium, ad quem motum videtur non esse opus communicari impulsu[m], seu vim motivam corporibus, cùm fiat ad motum fibrarum, præcipiū cùm fibræ tangant corpus quod trahunt; unde sicut quando manu trahimus lapidem, non imprimitur vis motiva ipsi, licet motus in ipso lapide subiectetur. Similiter neque ad retentionem, neque ad tractionem, quæ contractione fibrarum celebratur, non erit necessarium, quod imprimatur impulsus, seu vis motiva, ipsi corporibus tractis, aut retentis, cùm semper tangant fibræ corpora, quæ trahuntur, aut retinentur, utpote veluti manuducuntur; & hoc est fundamentum, quo nituntur Autores, qui hanc doctrinam tueruntur. Cæterū de expulsione non probat eadem ratio: nam ad illam requiri aiunt, quod imprimatur corporibus expellendis vis motiva; etenim expulsio fit, quia cavitas illarum fibrarum contractione secundum cavitatem ipsarum, fit minor ipsa cavitas, ita ut occupet locum ejus quod in cavitate continetur, & ita talis expulsio fit eo modo, quo unum corpus pellit aliud ex loco; totum, quod fieri nequit sine communicatione impulsu[m], seu virtutis motivæ à corpore pellente, in corpus pellendum.

Cæterū, hæc doctrina videtur claudicare; nam licet concedamus traditionem & retentionem celebrari ad similitudinem corporum, quæ manducantur, tamen hoc non potest fieri circa communicationem alicuius impulsu[m], seu vis motivæ; nam corpora illa, quæ manu ducuntur à fibris per ipsarum contractionem, minimè habent inclinationem naturalem ad terminum illius motus; in[m]o potius suo pondere gravitant ad suum centrum: ergo ut moveantur in terminum alienum per contractionem fibrarum, est necessarium, ut ipsi imprimatur vis aliqua motiva quæ cogat moveri talia corpora in terminum alienum contra suam inclinationem, & superet gravitate talium corporum inclinationem ad locum centrale. Totum quod sine impulsu à contractione fibrarum

producto fieri nequit. Ità accidit in tractione ferrì à Magnete quæ fieri nequit sine communicatione impulsū, qui contra gravitatem corporis cogat ipsum moveri à suo centro versus locum Magnetis, & idem argumentum efficaciter probat de retentione: nam retineatur corpora, contra suam gravitatem, inclinationem, & locum propriū centralem; quod fieri nequit citra communicationem impulsū. Et licet per contractionem fibrarum moveantur corpora, & applicentur versus alium locum, & ibi approximentur, probat etiam nostrum argumentum, sicut de corporibus, quæ manu ducuntur in alium locum. Nam in his etiam est necessaria vis motiva, quæ moveantur contra suam inclinationem.

De virtute impellente non est dubium fieri per communicationem impulsū, & hoc fieri in fibris per incompossibilitatem duorum corporum, ut tenet Petrus Garcia, ratione contractionis fibrarum versus suam cavitatem, est certum (quidam clamet Doctor Martinez contra ipsum) si quidem minimè asserit Petrus Garcia semper expulsionem fieri per incompossibilitatem duorum corporum, sed solùm quando fit expulsio per contractionem fibratum versus suam cavitatem.

Restat examinare, an temperamentum sit instrumentum facultatum naturalium, & quæ ratione concurrat cum ipsis ad sua opera. Et quidem de facultate coctrice proprio loco dictum est celebrari à calore & humiditate, necnon concurrentem tanquam instrumentum necessarium ad acquisitionem perfectionis, quam vivens acquirit per coctionem, de quo latè plura docuimus, quæ facile quis poterit in hunc locum transferre.

Cæterum, major digladiatio est circa alias facultates ministrantes: Et primò circa facultatem trahentem, Vallesius noster tener calorem, esse instrumentum quo utitur ipsa facultas ad tractionem, ita super lib. 5. de medicamentorum facultatibus cap. 6. & probat ex Gal. loco citat. ubi sic fatur; *Inter illa, quæ substantiis similia sunt, id quod calidius est, potentius trahit.* Quibus verbis probat calorem habere efficientiam instrumentalē, in ordine ad tractionem, & id experimentum videtur demonstrare: siquidem per applicationem alicujus medicamenti calidi sit major tractio ad illam partem, & quanto magis calefit, tanto magis augetur tractio: ergo calor concurredit ad hanc actionem efficienter instrumentaliter.

Noster D. Martinez, in hac controversia tenet contra Vallesium calorem minimè esse instrumentum, verum neque efficientiam præstare ad tractionem, neque ad retentionem, neque ad expulsionem, sed solùm disponere ad hujusmodi actiones, quatenus facultates operantur perfectius calore disponente citra concursum aliquem in genere causæ efficientis. Probat ex eo quod ignis calidissimus est, & tamen nihil trahit ad se: ergo calor non concurredit efficienter ad tractionem.

Hæc tamen ratio non probat: siquidem certum est calorem conducere ad tractionem, sive dispositivè, sive præstanto aliquam efficientiam: ergo omne calidum id præstabat: nos ergo id denegabimus igni, quandoquidem quodlibet membrum quod magis calidum est, magis dispositum est ad tractionem, & ad concitandam fluxionem. Cæterum, si id præstet calor solùm disponendo, an verò concurrendo efficienter tanquam instrumentum, est quæstio, quæ plus habet de nomine, quam de re, ideoque in ipsa non immoror.

Quandoquidem certum est in doctrina Avicenæ, quod omnes actiones, quæ celebrantur medio motu indigent calore coadjuvante ad motum, ideoque trahentem, retinentem, & expellentem facultatem fieri medio calore, qui conductus ad motum sicut frigiditas ad segnitiem, sive id fiat dispositivè, sive præstanto aliquam efficientiam, de quo neque verbum adducit Avicenn. neque Gentilis in expositione.

De dolore aliqualis est controversia inter Autores, an scilicet sit instrumentum, aut dispositio coadjuvans, seu conducens, ut tractio celebretur. Partem affirmantem tenent plures Autores non insimilæ notæ, & fundantur in doctrina Galen. lib. de sanguinis missione, cap. 8. ubi ait. *Quippe dolor ipse sanguinem ad inflammationis locum trahit.* Sequitur Avic. fen. 1. lib. 3. tract. 1. cap. 7. per sequentia verba. *Nam illud quod est ei vicinum cum dolor ingreditur membrum, attrahit ad ipsum.* Ex his videtur Gal. & Avicen. clarè sensisse dolorem esse instrumentum facultatis trahentis, & præstare aliquam efficientiam ad tractionem, aut saltim disponere ad ipsam.

Galenus tamen non videtur constans in hac re; etenim contrarium videtur sentire 13. meth. cap. 3. ubi de dolore sermonem faciens sequentia scripsit verba. *Instigat membra, quæ circumiacente ad immittendum, ipse nequaquam trahens.* Vbi verbum illud, *nequaquam*, videtur excludere omnem efficientiam ad tractionem, in modo & dispositivum concursum; sed solùm facere ad tractionem, per accidentem, ratione irritationis membrorum circumiacentium, ad immittendum in partem dolentem. Et hæc assertio videtur verior si adiungamus rationem, quæ idem videatur suadere: Etenim in dolore, & est objectum sensatum, & solutio continui, & sensatio, & fugæ appetitus; sed neutrum præstat ullam efficientiam ad tractionem: ergo solùm per accidentem ratione irritationis membrorum circumiacentium conductus ad tractionem. Minor probatur per partes, in primis non trahit objectum, quia potest esse calor, vel frigus, aut impulsus, quorum nullus trahit, ut per se patet, nisi calor, ut supra docuimus; neque solutio continui, cum ipsa sit quid privativum: rursus neque id facit sensatio, cum ipsa solùm sit perceptio objecti: & tandem neque fugæ appetitus, cum potius hæc deberet trahere humorem in cor, & minimè in partem dolentem, in quod movetur, cum sit passio ipsius cordis vel ad cor attinens. Nihil ergo est in dolore, quod præstet efficientiam in tractione, ac proindè minimè censendum est esse instrumentum facultatis trahentis.

Noster Petrus Garcia, super Avic. disp. 39. cap. 11. tenet dolorem conducere, & concurrere ad tractionem sicut calor, disponendo scilicet ad tractionem. Hanc assertionem non probat nisi ex refutatione aliatum opinionum. Contra ipsam tamen militant plura; & præcipuum argumentum est, quod irritatio illa seu sensatio dolorifica, potius conductus ut pars quæ dolore cruciatur expellat causam, seu humorem molestantem: ergo dolor minimè potest disponere ad tractionem.

Huic argumento respondet Doctor citatus, verum esse dolorem conducere ad expulsionem causæ molestantis, & inferentis dolorem; tamen etiam esse dispositionem ad tractionem alterius humoris. Sed contra hanc evasionem stat ratio:

nam facultas irritata expellit causam irritantem actione naturali: ergo expellit quidquid irritans est; sed non solum potest irritare quod primò causavit dolorem: sed humor etiam adveniens, si forsitan possibilis est tractio quam concedit Doctor citatus: ergo dolor semper conductus potius ad expulsionem quam ad tractionem. Comprobatur hoc manifesto experimento in evacuacionibus symptomaticis, in quibus non solum expellitur, humor irritans, causans dolorem; sed etiam humor laudabilis: ergo nullo modo conductus dolor ad tractionem.

Hujus difficultatis solutionem docuit Galen. *5. aphorism. comment. 53.* per sequentia verba. *Hæc enim est quadam ratio communis, in quibus natura aliquid violenter excernit, ut eò sanguis, & spiritus impetu ferantur; quibus duobus veluti instrumentis natura uens, ea que infestant per vim expellit. Hac ratione igitur, & dolentibus partibus inflammationes adveniunt, naturā excernere, atque expellere causam doloris properante: ut verò hoc faciat, sanguine, & spiritu locum replente. Quibus verbis latis clarè docet Galen. humorē defluere in partem dolentem missum ab aliis membris in subsidium illius, minimè verò trahi ab ipsa parte. Consonat idem Galen. 13. meth. per sequentia verba loquens de dolore, *Instigat membra, qua circumjacent ad immittendum, ipse verò nequaquam trahens. Nihil clariùs pro resolutione dubioli propositi, sic in parte dolente per accidens eveniunt inflammationes, quia ipsa pars debilis est, quā ratione facile, & promptè recipit quidquid alia membra mittunt in subsidium illius, sanguinem scilicet, & spiritus, pro-**

pter unum, & communem totius consensem; unde accidenti inflammations, quas quotidie experimus, ubi pars quælibet dolore cruciatur.

Vidit hanc solutionem Doctor Petrus Garcia *loco citato*, & objicit contra ipsam: etenim si partes dolentes instigant membra quæ circumjacent ut mittant in earum subsidium sanguinem, & spiritus; quā ratione inflammations eveniunt in dictis membris, videtur frustra, & inutiliter applicari in principio talium inflammationum auxilia repercuttiva; cùm hæc impediant id quod in auxilium talium membrorum mittit natura, in ipsorum subsidium.

Respondetur partes circumjacentes mittere in subsidium dolentis partis cœco impetu, & citra cognitionem, actione omnino naturali, & sic rationabiliter Medici quando agnoscunt inflammationis initium, imperant auxilia repellentia, ut cohibeant impetum humoris: siquidem cùm quælibet pars mittat, & sint plures quæ mittunt, & cœco impetu, à fortiori debet esse fluxio impetuosior, quam sit necessaria solum pro subsidio partis. Merito ergo apponuntur auxilia repercuttiva in principio talium inflammationum, unde clarè constat dolorem esse occasionem ut partes circumjacentes expellant, non verò habere vim trahendi, nec esse dispositionem per se conducentem ad tractionem.

Et hæc sufficient pro Tractatu de Facultatibus naturalibus, relictis aliis dubiis quæ potius ad Philosophos, quam ad Medicos spectare videntur.





# TRACTATUS DE VENENIS.

## CAPUT PRIMUM.

*De Veneni natura, & quidditate, &  
ipsius differentiis.*

**V**L L A est via magis tenebricosa, nulla disciplina obscurior, nulla scientia majoribus difficultatum involucris irretita, quam ea, quæ de Venenis agit. Et licet *Tractatus nostro de Alimentorum facultatibus*, cap. 4. obiter de ipsis egimus, disputantes, an venenum possit esse alimentum nostri corporis; ubi etiam quæ ratione frigidum venenum, sua qualitate manifesta, interficere possit; longâ oratione docere curavimus. In præsenti tamen latius, & accuratius in tanto pelago naufragare decrevimus. Et quidem primo circa ejus quidditatem erit sermo; ut cognitâ suâ ferocissimâ naturâ, & deinde variis differentiis venenorum enodatis, possit cordatus & Christianus Medicus contra ipsorum virulentiam, & deleteriam vim legitimè pugnare, & hominem ab injuria liberare.

Porrò in hac re Galenus egregiè de Venenis egit, & lib. 3. de temperamentis, cap. 3. veneni naturam declaravit per sequentia verba, *Venenum est illud, quod humani corporis temperamentum destruit, atque permutat.* Hanc doctrinam sequitur Arabum Princeps Avic. lib. de viribus cordis tr. 2. cap. 1. in fine, & fen. 2. lib. 1. doct. 2. cap. 11. subscribit Valleriola lib. 3. locorum communium cap. 18. & Mercurial. lib. 1. de venen. cap. 5. Est igitur venenum complexionis nostræ destruktivum, & humanæ naturæ valde adversum, nullâ substantiæ suæ mutatâ parte, sed totâ servatâ integrâ corpus nostrum afficit; quare deleterium est atque pestiferum: Ita Gal. 3. de temperamentis, cap. 4. ubi specialius de venenis, & viribus crudelibus ipsorum agens, loquitur sic. *Venena temperiem nostram corruptunt, vita adversantur, & principitis illius vehementer repugnant, cœcaque, & delitescente variè symptomatum cruciatu nos fatigant, & totius naturæ diffidio vita nostra primordia demolintur.* Ita Fernelius doctissimus lib. 2. de abditis cap. 15. tenet. Ex qua doctrina inferunt communiter Autores venena à forma specifica substantiali, & occultâ quadam proprietate corporibus esse infesta.

Nec longè distat ab hoc sentiendi modo Cardanus qui lib. 1. de Venen. cap. 1. & lib. 2. contradicit. *Medio. tract. 5. controv. 10.* Galeni, & Avicen. definitionem amplectitur: & capit. 1. citato & 4. peculiarem suo modo Veneni definitionem, seu descriptionem machinatus est sic: *Venenum est quod aptum est nobis vehementer nocere occultâ*

*agendi ratione.* Quibus verbis docere intendit satis esse ad veneni naturam constituendam ut sit aptum nobis vehementer nocere, occultâ agendi ratione quin ad essentiam veneni sit necessarium, ut interimat, cum plura sint legitima venena, quæ necessariò non interimunt. Quæ doctrina si de actu secundo intelligatur, probabilis est; tamen ex se venenum dicitur, quod vitæ opponitur, & mortem inferre valet, etenim plura sunt, quæ nobis vehementer nocent, non tamen deleteriam habent vim, nec accidentia horribilia creant, idèoque meritò à legitimis venenis excluduntur, de quibus *infra* agemus.

Hinc disces venenum differre valdè ab alimento & medicamento, quippè alimenta nihil in hominis corpore faciunt, aut ita exiguum, ut Medicus sit insensibile, ut latè *nostro Tractatu de Alimentis* docuimus; medicamenta vero nostrum corpus alterare valent, non tamen totis viribus nostræ naturæ contrariantur, & nobis sunt infensa, sicut venena, quæ accidentia, horrenda suâ vehementi alteratione, nullâ substantiæ suæ mutatâ parte inducunt: Et licet ignis, & aqua suis qualitatibus summis vehementer nos alterare valeant, & vitæ principio opponantur; non tamen perindè inter venena ab Autoribus enumerantur; quoniam non producent in nostro corpore illa horribilia, & indicibilia symptoma, quæ in venenis legitimis experimur; de quibus *infra* agemus; etenim ignis solùm urere valet, & aqua intensè refrigerare, quæ accidentia solùm manifestam indicant qualitatem effèctricem. Præterquam quod venena dicuntur corpora mixta in contrapositionem elementorum, & medicamentorum, quæ intùs assumpta vehementer alterant vivens; non quidem per qualitatem, quam habent actu, sed per illam, quam habent in potentia, & resurgit post actuationem; talis autem qualitas solùm in corporibus mixtis relucet, sicut illa, quâ alia venena operantur à tota substantia; etenim nunquam est visum elementa reduci de potentia in actum, eo modo, quo venena mixta, neque ea varietate accidentium malignorum occidere; idèoque meritò à venenis propriis relegantur elementa. Neque sunt Autores non insimæ notæ, quæ acerrimè defendant, ea quæ operantur mediis qualitatibus manifestis, aliquid aliud peculiariter requirere, præter quartum gradum, ut venena dicantur; quare neq; frigida in 4. neq; calida in 4. sive medicamenta, sive alimenta non possunt dici rigorosa & legitima venena, nisi peculiariter infestent naturam, & illam corruptant, peculiaria, & pestifera accidentia inducendo. Ita Vallesius noster in expositione cap. 18. lib. 3. Gal. de simplic. med. facult. Verba Vallesij perpendite. Non enim ut quicumque quarto gradu censentur frigida, venena sunt, ita & qua quarto gradu calida, nisi etiam putrefactionis

cientia sint, & corrosiva. Itaq; ob calorē talē sunt venena; dicentes autē talē modū mixtionis, & substantia contrarietati, sermone conjugimus: hoc dicit interesse, quod frigida non sunt naturā, & substantiā adversa, sed venena solū quātitate, hoc est tā exigua quantitate dari posse, ut vincatur, atq; adeo nutriti; calida verò quia naturā sunt adversa, vincī nō posse, sed necessariō putrescere, ac computrefacere. Hucusq; Valles. Ex quibus constat frigida venena quantitate solū dici talia, & per morā in corpore mitescere; calida verò nunquam, sed quō manent diutiū in corpore, cōdū sunt deteriora. Hinc oritur, ut frigida venena homines calidos, & arteriosos citius necent quā frigidos, & gracilium arteriarum; quippe in illis facillimē distribnuntur, usq; ad cor, in his moratur diutiū, & itā fieri potest, ut interim vinctant à nostro calore, & minimē interimere valeant; & eadem ratione, si propincent cōminuta, aut cum potionē aliqua calida, ut vino, ratione cuius deferri possint & intimiū partes penetrare, interimant citius quā si aliter propincentur; & quidem hac de causa succus lactucæ si largiter bibatur, intermit, non minū quā cicuta; quoniā succus facilius distribuitur, & penetrat viscera; scūs sit si tota lactucæ largiter devoretur; ita sentit Gal. loc. cit. quod etsi verum appareat ob adductam rationem; consonat tamen mihi magis, ea quam adducit noster Valles. in expositione: nam in lactucis substantia propria est sui proprij succi correctiva, non aliter quā caro viperæ est correctiva sui succi, idēq; in compositione theriacæ ingreditur, & scorpionum caro succurrerit eorū mortib. Neq; inconsonū erit asserere, venena frigida non esse toto rigore venena, sicut calida corrosiva, & putrefaciens, nisi in ipsis alias qualitates à tota substantia per pēdamus, quæ soporē, sudores frigidos, syncopē, & alia accidentia inducant, quæ frigidissima mixta comitantur, idēq; frigida venena nominantur, non quidē quia talia mixta non possint interficere, quia frigida in 4 gradus, sed quia praeceps actio frigiditatis, nō itā vehementer alterat, neq; accidentia illa venenata inducit, quæ celerrimā mortem afferat. Cui doctrinæ videtur suffragari Gal. lib. 3. de temperam, ubi sequentia dictavit verba. Postremò indicat venena frigida, non esse genere venena: quia possunt usū, & consuetudine fieri familiaria. Et quidē à simili pro validatione hujus asserti, potest formari ratio; nō venena calida praeceps, quia calida, nō interficiūt ut venena, nisi in ipsis qualitas illa corrosiva, & putrefaciens à tota substantia orta, pullulet, & tamen dicuntur venena calida, solū praeceps, quia peculiaribus mixtis calidis soboles est talis virtus seu qualitas: ergo eadē ratione venena frigida possunt dici talia, nō quidem quia praeceps ob intensā frigiditatē interimere possint, quia talibus peculiaribus mixtis est conjuncta peculiaris qualitas à tota substantia orta, ratione cuius soporē, & alia prædicta accidentia celerrimē inducant, quibus sequitur velocissima mors. Quem modum dicendi tanquā probabilē adduxi Tract. de alim. facult. cap. 4. neq; immertiō: quandoquidem aqua congelata, & nix, in dī & aqua nive summē refrigerata, cuius intensionem nullū mixtum superat, ex his quæ frigida venena nominantur, & tamen quantūvis frigidissima actu bibatur, & in quantitate nimia, non inducit accidentia, qualia cicuta, & opū, & alia venena frigida; signū profectō testificans, aliquid peculiare latere in dictis mixtis, ratione cuius venena dicantur, & celerrimā morte cum atrocibus accidentibus inducant; quæ ratio tantū apud me valet, ut

Henriquez Laurea Medice Tom. III.

audeam probabiliter arbitrari, omnia venena talia dici à propria substantia, & non per qualitatem manifestam, de quo in frā latius agemus. Nec me latet interdum aquæ frigidissimæ potum copiosissimū posse omnino extinguere calorem nativum, & mortem celerem inferre, præcipue in debilibus corporibus, non tamen id erit more venenorū frigidorum, quæ licet actu frigida non devorentur, neque in copiosissima quantitate, nihilominus celerrimam mortem inducunt cum sapore, sycope, sudore frigido, & aliis accidentibus pravis: ergo non ratione frigiditatis venenosa inferunt accidentia, & celerrimam mortem, sed ratione qualitatis à tota substantia ortæ.

Suffragatur nostræ opinioni Sennertus doctissimus 3. Tomo suorum Operum lib. 6. parte 5. cap. 2. de natura veneni, & differentiis agens, folio 607. ubi totis viribus suadere conatur venena propria minimē esse talia per manifestas, seu primas qualitates, sed per occultas, & à proprietate totius substantiæ interimere, & nocere, occultâ scilicet agendi ratione, ut ex Cardani adducta definitione constat, quam libenter admitit, cui consonat Ayic. fen 2. lib. 1. doct. 2. cap. 15. ubi ait, Venenum est quod corrupti, complexionem humanam non sola qualitate, sed proprietate: Zacutus etiam Lusitanus idem sentire videtur tom. 1. de Medic. Principum hist. lib. 5. fol. 791. ubi ait, Ex his patet venena à forma specifica substantiali, & occultâ quādā proprietate corporibus esse infesta, ut etiā 3. de temperamē cap. 4. Gal. insinuat. Probat assumptum ex eodē Gal. 1. de simpl. med. facult. cap. de abrotano, ubi docet deleteriorū naturā sola experientiā dignosci; hoc autem non sit in qualitatibus primis: ergo solū operantur venena à tota substantia per qualitatem occultam, vitæ omnino adversam.

Secundū in favorem hujus opinionis arguit; nam venena omnia sunt cordi, aut peculiari aliquo mēbro inimica; sed præcisa, mixta omnia, quæ ratione primarū qualitatū præcisè nos alterāt, nulli peculiari mēbro sūt inimica, sed omnes partes afficerē possunt: Et licet intēperies aliqua alicui mēbro magis noceat, tamen id non præstat, quatenus venenosa est, quippe ob tales alterationes non sit celerris & vehemens corruptio, ad quā sequitur celerrima mors, cū id solū sit reservatū peculiaribus mixtis, quæ à tota substantia vitæ humanæ sunt offensa, quæ propriè, & in rigore venena dicuntur.

Ulteriū fulcrite intendit assumptum; nam dantur plura mixta, quæ secundo, aut tertio gradu sunt calida, aut frigida in multo minori intensione, quā nix, glacies, aqua gelida, ignis, & ignita corpora; & tamen hæc licet mortem inferre possint, non tamen more venenorū, sicut corpora primò adducta, in quibus qualitates primæ sunt in minori intensione: ergo accidentia, quæ in venenatis inveniuntur, minimē refundi debent in alterationē manifestā à primis qualitatib. ortā, sed in qualitatē indicibilem à tota substantia ortam. Confirmatur: nam allium, pyrethrum & sinapi, sunt calida in quarto, seu summo gradu, ut omnes fatentur; & tamen non sunt venena: ergo veneni ratio non debet fundari in summa intensione primarū qualitatū, sed in peculiari natura, seu qualitate à tota substantia orta. Ulteriū: quia si venenorū natura à manifestis qualitatibus præcisē penderet: omnibus animalib. æquè essent venena illa mixta, quæ sumē calida, aut frigida essēt; q̄ cicuta est alimentū sturno, & homini venenum: ergo non ratione primarū qualitatū id præstat.

Socius noster supra citatus in suis manuscriptis,

H h

licē

licet fateatur aliqua esse venena, quæ ab occulta qualitate mortem inferant, & vitæ nostræ insidentur; nihilominus aperte tenet esse mixta calida, & frigida, quæ venena propria dicuntur per suas manifestas qualitates operando, quin sit necessarium recurrere ad occultas, & latentes virtutes in talibus mixtis. Probat assumptum: nam ratio veneni sufficienter salvatur ex eo quod ita opponatur principio vitæ, & ita celeriter & efficaciter laedat, ut ducat vivens in vitæ periculum, sed mixta frigida & calida in quarto gradu id possunt præstare suis manifestis qualitatibus: ergo sunt venena, quæ talia, & non per qualitatem à tota substantia ortam: Majorem supponit tanquam certam, & ab omnibus admissam: Minorem probare intendit, sic. Quoniam frigida in quarto gradu si devorentur in magna quantitate ita laedunt, ut occidant, ut sèpè expertum est: ergo sunt venena quatenus frigida. Nec valer si respondeas ( inquit ipse ) mortem inferre talia mixta; tamen id non præstat ratione alterationis primarum qualitatum, sed ratione occultæ virtutis. Nam contrà instatur solutio: quia illi principio debeimus tribuere mortem, cui possunt tribui symptomata, cum quibus perit vivens; sed assumpto medicamento frigido in quarto gradu in sufficienti quantitate, vivens perit cum somno, cum stupore, & cessatione actionum, quæ omnia sunt symptomata, seu accidentia, quæ sequuntur summam frigiditatem: ergo tunc n. ors debet tribui frigiditati, ac per consequens in ipsa cōsistit veneni natura.

Insuper etiam intendit suadere proprium placitum: quia mixta frigida quæ venena dicuntur, cū sint potentia talia, reducuntur ad actum à nostro calore, seu ab ipso actuantur, & ablato impedimento intensissimam frigiditatem producunt usque ad quartū gradum, quæ intensior est calore viventis, atq; adeò ipsum valet vincere, & extinguere per oppositionem directam quam habet frigiditas cum calore nativo: ergo venena frigida independenter ab occultâ qualitate, solum per manifestam propriæ qualitatis alterationem, dummodò sunt in quarto gradu frigida, dicuntur venena.

Confirmat hoc ipsum non solum de venenis frigidis, sed de calidis ex Gal. 3. de temperament. cap. 4. ubi de venenis agens sic dictavit. *Sic qua corporis naturam rodunt, putrefaciunt, & liquant, merito potestate calida nominantur, contrà que refrigerant, & sensum auferunt, & torporem notabilem afferunt, frigida.* Ex quibus verbis infert Gal. sentire dari venena calida, & frigida, quæ propriè sunt talia per manifestas qualitates, & minimè per occultas, seu à tota substantia ortas; quippe si hoc ita esset, non esset cur distingueret venena frigida à calidis. Præterquā quod calida venena dicuntur à Gal. loco nuper cit. quia liquant, corrodunt, & putrefaciunt partes nostras: sed liquatio fit mediâ attenuatione, corrosio à calore cum siccitate coniuncto; putredo à calore agente in humidam substantiam; sed hujus effectus meritò refunduntur in primas qualitates: ergo venena calida talia dicuntur per manifestam alterationem, & non per qualitatem occultam à tota substantia ortam.

Altius confirmat hoc idem: nam symptomata maligna, & venefica in morbis mali moris, seu malignis possunt refundi in humores calidos, & mordaces, seu acres, à quibus accidētia maligna, & venenata oriūtur, ut videre est in Cardialgia, in qua reluent symptomata prava, qualia sunt, quæ in venenis passim experimur calidis, Gal. autore 1. de Symp. cais. c. 7. ubi tenet, quod quando ventricu-

lus qualitate tangibili acri & mordaci afficitur, accedit respirationis defectus, necnō etiam pulsus parvi, & creberrimi, & sudores frigidi cernuntur, nō extremarū partiū frigiditas, anxietates totius corporis, & tandem syncope succedit; totū quod in febre syncopali minuta evenit; sed cardialgia causat humor acris, & mordax, si in ore ventriculi imbibatur, à quo etiam febris syncopalē minuta causatur, si ad ventriculū decumbat, ubi ingentem spirituum vitaliū resolutionē facit, & poros apriendo sudorem movet, quo exolvitur vivens, & celerimè perit, quæ omnia symptomata maligna venenosa dicuntur, & à qualitatibus manifestis existentib. in bile sine dubio oriūtur: ergo humor calidus virtute manifesta potest esse venenum, quin sit necessariū recurrere ad qualitatem occultam.

Consonat etiam Avic. l. 4. fen. 6. r. 1. c. 2. agens de sermone universalī venenorū, quæ bibuntur, ubi sequentia subdit verba. *Species venenorū sunt duas, scilicet faciens operationē suā cum qualitate, qua est in ipso, & efficiens cū forma sua, & tota substantia sua.* Et primū quidē, aut est corrodens, putrefaciens, sicut lepus marinus, aut inflamans calefaciēs, sicut euphorbiū, aut in frigidās stupefaciēs, sicut opū: efficiens autem cum tota substantia est sicut napellus. Ex quibus verbis colligitur juxta Avic. mentem esse venena calida, & frigida; quæ suis manifestis qualitatibus talia dicuntur, & principio vitæ adversātur, ad differentiā alterius veneni, quod à tota substantia operatur, sicut napellus. In cujus rei confirmationem c. 3. sequenti, de significationib. specierū venenorū, seu signis ipsorum agens, sic scriptū. *Nā si evenit simile mordicationi, & incisioni, & punctura, & corrosioni, scitur quod venenū est de genere medicinarum acutiarū calidarum mordicantū, sicut arsenicū, & argeniū vitrum extinctū.* Et se accidunt inflamatio vehementes, exuberatio venarū, seu eminentia venarū, & sudor, & rubedo oculi, & angustia, & sitis, significant, quod est venenū propter caliditatem tantum, sicut euphorbiū. Et si accidunt profunditas somni, & stupor, & frigus, significant quod venenū est de genere narcoticorū, & non apparent, nisi casus virtutū, & sudor frigidus, & syncopis, tunc est de venenis, que contraaria sunt homini cum tota substantia, & est deterius eorum. Ubi planè fatetur Princeps Avicenna dari venena propter caliditatem tantum, necnon etiam propter frigiditatem, ut accidit in narcoticis.

Cæterū, licet hic modus opinandi aliquā habeat probabilitatē, si attendamus ad id quod Antiquorū verba sonant in sensu litterali: Nihilominus libenter censeo probabiliorē esse sententiam, quæ tenet omnia venena dici talia, & operari suā deleteriā facultate, & opponi principio vitæ à tota substantia per occultam, & minimè per manifestam qualitatē. Ad cuius probationem suppono: mixta intensè frigida aut calida in 4. seu summo gradu opponi principio vitæ, ita ut valeat hominem interficere à manifesta qualitate; frigida quidem per oppositionem directam, & immediatam, quam important cū nostro calore; calida vero per accidens, & indirecte resolvendo spiritus vitales, & depopulando calorem nativum per usutionem, aut putrefactionem, ut accidit in febribus ardentibus, & putridis, quæ mortem inferunt, ex eo quod humores concipient intensissimum calorem.

Ulterius suppono plura mixta calida, aut frigida devorata posse etiam interficere vivens ex vi sua simplicis alterationis, dummodò validissima sit, quæ valeat, aut extinguere per se calorem nativum, ut accidit interdum quando quis haustum copiosissimum potū gelidissimi, seu simplicis, si ve compositi biberit, aut quando alimentū copio-

sum summè calidum devorat, quod torre facere valet jecoris temperiem, & indè totam massam sanguinariam inficere, aut inchinare, usque dum suapræternaturali, & validissimā alteratione vivēs interficiat, aut suffocando, aut resolvendo calorē vitalem. Ulterius est etiam certum, quod et si hujusmodi mixta, seu humores sua præternaturali alteratione inferant mortē, nō tamen id præstant more venenorū, videlicet cum ingenti virium jaētura, jaētatione, sudore frigido, difficultate respirandi, extreñorum frigiditate, corrosione inexplicabili, anxietudine & syncope, aut ingēti sopore, & interdum mentis alienatione; quæ omnia, aut plura ex his celerrimā inferunt mortem, ex vi celeris, & vehementis alterationis, quam Medici omnes fatentur, in his, quæ venena assūpsisse aīunt, & hæc quidem symptomata maligna, & venenosa à tota substantia orti ex vi peculiari mixtionis à qualitate occulta reverā mihi persuadeo: quandoquidem illa ultima verba Avic. 3. cap. supra citata perpendo. Nempe, *Etsi non appa-*  
*reant nisi casus virtutum, & sudor frigidus, & synco-*  
*pis, tunc est de venenis, qua contraria sunt homini,*  
*cum tota substantia, & est deterius eorum.* Ex quibus facile colligitur Principem nostrum paucioribus symptomatibus malignis contentus refundere mortem in diram, occultam, & venenatam qualitatem valdè deteriorem quā in aliis venenis, de quibus anteā fecerat mentionem: ergo quomodo cumque accidat in corpore celer mors, cum casu virtutum, sudore frigido, & syncope, inerit cum Avic. judicare possumus, talem effectum ortum fuisse ex vi veneni operantis à tota substantia, seu qualitate occulta.

Ulterius fulcitur nostra assertio: nam maligna febris secum affert accidentia, & symptomata maligna, & lethalia, quæ juxta communem Medicorum assensum (etsi non dicantur venenata) parum distant à venenatis, & horribilibus accidentibus, & tamen omnes inconcusse uno ore promulgant hujusmodi accidentia non correspondere intentioni caloris: cùm parvæ, seu debiles & remissæ febres quandoq; malignæ dicantur ab Hippocrate, sed potius refundi debere in occultā qualitatē à tota substantia ortam, ex vi peculiari putredinis, seu peculiari corruptionis, per quam anxieties indicibiles, quales depinxit perbellè Vallesius lib. 4. meth. c. 2. per aurea illa verba. *Hoc enim est quo malignitas principi agnoscitur, non esse magnitudinis febris signa, quanta casus virtutum; lassitudines magna à principio comitantes, & anxieties indicibiles, quarum nullæ sunt manifesta causa, his mox dictæ macula supervenient (depingebat febris in puncticularem, quam Purpuream Sennertus vocal) habentes etiam illud malignitatis indicium, esse in talibus concoctionis notas infideles, quod causa hujus merbi non iam sit putrefactia illa frequens, quam concoctio coabit, quam quedam alia corruptionis malignioris species, per quā in venenosam naturam magis labitur.* Verba quidem profectò semper memoriā tenenda, quæ quidē nostrum intentum efficaciter probant: etenim aut accidentia maligna latius patent, & communiora sunt, quam venenata, aut ejusdem generis reputantur: sed quomodo cumq; accipiantur, semper refunduntur in occultam qualitatē: ergo omnia venena, quæ similibus, iñd & fortioribus, & horribilioribus accidentibus infestant, potiori jure debent refundi in occultam qualitatē à tota substantia ortam, & minimè in manifestam quantumvis intensam alterationem.

Prius autem accidentia prædicta febrium mali-  
Henriquez Laurea Medica Tom III.

gnarum descriperat Hip. 7. ep. n. 9. in historia Cathardi, qui lethali, & maligno morbo laborabat, ubi ait, *Iactatio multa, anxietas, & ad dextra, & sinistra transmovens, seipsum nullo tempore quiescere poterat.* Idem testificatur 3. epid. in Adolescenti, qui jacebat in foro mendaciorum, cuius accidentia, sicut anxietudines, quas Cathardus patiebatur, minimè in caloris vehementiam refundi poterant, sed in speciale humorum corruptionem, seu occultam, & veneficam virtutem, seu qualitatē ex ea ortam. Quā eadem ratione Gal. 4. acut. teat. 47. vocat febrem malignam, anxiousam, implacidam, inquietam, & laboriosam, in qua jacentes ægri se continere non possunt, & 7. apb. com. 56. de febre maligna sic loquitur, *ægri accubitum non ferunt, sed jacendi figuram evariant, quia semper præsens agravat eos.* Cū autem de febre ardente quantumvis ustiva sit, minimè ita loquatur, credendū est symptomata suprà enumerata non causari à qualitate manifesta, neq; à communī putredine; sed ab speciali, & occulta qualitate, quam secum afferat malignitas, seu venenositas in febribus malignis: potiori ergo ratione in venenis dira illa accidentia debet refundi in occultam qualitatē ortā ex speciali modo mixtionis, qui stabulatur in venenis.

Magis ad nostrum intentum Vallesius super lib. 3. Gal. de simpl. med. facult. cit. in expositione capit. 22. idem testatur per sequentia verba: *Vt anteā dictum est, non interimunt nos venena calida, calore simpliciter, sed tali, hoc est, maligno, & corruptivo, quique in substantia est natura nostræ adversa.* Et prosequitur addens rationem. *Nam aliqui omnia medicamenta quarti gradus calidorum essent venena; non sunt tamen, sed ea sola qua putrefactiva sunt aut corrosiva; hinc fint (optimè infert) ut venenorum calidorum nullum possit nutritre, neque vinci.* Manifestè ergo infertur ex verbis adductis à Vallesio venena calida non dici talia per manifestam alterationem à calore factam; sed per contrariatem à tota substantia: etenim si per calorem præcisè essent venena, aliquod posset nutritre, & vinci, saltim in exigua quantitate; & licet de frigidis venenis, non videatur ita loqui, imò & videatur sentire cum Gal. esse venena, quatenus frigida: Nihilominus à simili formo argumentum contra Vallesium, suo gladio. Nam si venena calida præcisè quia calida, essent venena, omnia mixta in quarto gradu calida essent venena, quod non ita est. En argutiē Vallesij: sed eadem militat in venenis frigidis: quippè si quatenus frigida sunt venena, omnia mixta in quarto gradu essent venena: quod non ita est; quandoquidem suprà ostendimus, neq; nivē, neq; gelu, neq; aquā frigidissimā habere venenatā naturā, neq; si forsitan interdū interimū, nō quidē more venenorū interimunt, scilicet cum syncope, casu virtutū, & sopore; sed per merā oppositionem, & directam, quā important frigida in excessu cum calore nostro; signū profectò testificans venena frigida interficere modo venefico, per specialē modum mixtionis à tota substantia, & per occultam qualitatē soporiferā, à qua syncope, virium defectus, sudor frigidus, & sopor sine dubio oritur, quia talis qualitas frequenter frigida mixta comitari solet; ideo dicuntur frigida venena, in contrapositionem calidorum venenorū, quæ etiā calida venena nominantur, quia qualitas illa corrosiva, & putrefactiva frequenter calida mixta comitatur. Et licet Gal. 3. de simpl. cit. & cū ipso Valles. noster videatur sētire, esse venena frigida talia per manifestā qualitatē, firmiter céso nō loqui de rigorosis venenis, quæ ditis & virulentis acciden-

tibus interficiunt; sed quia intensè frigida interficiunt per oppositionem directam cum nostro calore, idè ipsa venena vocavit, latâ tamen significacione; ideoque venena vocavit non quidem naturâ, & substantiâ adversâ; sed solùm quantitate, quia solùm propinata in nimia quantitate interficiunt, in minima, aut moderata nutriunt, & vincuntur: ergo absolute, & rigorosè frigida mixta non sunt venena per manifestam qualitatem, sed virtutem occultam, & narcoticam, à qua accidentia enumerata procreantur.

Nec facilè credam ( parcat Galenus ) lactucæ succum prius expressum, & in magna quantitate bibitum vivens interficere, suâ manifestâ qualitate; etenim per temperiem actualiem participatam ab aëre ambiente minimè potest interficere, cùm valde remissa sit, sed intùs assumptus à nostro calore intensius calefit, tum à ventriculo, tum etiam à jecore, & per omnes vias usque ad cor: ergo minimè potest interficere per frigiditatem, cùm sit rationabilius cor vincere succum sua intensa caliditate.

Nec valet si respondeas succum lactucæ sicut & alia venena frigida reddi frigidiora, quâ cor sit calidius, post actuationem à nostro calore à quo comminuuntur, & actuuntur, ut facilius possint penetrare viscera omnia, & cor, ideoque potentia frigida ea nominâsse Galen. 3. *simpl. cit.* Non inquam valet hæc evasio: nam licet *Tractatu nostro de Aliment. facult. cap. 4.* speciale modum machinati sumus, quo id possit defendi contra nostrum Vallesium, *lib. i. controv. cap. 12.* nihilominus infrà tutiorem modum opinandi judicavimus, qui afferit talia mixta frigida virtute occultâ & narcoticâ beneficâ interimere. Ratio autem, quâ convictus sum, ut frigida illa mixta, quæ venena vocantur talia non sint per alterationem manifestam frigiditatis calorem cordis vincentis: est quia post actuationem, & comminutionem talium mixtorum à nostro calore, etsi mixta dissolvantur, & dividantur usque ad minimas partes non possunt in talibus mixtis frigidis resurgere partes, quæ veluti consopita erant cum tanta actuali frigiditate, ut vident cordis calorem. Et si stemus nostræ opinioni de permanentia formalis elementorum in mixtis, in qua urget magis liris præsens; nam in talibus mixtis frigidis per congregationem omnium elementorum erant refractæ qualitates elementorum frigidorum ab elementis calidis, & ad quandam proportionem redactis, ita ut per actualiem frigiditatem minimè possent interficere; sed etiamsi dissolvantur talia mixta frigida à calore nostro, nihilominus partes frigidæ debent repatri à nostro calore, ita ut actu magis calida sentiantur, quâ si ad extra tangerentur, ut per se patet: ergo si per actualiem temperiem ipsorum non possunt interficere more venenorum, neque postquam sunt comminuta, & calefacta, & liquata à nostro calore possunt, interficere per frigiditatem: non ergo appetit possibile, quod venena frigida interficiant mediâ frigiditate, nisi adstruamus occultam vim, seu narcoticam, mediâ quâ interficiant vehementer, & celeriter, more venenorum à tota substantia ortam.

Si ulterius respondeas resurgere per diminutionem aut liuationem partes elementorum frigidorum, seu ipsa elementa, quæ suâ intensâ qualitate vincere valet calorem cordis, necnon etiam vitales spiritus extinguere. Contrà instatur

solutio: quia licet in nostra opinione verum possit tenere, quod separantur elementa frigida, & quod in ipsis pullulet à propria forma, summa frigiditas sine dubio poterit superare calorem cordis, & mortem inferre; tamen hoc fieri non potest, neque ab elemento aquo, neque à terreo more venenorum, hoc est cum accidentibus suprà distis, quæ propria sunt venenorum, quippe si partes elementales frigidæ mixtorum quando separantur, essent venenosæ, potiori ratione aqua frigida pota, nix, aut gelu reputarentur pro veneno; atqui etsi possint inferre mortem, nemo dixit venena esse, neque more venenorum interficere: ergo neque partes frigidæ venenorum frigidorum per alterationem à frigore præcisè factam, possunt dici venena frigida; neque interficere more venenorum frigidorum.

Si autem non fatearis elementa formaliter esse in mixtis, addis sine dubio robur nostræ argumentationi: nam partes correspondentes elementis frigidis, & si separantur, nunquam possunt adquirere tantam intensionem frigiditatis, sicut ipsa elementa: ergo si hæc etiamsi interficere possint, non tamen dicuntur venena, nec more venenorum interimunt: ergo multò minus id præstabunt partes mixtorum correspondentes elementis frigidis; quantumvis liqueantur, alterentur, & comminuantur à nostro calore: ac proinde rationabilitet censendum est, talia mixta frigida esse venenata per virtutem occultam à tota substantia ortam ex peculiari genere mixtionis, quemadmodum de venenis calidis juxta Vallesij opinionem suprà dicebamus: unde sit alia venena frigida inducunt soporem, frigidum sudorem, syncopem, & virium ingentem celeritatem jaeturam, conjectandum jure optimo talia symptomata venenosa non oriri ab alteratione per qualitatem manifestam, seu frigidam in talibus mixtis frigidis; sed à virtute soporifera à tota substantia orta ex peculiari mixtione.

Favet nostræ opinioni Cardanus *lib. 1. de Venen. cap. 4. cit.* ubi planè affirmat venenum esse, quod aptum est nobis vehementer nocere occulta agendi ratione; & etiam Avic. in sua definitione prius idem dictavit, dum dixit Venenum esse, quod corruptit complexionem humanam, non contrarietate solùm, sed proprietate, quæ est in ipso.

Et licet Cardanus fateatur *cap. 1. cit.* esse nonnulla venena, quæ occidunt quidem; tamen venena propria non esse, ut vitrum: Item suffragatur nostræ opinioni Doctissimus Paulus Zacharias *tom. 1. quæst. Medic. Legal. lib. 1. tit. 2. quæst. 2. fol. 147.* ubi solùm strictissima venena vocat, quæ ab occulta proprietate suos effectus producent. Licet fateatur apud Jurisconsultos pro veneno reputari quodcumque vel per os sumptum, vel deforis administratum, vel quantitate, vel qualitate occulta, aut manifesta interimere, aut manifeste nocere potest, ut introducendo insaniam, stoliditatem, partium impotentiam, mutitatem, ignaviam genitalium, & alia hujusmodi; quâ ratione talia venena propinantes, vel quacumque ratione administrantes, debitissimè mulctandos vellent, etiamsi strictissime venena non sint: quoniam pro venenis reputantur, & jure optimo puniendi sunt, qui ea venena ausi sunt propinare. Itaque apud Jurisperitos venenum est, quodcumque naturam ejus, cui adhibitum est, mutare potest, vel mortem, aut insigne aliquod nomen

nocumentum afferit. Cæterum apud Medicos rigorosa significatione accipitur venenum, quod solum à tota substantia naturæ humanæ adveratur; cùm accidentia, quæ ipsum sequuntur minimè possint manifestis qualitatibus correspondere.

Neq; argumenta, quæ adducit noster Socius pro validatione suæ assertionis aliquid probant cōtrā nos: supponit enim tanquam certum quod ad rationem veneni, sufficit, quod ita opponatur principio vitæ, & ita celeriter, & efficaciter lœdat, ut vivens citò in vitæ periculum incidat: Et cùm venena, seu mixta frigida in quarto gradu, si in minima quantitate propincentur, id facere valeant, deducit esse venena, quatenus frigida, claudicat tamen fundamentum: etenim ad rationem veneni requiritur non solum quod opponatur principio vitæ, & quod celeriter, & efficaciter lœdat, & inferat mortem; sed quod totum hoc fiat cum diris, & venenosis accidentibus, sudore frigido, anxietibus, syncope, sopore &c. Cùm ergo mixta frigida in quarto gradu, etiamsi celerem mortem possint causare; nihilominus sine prædictis accidentibus, ut ex suprà dictis constat: non ergo venenositas sibiles est summa frigiditatis; ac proindè si mixta frigida in quarto more venenorū interficiunt, minimè est per manifestam qualitatem, sed per soporiferam, & occultam virtutem à tota substantia ortam ex vi peculiaris mixtionis: quippè sola frigiditas accidentia suprà adducta inducere non potest, ut constat experimento in his, qui aquam frigidissimam, aut gelu, aut alia mixta frigida assumpsérunt, in quibus neque sopor, neque syncops, neque sudor frigidus, imò neque periculum mortis adest.

Secunda ratio nihil probat; nam eti potentiâ frigida sint ea mixta, quæ ab ipso dicuntur venena, post adiunctionem resultant cum sufficienti activitate, ut vincere possint cordis calorem, ut probant rationes suprà à nobis adductæ: Et licet concedamus hoc ita esse, & quod mixta frigidissima in nimia quantitate sumpta posse inferre mortem per frigiditatem directe oppositam nostro nativo calori; minimè tamen more venenorū, & cum accidentibus pathognomonicis, quæ sequuntur hos, qui venenum assumperunt, inducunt mortem, nisi talibus mixtis frigidis sit conjuncta virtus peculiaris occulta, per quam interitus sequatur, cum prædictis accidentibus, quæ venenum testificantur.

Item Galeni testimonium nil probat: nam eti dixerit 3. de simpl. med. facult. quod venena calida corrodunt, putrefacunt, & liquant, & quæ sunt potestate talia. Contrà verò frigida venena, quæ refrigerant, sensum auferunt, & torporem inducunt. Totum hoc concedimus libenter; tamen prædicta mixta id non præstant per manifestas qualitates; sed per occultas, & à tota substantia ortas, quæ frequenter conjuguntur, aut cum mixtis intensè calidis, aut intensè frigidis, ideoque nominavit Gal. venena calida & frigida. Et licet frigida sensum auferant, torporem inducant, & refrigerent per suam manifestam qualitatem; hæc tamen minimè sunt accidentia venenosæ, cùm sèpè ab humoribus frigidis eveniant, causantes paralysim, quin ullus audeat asserere in tali corpore relucere venenata accidentia.

De calidis etiam est certum, quod licet plura mixta, aut humores sint calidi, & siccii, aut hu-

medi per putredinem, aut ustionem, aut sine ipsa in aliquibus mixtis prædictæ exuperent qualitates, nihilominus præcisè per ipsas non interiunt more venenorū talia mixta, neque humores, ut constat in febribus ardentissimis, aut putridis, in quibus nullum accidens venenatum inducunt in corpore. Neque qui ab his alterationibus pereunt, per venenum pereunt, eti aliquam corrosionem, aut putredinem in aliquo membro inducunt tales humores, si decumbant; etenim non quælibet putredo, neque corrosio reputatur venenosa; sed quæ sit ab humoribus pravis, malignis, & venenosis, per specialem putredinem, seu corruptionem, à quibus dira illa accidentia creantur, quæ omnino dissolvant partes, dilacerant membra, & totum corpus celeriter consumunt, necnon celerem inferunt mortem; totum quod neque simplex ustio, neque simplex putredo præstat, sed peculiaris, & occulta. Neque mixta intensè calida præcisè, quia talia, ut piper, talia accidentia inferunt, dummodò non sint venenata ab occulta proprietate, ut Arsenicum, & similia.

Argumentum quod adducit de Cardialgia, aut Cardiaca passione, & febre syncopali minuta, nullius roboris est, quandoquidem humor acris, & mordax, qui auctor est Cardialgiæ, si in tunicis oris ventriculi sit imbibitus, tangens partes exquisitissimè sentientes, causat dolores crudeles, anxietates, deliquia, syncopem, & sudorem frigidum, propter communionem, quam habet ventriculus cum corde; cæterum, si hujusmodi humor decumberet in aliud membrum, in quo non esset ita exquisitissimus sensus, neque tanta communio cum corde, minimè causabit accidentia, quæ in Cardialgia experimur; signum revera testificans humorum calidum, & siccum quantumvis ustum, aut putrefactum ex se non inducere accidentia venenosa; nisi comparet per specialem corruptionem venenatam naturam; imò neque accidentia cardialgica causabit per se, nisi ratione partis affectæ, quam occupat. Neque qui corripitur febre syncopali minuta ab eodem humor dissipante spiritus vitales, & diaphoreticū, & frigidum sudorem causante perit ex vi veneni, neque cum accidentibus communibus, quæ venenum sequuntur; eti concedamus talem humorum esse pravum, & malignum, per specialem corruptionem, qualem in malignis febribus concedunt communiter Medici; tamen nullus in nostro sæculo ausus est dicere, quod qui perit ex vi febris malignæ, aut ex vi syncopalis, sive minutæ, sive humorose, perit venenatus, nisi impropriâ, & largâ significatione loquatur: non ergo humores calidi, & siccii, neque frigi di per manifestam qualitatem dicenda sunt venena, sed potius per occultam à tota substantia ortam, ex vi peculiaris mixtionis, & corruptionis. Itaque licet qui cardialgiæ laborat, aut syncopali febre, maligno morbo corripiatur, non tamen venenato; nam malignitas diversa est valde à venenositate, ut doctè advertit Sennertus tom. 3. lib. 6. part. 1. cap. 1. fol. 542. ubi malignitatem vocat quid morbo conjunctionem, vel superveniens; venenum autem, quod morbum occultum perniciose vi principaliter inducere potest, sine alterius morbi interventu, vel conjunctione; poterit ergo humor aliquis causare morbum malignum, seu malignum, aut ratione partis affectæ per manifestas qualitates, aut per putredi-

nem sive ustionem peculiarem , quin accedat ad venenosam naturam , solum per malignam , seu pravam naturam . Et forsitan Avicen . pro contraria parte adductus , dum fatetur esse venena calida , seu interficiens per calorem , loquebatur de impropria venenositate , diversa valde ab illis , quæ omnino sunt deleteria à tota substantia omnino adversa nostræ naturæ , ut Napellus , Arsenicum , & similia . Cæterum , ut clarissimus Avicen . mentem aperias , & propositam difficultatem solvas , audi Antonium Guaynerium de Venenis , cap . i . ubi sequentia scripsit verba . *Quod si Avic . & plurimi Autores de venenis tractantes dixerunt , opium , & euphorbium , & plurima alia venena à qualitate operari manifesta ; sciendum quod Avicen . & alii siccponentes , consideraverunt venenum quantum ad specificam formam , quâ una species differt ab alia : & secundum hanc considerationem dixerunt , quod venenorū quoddam operatur , non quatenus calidum , aut frigidum , sed quia tale , habens scilicet virtutem humanae vita , & sanitati contrariam . Aliud est , quod etià virtute , seu à proprietate agat , cum hoc etiam agit , quia frigidum , aut calidum , &c. ut opium , euphorbium , & similia . Hucusque doctissimus Antonius Guaynerius , cuius verba ad unguem transcribere decrevi , quia doctè & sententiosè rem de qua agimus absolvunt , & mentem Avicennæ , & aliorum Antiquorum apprimè expōnunt . Denique potiori ratione negabimus Venerna sicca , aut humida per manifestas qualitates . Etenim licet per quamlibet immoderatam intemperiem possit corrumpi vivens ; quia tamen , humiditas , & siccitas neque dantur in gradu tam intenso in mixto , sicut calor , & frigiditas ; neque adhuc si darentur , possunt celeriter mortem inferre , neque vehementer alterare , sicut quæ more venenorū interimunt , ( propterea enim dicuntur passivæ qualitates , ob remissam ipsarum activitatem ) id è à venenis merito relegendur mixta humida , & sicca , si ad manifestas qualitates attendamus .*

Militat tame.n contra nostram resolutionem  
commune illud argumentum de qualitatibus oc-  
cultis : Etenim qui ipsas adstruant , refugiant ad  
sacra , & inter illos Vallesius noster contra Pe-  
trum Garciam digladiatur, ex eo quod qui refun-  
dit effectus in qualitatem occultam , fatetur pla-  
nè effectum ; & ignorat causam : ego sanè sic ar-  
bitror contingere ; & ipse quidem Vallesius po-  
terat esse memor sui , dum acriter tenet , venena  
esse talia à tota substantia ex vi peculiaris mixtio-  
nis loc. *suprà cit.super* 3.lib.de medicam.facultat. &  
quidē certè quando video Galenum, & Avic. quos  
innumerī viri in hac re uno ore sequuntur, inter  
quos citatus Cardanus, Sennertus, Zacutus, Paul.  
Zachias, nō habent infimum locum. Solarium est  
mihi tantos habere socios : & fideliter in hac re  
sentio, hoc pertinere ad summam nostri Artificis  
providentiam , qui noluit revelare omnes causas  
peritissimis viris ; ne forsan superbia eos infice-  
ret , & vanitas perverteret eorum mentes.

CAPUT II

## De Differentiis Venenorum.

**D**O STQVIAM naturam veneni explicuimus, ju-  
re optimo ipsius differentias explicare ag-  
gredimur, ut ipsorum injurias, & hostilitates de-

bellare Christianus Medicus possit. Et primò initium somere decrevi, à vulgatissima illa divisione, quā venena dissecantur in calida, & frigida, juxta Gal. normā 3. de simpl. med. fac. cap. 18. in cuius expositione sic fatur Vallesius. *Venena omnia juxta Gal. sententiam in duo genera rediguntur, frigidorum, & calidorum, &c.* Primi generis sunt Opium, Cicuta, Mandragora, solanum somniferū, hyoscyamus, & similia, quæ corpus adeò alterat, & spiritus adeò frigidos reddunt, ut penitus cōgēlentur, ita ut proprias, & naturales suas functiones minimè exercere valeant. Secūdi generis sunt illa mixta calida, quæ calorē nativum dissoluunt, & humiditatem radicalem absunt, inflammations excitant, & corrosiones viscerū moliuntur, ut Arsenicum, & argentum vivum extinctum, juxta Avicennæ mentē suprà citat. & Euphorbium de quo Paulus Zachias fol. 147. to. 1. de divisione venenorū, sermonem faciens, & adducens venena quæ operantur à tota substantia. In primo genere venenorū ponit exemplum in Napello; in secūdo genere adducit venena, quæ in vulgari Opinione tales sunt per manifestas qualitates, ut succus lactucæ: in tertio ordine adducit ea mixta, quæ utroque modo noxia sunt, & nostræ naturæ adversa, ut Opium, & Euphorbium, quæ non solum ob excedentem calorem, & frigiditatem nocent; sed etiam quia ea occultâ proprietate dotantur, veluti cætera omnia, quæ à tota substantia operantur.

Ulterius; qui venena sicca & humida fatentur, aiunt sicca cordis humiditates, & sanguinem absumere, & quasi in crustam convertere, ut calx viva, & chalcanthum; humida vero stupefaciunt, & calorem suffocant, ut Coriandrum recens, & similia, quæ stupefaciendo, & humectando spiritus crassos adeo, & immobiles reddunt, & morte inferunt: in modo & nonnulli addunt, aliqua mixta per qualitates secundas erodere, & mortem inferre, cuius ordinis est vitrum, quod suâ acuitate erodit intestina, & interimere vallet; nullum tamen ex dictis proprium venenum est, ut ex supra dictis constat; quia tamen peculiariter vitae opponuntur, & adversa sunt, libuit ea inter venena describere.

Insuper : alia sunt venenā cordi inimica , ea scilicet, quæ subitō hominem enecant. Alia sunt inimica cerebro , ut hyoscyamus, opium , virus caninum, tarantulae , Mercurius , & alia plura. Iecori etiam peculiariter infestat planta illa , quæ sanguinē evacuat , cuius mentionem facit Gal. lib.de medic.facult.cap.4. Quædam etiam vasis genitalibus inimica censentur, de quibus Cardanus adducit specialem historiam lib.3. de Venen. Item lepus marinus pulmonibus contrariatur. Cantharides vesicæ. Et alia sunt venena, quæ dysenteriam excitant,& alia quæ per nervos suam virtutem diffundunt, ut Canis rabidi morsus, corde & hepate illæsis ; Venenum etiam gallicum mox ad hepar diffunditur, corde, aut cerebro non læso. Alia etiam venena convulsiones inducunt, risum, saltandi libidinem , fuorem , mæstitiam, aut timiditatem pariunt ; & denique plura sunt, quæ rationem adimunt, & homines fatuos, & deliros reddunt, ea tamen lethalia non sunt ; sicut neque venenum tarantulae, quod insanum saftandi desiderium inducit.

Inter lethalia venena aliqua sunt, quæ hominem statim interimunt, & alia post aliquod temporis intervallum; quâ ratione dicuntur venena

# Cap. II. De differentiis Venenorum. 323

præsentanea illa; hæc verò temporanea. Arsenicum celerrimè interficit, sicut etiam Aconitum; ex his autem quæ foris eveniunt venenum Aspidum celerrimam mortem inducit. De temporaneis venenis scribit Amatus Lusitanus *centur. 2. curat. 65.* famulum Arubas tabefactum intra annum objisse; eo quod carnem gustasset gallinæ Arsenico enectæ; & quidem plerumque talia venena diù latent. Ubi tamen, postea se exercere incipiunt, hominem subito jugulant; sic venenum canis rabidi, quod menes, & annos latere potest, & cùm in hydrophobiam eruppit, vix illo curatur auxilio. Itaque venena *supra* numerata, quædam occidunt putrefaciendo, quædam congelando, alia exulcerando, multa inflammando, & plura strangulando. Putrefaciendo occidit lepus marinus, stupesciendo Opium, & congelando, & similia, de quibus *suprà*, ulcerando atque inflammando Arsenicum, Sublimatum, Euphorbium; strangulando fungi venenosí.

Rursus quædam sunt venena à natura talia, ut Cicta, & Aconitum, quæ omnia ex se eam habent naturam; alia quidem per accidens, ut nubes, & lauri bacca cum rancidae sunt, item & pisces suffocati, aut putrefacti; denique alias sunt venena ab arte, ut sublimatum, & aqua fortis. Ulterius inter venena adducta, quædam secundum se tota talia sunt, ut cicta, & lepus marinus; alia verò secundum partem, ut felis secundum cerebrum, cervus secundum caudæ extremitatem, vespertilio juxta cor, & linguam. Dividuntur autem venena in ea quæ semper talia sunt, ut ranæ limaces, & aliqua fungorum genera, quæ interdum innoxia sunt, aliquando verò maximè nocent.

Ex venenis plura ex mineralibus habentur, ut Argentum vivum, Arsenicum, quædam ex animalibus, ut Vipera, torpedo. Different etiam venena ex modo administrationis, quippè quædam per os assumuntur, & plura ad extra applicantur, & horum aliqua mortuæ communicantur, ut venenum Viperinum, serpentum omnium, & cani rabidi; alia punctione mediæ nocent, ut venenum Aranorum, & Phalangiorum, nonnulla etiam tactu, & olfactu, visu simplici, aut auditu. Et quidem de aliquibus multi Medici hæsitant: Et in primis, quod illitu, sive tactu venenum posse diffundi fatentur planè plures nostri temporis Auctores, ex quibus est Grevinus *lib. 1. de venenis cap. 1.* & Cesalpinus *lib. 3. de venenis, in sua practica, cap. 46.* ubi narrat Venetiis alias pestem fuisse concitatam ex eo quod Venefici quidam illitus ostiorum annulis, ac pessulis, Iethalissimo veneno, omnes penè, & contactu dictorum annulorum veneno sint infecti. Cardanus etiam *lib. 1. de venenis cap. 8.* & alij, quos refert Schenchius *lib. 5. observation. titulo de venenis*, referunt Turcas veneficia adeò præsentanea habere, ut eodem die solo contactu intermant. Et ratio id suadere potest, cùm per porositates possit substantia venenosa subtilis valde communicari per internas partes, & viscera omnia usque ad cor, & inde lethales effectus causare, suâ virulentia, & maleficâ qualitate, oppositâ, & contrarietate valde nostro calori nativo, & spiritibus. Quod autem vapor per externas arterias communicetur, & attrahatur medio contactu, facile intelligitur, quandoquidem aer media dilatatione attrahitur ab arteriis usque ad cor: cùm ergo ex contactu veneni lethalissimi possit vapor maglinus per po-

ros arteriarum, & venarum communicari, facile intelligi potest, posse venena medio contactu interficere.

Facilius intelligitur quod venena medio olfactu intermant, id firmat Cardanus *lib. 2. de venen. cap. 3.* ubi agit de venenis odore interficiéntibus; & *lib. 1. cap. 1.* de omnibus venenis testatur quod odorata verriginem, dolorem capitis, & suffocationes afferunt. Praterquam quod pluribus exemplis potest confirmari hoc assertum, in animalibus quibusdam, quæ solo olfactu interficiunt & quidem de Bufone testantur multi, quod vaporibus ab ipso spirantibus obvios homines stupesciat. Insuper etiam quotidie videmus ex odoribus sive bonis, sive pravis quamplurimos perfundere se habere, & ferocissimas hystericas passiones excitari ex bonis, & ex pravis repentina mortes, vaporibus malignis repertibus ad cor, in puteis præcipue immundis, in quibus per multum tempus putredo cœnoſa, & maligna stabulatur, cuius rei testimonium possumus perhibere; sunt etiam plures, qui certæ rei odore animo linquuntur, cordis tremorem, capitum dolorem, vertiginem, & alia huiusmodi incurunt symptoma, & apud Mercuriale *lib. 1. de morb. mulier. cap. 2.* leges solo lucernæ extinctæ odore mulieres abortire posse. Ceterum in hujus rei confirmationem togo ut per opium legas Amatum Lusitanum *centur. 2. curat. 36.* ubi refert aliquos esse homines, quibus caseus non solum comedunt, sed odoratus pro veneno habebatur, & de altero refert qui per esum pisculum, quos nunquam gustaverat, in animi angustias, & cordis pressuras cum vomiti, & fecessu devenit, ita ut propè fuerit, ut ex toto spiritus illi deficeret, & moretur, erat autem huic nomen Stephanus Surdaſter, natione Hispanus, & patria Toletanus; ita refert Amatus: *Verumtamen casum raro visum, imo hucusque nefando auditum describere aggrediar (ita loquitur)* Monachum quemdam norimus ex Dominicorum Ordine, qui cum rosa odorem persentebat, aut ex longinquæ eam videbat, illico in animi deliquium, & syncopem incidebat, & tanquam mortuus humi prostratus iacebat. Si ergo hoc accidere potest in mixtis suaviter olenib[us] communicatis vaporibus per olfactu usque ad cor, habentibus cum ipso peculiarem antipathiam, & contrarietatem, potiori jure in venenis hoc accidere fateri debemus: & quidem testari possum me cognovisse virum Secretarium Duci de Medina de las Torres, Navarro nominatum, qui solo auditu, & visu olivarum viridium, in lypothimiam incidebat.

Ratione etiam suaderi potest assumptum: nam de odoribus refert Gal. 2. scilicet aphor. text. 11. in expositione, aptos esse ad celerem nutritionem, audi verba: *Nam & in libro de alimento sic scriptum reliquit (Supple Hipp. qui celeri alimenti appositione egent, humidum ipsis optimum colligendis viribus remedium: quod si adhuc multo celeriori egeant, odoribus sunt recreandi.* Ex quibus verbis non inefficax formari potest argumentum pro validatione nostri asserti: nam si potest fieri per vaporibus celeris virium restauratio, & spirituum vitallium regeneratio, accedentibus vaporibus ad cor, & ad omnia membra tanquam pabulum pro conservatione humili radicalis, potiori jure id credendum est de vaporibus mixtorum venenatorum, id patrate sine dubio posse; quandoquidem videmus per inspirationem, facile deferriri posse

posse ad cor, ubi hostilitatis suæ vim citò demonstrant, ut exempla, & experimenta supra adducta confirmant: igitur nequaquam audiendi sunt, qui per olfactum venena interficere posse negant: clamant contrarium quidem historiæ, clamat ratio contra ipsos, quippe si odores possunt nutrire, si optimi, si pravi sint, & venenosí poterunt corrumpere, etenim contrariorum eadem est ratio, si Philosopho credamus.

Ex dictis licet colligere probabiliter defendi posse venena per tactum, & olfactum interficere posse. Tamen major digladiatio, & difficultas inter Autores habetur, an per visum, aut per auditum possint quædam interficere. Pro parte affirmante adducuntur plures historiæ, & ex adductis suadet hanc partem casus rarus adductus de Religioso Dominicano, ex solo visu rosarum à longè exanimato. Suadet etiam eandem partem historia à nobis adducta de auditu, aut visu olivarum viridium; & apud Schenchium lib. 7. observat. plura exempla scitu non indigna videre quis poterit, quæ indubie testantur ex visu, aut ex auditu posse plura nos interimere; multa enim sunt hominibus adeò inimica, ut interdum visa terrorem incutiant, syncopem excitent, & alia horribilia accidentia causent, ita ut plures hac ratione periclitentur, cur similiter dari non poterit, venenosum aliquod animal, quod solo visu interficere, ac venenare hominem possit, aut vocatione, sive ululatibus.

Consonat doctissimus Paulus Zachias loco supra cit. in questionibus Medico-Leg. lib. 2. tit. 2. q. 2. ubi de ipso refert per visum Tarantularum à pelle nudatarum, quæ ita horribilia aspectu erant, ut ipsum valde nauseabundum, & pallidum reddidissent, imò & multa per vomitum rejecisse per totum diem, & planè fatetur ex simplici vilu illicò horruisse, quin ex timore, aut tetro vapore expirante, id contingere persuasisset. Narrat insuper idem Autor novissime Monialem, quæ ex visu scarabei mirum in modum afficiebatur, & juvenculæ quædam hujusmodi Monialis conscientia, ut illi illuderent scarabeum claram inter mammas illi proiecserunt, quo comperto drepente ex animata in terram cecidit, omni sensu orbata & in syncopem lapsa frigidis sudoribus respersa. Insuper etiam plures alias historias adducere possemus, à quibus libenter supersedere decrevimus, ne forsan legentium animos fastidiamus.

Ex quibus in favorem hujus placiti deducere possumus, dari posse venenum, quod solo visu, aut auditu lñdere, & interficere possit; nam si ex his, quæ venenosa non sunt tam sœva apparent symptomata, qualia supra depinximus, ex illis, quæ venenosa sunt, mors meritò expectari debet.

Poterit hæc assertio habere non ignobile robur apud plures Autores, non infimæ noræ, fuentes & concedentes fascinationem, & incantationes, quæ apud vulgares validissimæ sunt, & quidem non sunt omnino contempnendæ; quandoquidem facile creditur, si ad sacras Literas attendamus, nominibus & verbis esse virtutes, ad exterminandos plures morbos; quippe nomina non sunt animantibus imposita, ex sola hominum libera impositione; sed sunt omnibus rebus sua propria nomina, eis naturaliter congruentia; si enim suis nominibus appellavit Primus noster Parens Adam, cuncta videntur habuisse nomina priusquam appellarentur, alioquin non vocave-

rit illa suis nominibus, sed potius dederit ipsis nomina. Quod si antequā appellarentur ab Adam, habebant nomina, non sunt nata ex appellazione, & usu; sed ex rerum naturis, ac per consequens naturaliter congruant rebus sua nomina, & non hominum voluntate, seu placito; unde inferre poterit quis (& non sine fundamento) nominibus insitam esse virtutem aliquid efficiendi, sive boni, sive mali; quippe si sunt nomina naturales rerum imagines, & simulacra, non erit inopinabile posse naturaliter aliquid efficere, sicut res ipsæ: nec mirum quod qui pharmacis, ita etiam verbis quibusdam, ad quosdam morbos uti jubeant, imò neque verbis solum prolatis, sed scriptis ægrototo alligatis, aut suspensis, ut præ manibus quotidie videmus: de hac re plura adducit Plinius lib. 28. natur. hist. cap. 2. vide etiam Aëtium lib. 8. cap. 50. ubi ita fatur, ad educationem eorum quæ in tonsillas delapsa sunt, Statim te ad agrum desidentem converte, ipsūmque te attendere jube, ac dic, egressere os, aut festuca, aut quid tandem existit, quemadmodum Iesus Christus, ex sepulcro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex cato. Sic etiam apprehenso agri gutture, dic, Blasius Martyr Christi, dicit, aut ascende, aut descendere.

Suffragatur Trallianus afferens incantationes plurimum posse juvare, lib. 9. cap. 4. ubi autoritate Galeni hanc sententiam confirmare intendit per sequentia verba: Præterea etiam divinissimus Galenus, qui ne esse quidem incantationes putavit, longo tempore, multoque usu plurimum ipsis posse deprehendit. Audi igitur verba ipsius, quæ de medica Homeri tractatione reliquit, habent autem ea in hunc modum. Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulas esse persimiles, quemadmodum ego quoque diù existimavī, temporis autem processu, ab ipsis, quæ evidenter apparent, persuasus sum, vim ipsis inesse, nam in percussis ab scorpione, adjumentum sum expertus; nihil autem minus in ossibus gutturi infixis, quæ incantatione statim sphenbantur, ac multa præclaræ singula habent incantationes, cum institutum consequuntur. Hæc Trallianus ex Gal. lib. qui licet nunc non extet, extitisse tamen verè autoritate Tralliani comprobatur. Invenitur tamen inter Opera Galeni libellus quidam de incantatione, qui non existimat ut genuinus; tamen plures sentiunt, habere autorem fide dignum. Hinc inter vulgares nihil magis in usu receptum est, quam quibusdam recitationibus (Hispani vocant Ensalmos) morbos quosdam curari: unde argumentum potest formari in favorem hujus asserti. Etenim verba quædam sunt, quæ sunt noxia, aut forsan mortifera: ergo etiam possunt esse aliqua verba, quæ sint salutaria. Antecedens comprobatur: nam homines videntur naturaliter timere maledictiones, & imprecations; imò venefici utuntur diris carminibus ad interficiendum; multaque passim narrantur exempla morborum per imprecations, fascinationes, & venefica verba illatorum: igitur potiori, aut eodem jure poterunt Medici uti verbis ac benedictionibus salutaribus, non minus, quam pharmacis pro morborum medela. Si igitur verba non sunt ex colloquentium placito significantia, sed naturam habent quamquam communem cum ipsis rebus, ob quam & ipsis congruant naturaliter; infertur probabiliter nominibus, & verbis inesse virtutem salutarem, aut mortiferam, ac proinde posse esse

esse aliqua venena medio auditu encantia , aut solo visu , ut de Basilico communiter publicatur.

Corrobatur asserto ex eo , quod non quæcumque nomina , ac verba , etiamsi eundem conceptum significant , Hispanico , sive Gallico , aut Latino idiomate eamdem vim habent naturalem partim noxiā , partim salutarem ; sed primæva illa quibus Adam putatur esse usus , hoc est Hæbreæ , & hanc ob causam in Ecclesiasticis hymnis retinentur semper verba quædam Hæbreæ , ut *Alleluia, Osanna, Epheta, Sabaot* , quæ sanè vertentur etiam in Latina verba ab Ecclesia Catholica , nisi vis quædam , & efficacia illis naturaliter inesse salutaris ad delendos morbos : poterit ergo inesse vis in pestiferis verbis mortifera. Neque vanum est , quod de incantationibus dicitur. Siquidem *Psalmo 57.* ita cecinit Regius Vates . *Euror illis secundum similitudinem serpentis* , sicut *aspidis surda & obturantis aures suas* , *qua non exaudiens vocem incantantium , & venefici incantantis sapienter*. Ex quibus verbis deducitur aperte facultas incantationis , & incantatoris sapientia , neconon etiam calliditas serpentis obturantis sibi aures ne audiat vocem incantatoris ; In cuius confirmationem audias obsecro Ieremiam cap. 8. sic fantem. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos , quibus non est incantatio*. Ubi videtur communio hæc innuere alis serpentibus incantationes inesse. Favet etiam hanc sententiam Ecclesiæ Catholicae autoritas , quæ jubet Exorcistas uti conceptis verbis , quasi illis Dæmones fugandi virtus quædam præcipue insit : sic etiam ex Evangelica lectione constat illa verba , videlicet *In nomine meo Dæmonia ejicient* ; non enim in jejuno solùm , & oratione id prædicat , sed *in nomine meo* , quasi ipsa prolatio nominis *Iesu* efficaciam habeat ingentem pro Dæmonum expulsione. Et licet adductis autoritatibus respondeat aliquis , sacram Scripturam loqui secundum vulgarem consuetudinem ( ut alias consuevit ) vel parabolicè , ( ut nostro placet Vallesio ) videtur ad libitum esse id affirmare : quia constat hoc sæpius per incantationes fieri.

Nobis tamen videtur unam esse omnino , & chimæricam opinionem credentium verba , & loquutiones habere naturalem vim salutarem , aut lethalem ad debellandos morbos , aut ad inducendos ipsos , atque adeò superstitionem omnino esse , & fabulosam vim incantationum , & consequenter , neque per visum , neque per auditum posse quempiam venenari firmiter censeo ; ea quidem ratione ductus : quoniam verba nullam habent vim per se significandi , nisi ex hominum placito , neque ipsis est aliquid commune cum rebus , neque verba si rigorose loquamur quippiam sunt aliud , quam ita diverberatus aer ; neque quid aliud est loqui , quam per quasdam linguae motiunculas res innuere , ut inter loquentes constitutum est ; sicut nostro seculo multi consueverunt suas sibi mutuo cogitationes aperire varia digitorum motitatione , totum quod ex libera hominum constitutione , & placito sine dubio oritur : non ergo verba per se significant ; neque habere possunt vim aliquam naturalem salutarem , neque veneficam.

Confirmatur assumptum : nam utsimque moveat quis digitos , aut manum , aut quamlibet aliam corporis partem , nihil intelliget alter,

nisi inter ambos convenerit , ut motiuncula peculiaris , hujus altera autem alterius rei sit nota : ergo eadem ratione in verbis & nominibus intelligendum est , ea nihil per se significare , neque in ipsis inesse vim aliquam , præter eam , quam participant ex hominum consensu , ad extingendum mentis conceptum : & hinc oritur , quod neque utsimque crepamus ore , neque Hispanus Gallum , neque Latinus Græcum , neque Græcus Hæbreum loquentem intelliget , quoniam scilicet non sunt docti eundem sermonem ; hoc est , quia sermo non constat natura , sed consuetudine , & placito hominum imponentium peculiaria nomina ad significandos suos conceptus ; aliter enim sicut est omnibus gentibus eadem natura , esset sine dubio idem sermo , cuius contrarium experimento constat : non ergo inest omnibus vis aliqua naturalis per se significativa ; ac per consequens ipsa verba nec possunt esse salutaria , nec mortifera ; unde neque per auditum poterit venenum communicari , nisi forsan mediæ expiratione communicetur audienti vapor aliquis malignus , aut pestilens si sit in debita distantia , & proportione , ratione cuius possit sua venefica , & virulenta vis cordi communicari , & vitalem spiritum extinguere ; & eadem ratione per visum poterit venenum communicari , emissis vaporibus à vidente in rem visam , malignis , & pestilentibus , ut accidit in morbis contagiosis oculorum , qualis est lipitudo ; non quidem quia visio per se , neque nomina audita inferant vim aliquam salutarem , aut veneficam , sed solùm ex accidenti modo explicato.

Premittur discursus ratione Philosophica , & efficacissima : nam visio & locutio sunt actiones vitales immanentes , quæ sine dubio recipiuntur in eodem principio , à quo oriuntur , & elicuntur : ergo hujus actiones per se neutiquam possunt habere vim effectivam in alterum subiectum extraneum , neque salutarem , neque mortiferam. Antecedens constat : nam visio celebratur emissâ specie impressâ ab objecto visibili , quæ recepta in potentia , & ab ea fecundata , parit speciem expressam , quæ est idolum representans objectum , ideoque dicitur ab objecto , & potentia paritur motiva : sed totum hoc fit per actum vitalem receptum in potentia videntis : ergo in re visa , seu objecto visibili nihil ponit visio , ac per consequens nihil potest influere videns in objectum visum , nisi per accidens communicetur vapor teter , & malignus , sive contagiosus , ratione cuius objectum visum patiatur per contagium ad distans eundem effectum , ut de lipitudine dicebamus : eadem ratio militat in audiente , receptâ in organo auditûs specie intentionali ex vi loquutionis , & diverberationis , quæ informata auditiva potentia elicit speciem expressam , & format conceptum illius , quod verba significant : Cùm ergo hujusmodi potentiae nullam patientur realem immutationem , sed solùm intentionalem , ad expressionem suorum actuum colligitur non dubiè minimè per visionem , neq; per auditionem posse quempia venenari per se.

Hinc disces , loqui quidem naturale esse hominibus , quia natura ( ut ex lingua formatione constat , molli scilicet substantia ac maximè volubili , & multis ad radicem musculis prædicta ) in hunc usum eam destinavit , hoc autem , aut illo sermone uti , studio , ac doctrina

nâ evenit, & ipsa quidem idiomata usu, ac tacitâ consentione hominum nata sunt; non ergo verba, aut nomina ullam habent cognitionem cum natura, licet homines ipso naturâ impulsu fermentur in loquela ut mentis conceptus communicare valeant; unde neque vim aliquam activam ipsis verbis concedere audent peritissimi Doctores: jure ergo optimo cum ipsis censemus per vim, & auditum neutiquam posse communicari per se in extraneum subiectum, quod vim habeat salutarem, neque mortiferam.

Tandem confirmatur nostra assertio; nam sermo est veluti scriptura effluens, & scriptura veluti sermo manens: sed scriptura solo usu, & arte comparatur, cum neque cuiusque hominis sit scribere, neque hominum fuit semper, sed post plura saecula inventa fuit scriptura: ergo idem de loquela, & verbis censere consentaneum est, scilicet non significare aliter quam ad libitum eorum, qui primum eis usi sunt: non igitur significaciones verborum naturâ constant, sed usu; quapropter ex ipsa natura nullam habent vim significandi, & potiori ratione, neque efficiendi quidpiam; sed solum significant, quia ita convenit inter colloquentes: nulla igitur naturalis ratio est, quam verba, aut characteres possint morbum inferre, aut sanitatem, aut aliud quidpiam efficere eorum, quae Magi, & Incantatores pollicentur.

Solum restat solvere ea, quae in oppositum adducta sunt. Ad primum desumptum ex historia Religiosi Dominicani, qui ex visu rosarum examinabatur, Resp. quod si rosæ essent in debita proportione, ut per olfactum immutent sensum per communicationem vaporis, posse examinari, ex eo quod talis vapor habeat antipathiam peculiarem cum peculiari subiecto: & insuper ex solo visu posse ob eamdem rationem humores, & spiritus conturbari, quemadmodum ex visu olivarum in historia à me adducta: nam sèpè contingit aliquos habere cum aliquibus alimentis antipathiam, & contrarietatem, & propterea ex sola imaginatione talium alimentorum, aut ipsis visis, moventur ad vomitum & nauseabundi redduntur, commotis humoribus in ventriculo, à quibus interdum accidit examinari, si vapores qui moventur, pravi fuerint, aut maligni; quo fit, ut non per simplicem visionem, aut auditionem, id fiat per se, sed potius ex accidenti, modo explicato: Et eadem ratione solvuntur argumenta ex historiis adductis pro contraria parte. Præterquam quod plura etiam aut per visum, aut auditum medio terrore, aut metu, eadem accidentia causare valent, & syncopem, ut de Moniali illa probabiliter censi potest, ex visu scarabei, accidisse: totum quod per accidens fit, mediâ passione animi terrificâ & metu, ratione cuius spiritus, & sanguis retrocedere solent, & inopinatam mortem causare. Et eadem ratione solvitur argumentum ex historia, quam adducit Paulus Zachias, *suprà cit.* nam eti ipsa fateatur, nec terrorem, nec metum fuisse causam nauseæ, aut vomitionis, nihilominus ob antipathiam tarantularum, & abominationis ipsarum denudatarum potuerunt commovere humores in ventriculo, qui sine dubioneuse, aut vomitu causare possent.

Hinc etiam argumenta, quae ex incantationibus formantur, facile diluuntur, quandoquidem certò creditur, nomina omnia ex libera hominum impositione pendere, & juxta placitum ipsorum si-

gnificare, & non per se: nam licet ex Sacra Scriptura constet Adamum primum nostrum Parentem dedisse omnibus rebus nomina propria sua, & omnibus animalibus, hoc non probat, ante Adami formationem omnia habere propria nomina, sed potius ipsum Adamum primum impoñuisse nomina accommodata, juxta sui naturam, & conditionem magis appropriata; ideoque ex sacra pagina deducitur dedisse nomina propria sua, non quia antea steriles, sed quia primus Parens appropriavit nomina peculiaria pro peculiariarib. naturis, juxta conditionem cuiuslibet rei, & cuiuslibet animalis, & sic nomina ex se, & per se nullam vim possunt habere neque sanandi, neque venenandi, aut interficiendi, eti forsitan ex historiis, ex sacra pagina adductis, id deducitur, sit quidem ex pacto Dæmonis cum peculiaribus verbis, aut nominibus, eti sancta, & devota sint, & appareant; & sic Incantatores nullo modo sunt credendi, aut admittendi, nisi secludendo pactum, in quo casu nullius roboris sunt nomina, nec verba, nisi forsitan modo deprecatorio accipientur; ita ut divina voluntas, interdum moveatur ex vi aliquorum verborum ad salutem concedendam, & similiter ex vi maledictionum ad punienda delicta nostra.

Neque facit contra nos ex vi aliquorum verborum prolatorum idiomate Hebræo moveatur divina voluntas magis ex vi ejusdem significacionis sub idiomate Latino, aut Hispanico; nam sèpè efficacia, & magis propria significatio moveat Conditorem nostrum ut nobis concedat bona salutaria, non quia per se in verbis, aut nominibus sit aliqua vis activa salutaris, aut venefica, ut dictum est; quapropter nec verba, nec nomina, nec characteres possunt morbum inferre, aut sanitatem, aut aliud quidpiam efficere eorum, quae Magi pollicentur, aut Incantatores falsi: in cuius rei confirmationem ex Deuteronomio constat cap. 18. Dominum abominasse incantationes, usque adeò ut ob eas dicat se delevisse illas gentes; si autem vis talis concessa esset verbis à Deo, non esset profectò incantatorum ars abominabilis ipsi; atque adeò vana, & maligna censenda est.

Tandem neque Galeni testimonium ex Tralliano adductum aliquid probat contra nos: nam licet fateatur plures morbos verbis quibusdam & incantationibus cedere, idque esse sibi longo experimento confirmatum: id tamen nihil probat contra nos, quandoquidem pro certo habemus id fieri ex pacto Dæmonis, non ex vi verborum, quod ignoravit Galenus, sicut & morales incantationes, quas fabulis obumbrauerant Antiquissimi Sapientes, retentâ solum nominis memoriam; & hinc natæ sunt istæ superstitiones incantationes, & sic cum aliis multis errore disseminato usi sunt homines sèpè incantationibus adversus morbos, & forsitan confidentiùs non tardò quam medicamentis. Accedit etiam quod interdum levissimis hominibus admittentibus incantatores, utilis quodammodo est sua credulitas: quia (ut inquit Autor *Libili de incantatione*, qui est inter Galeno adscriptos) *Quando mens humana (hæc sunt Autoris verba) rem amat aliquam, licet naturaliter non juvatram sibi eam prodeesse certificat, ex sola mentis intentione corpus, res illa juvat, verbi gratia si quis incantationem prodeesse confidat,*

dat, qualis cumque sit, cum tamen juvat. Hæc ille. Quibus verbis innuit incantationes aliquando prodesse, ad propulsandos morbos ob confidentiam infirmi, nimirum ut timor, & mœstitia, ac desperatio, plurimes morbos augent; ita confidentia, & alacritas plurimos sublevant, imò & ipsa imaginatio per eos animi motus morbos propulsat, aut saltim ipsos minuit. Cæterum hanc incantationum utilitatem constat ex accidenti esse ob affectus animi ægrotantis, & minimè per naturalem verborum potentiam: nomina igitur nihil habent cum rebus præter significationem, quæ ex solo consensu manifesto, aut tacito ipso-rum hominum nascitur, neque sunt nomina rebus, alià ratione sùa, ut *suprà* dicebamus de Adamo, de quo dicitur appellâsse res, nominibus suis; unde manifestè constat Gal. testimonium nullam vim habere contra nostram doctrinam, quam ut verissimam, & magis rationi consonam tue-mur.

## C A P U T III.

*An venenati humores possint in nostro corpore generari.*

**D**OCTISSIMUS Mercurialis *li. 1. de Venenis, cap. 14.* libenter fatetur in corpore nostro posse generari simile quid veneno, minimè autem proprium, & verum ac legitimum venenum. Rationem adducit: nam Autor omnium, quæ in nostro corpore generantur, est calor, sed à calore minimè potest generari venenum: ergo absolute in corpore non potest generari venenum. Major est certa. Minorem probat per partes: etenim neque potest generari à calore naturali, neque à præternaturali: ergo à nullo calore generantur. Cæterum quod naturalis calor non possit esse autor veneni constat; cum potius ipse sit vitæ autor, & salutis custodia, quippe ad vitæ conservationem fuit creatus, & non propter perniciem & spirituum consumptionem. Denique neque præternaturalis calor poterit venenum generare, quia nihil agit supra potentiam propriam: sed vis, seu efficacia veneni multò major est, quam facultas, seu potentia caloris præternaturalis, ut effectus demonstrant, quæ in veneno afflictis dignoscuntur: ergo neque calor naturalis, neque præternaturalis potest esse autor veneni; ergo videtur ipsum in corpore nostro generari non posse.

Forsitan Mercurialis arripuit hunc philosophandi modum ex Gal. *5. de loc. aff. cap. 7.* ubi videtur docere quod licet absolute non generetur venenum in nostro corpore, tamen ita corrumpi humores interdum ut veneno similes afficiantur. Verba Gal. perpendite. *Quia vero Medici investigare solent an assumpti veneni propria extenta signa, eò quod sèpè numerò videant circa lethalis veneni potionem, humores similiter, ut epoto veneno corrupti; non mirum est, si sic aliquando mutantur humores.* Eamdem opinionem confirmat Avertheos *3. collect. cap. 29.* ubi sic loquitur. *Et ego dicō quod non est impossibile ut generetur in malis corporibus, & eorum substantia, unus humor, similis veneno.* Hanc eamdem opinionem acerrimè retinet Jacobus Grevinus *lib. 1. de Vener. cap. 1. fol.*

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

16. ubi pluribus rationibus ostendere conatur, neque semen putrefactum, neque suppressa mensura, neque luem venereum, neque Elephantiasim, neque epilepsiam ex aura maligna ortum, neque uteri suffocationem causare illa accidentia ferocia, & venenata, qualia in legitimis venenis à tota substantia ita dictis, quotidie experimur; quandoquidem omnia symptomata à predictis morbis evenientia meritò in manifestas, & communes causas refundi possunt, ut *infra latius* constabit: non ergo credendum est verum, & legitimum venenum in nostro corpore generari, quale est innatum, & ex propria natura tale, quod ex certa, & peculiari mixtione elementorum sine dubio oritur; et si negari non possit ex putredine humorum interdum accidentia in corpore excitari maligna similia illis quæ à veneno oriuntur. Ergo licet hujusmodi Autores fateantur humores ita corrumpi intra nostrum corpus, ut veneno similes efficiantur, impropriè tamen vocari venena affirmant. Attamen cur propriè venena non sint, et si accidentia similia causent, non docent: numquid fortasse, quia hæc non ex naturæ præscripto fiant; nam reliqua vene-na propria ab extrâ, videntur à natura esse intenta; quæ autem intra corpus ex putredine humorum generari possunt, ex accidenti procul dubio fiunt talia; cæterum, an ratio hæc aliquis sit momenti constabit inferiùs, dum nostram mentem aperiemus.

His nonobstantibus nostra conclusio est, humores putrescentes intra corpus certâ quadam, & novâ putredine in venenorū legitimotum ordine collocati debere, necnon accidentia lethalia, & pestifera excitare posse, quemadmodum ex epoto veneno accidunt. Assertionē hæc habet non leve fundamentum in doctrina Gal. *6. lib. de loc. aff. cap. 5.* ubi sic loquitur: *Reliquum est ut investigemus, an in animalibus corruptio aliqua nasci posset, adeò vehemens, ut veneni tum qualitatem, tum vires aquat; nam qui maximè videntur super hac ambiguitate disputasse; iij eosdem fieri effectus concedunt, & à lethali veneni potionē, & à corruptione, quæ à corpore ortum habet. Ex his videtur Galenū sensisse posse in corpore nostro per corruptionem generari humores, qui eosdem effectus causare valeant, ut à lethali veneni potionē. Quæ verba non admittunt communem expositionem à Mercuriali adducent de similitudine, & non de legitimis accidentibus, quæ ex veneni lethali assumptione procedunt.*

Clarius tamen Gal. nostram exploravit sententiam *2. prorrheticor. tex. 17.* ubi ait, *Non est igitur absurdum, ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est rabientium canum.* Hinc non levis formari potest ratio, quæ nostrū intentum suadeat; nam canis rabidi humor est verè, & propriè, & legitimū venenum, ut in confessō ab omnibus habetur: sed Gal. expresse fatetur, quod in corpore nostro possit generari humor, qualis est rabientium canum; cæterum quod in corpore nostro generari possit humor canis rabientis, suadet ratio: nam in cane rabido non aliter generatur humor venenosus quam ab speciali humorū putredine, seu corruptione: sed in homine stabulantur humores similes in specie, ergo similiter in ipso ab

speciali eorum putredine, & corruptione poterit generari humor venenosus, qualis canum rabantium; æqua enim videtur utriusque ratio. Neque alia de causa Gal. lib. de constitut. art. Medic. cap. 29. expressè fatetur corruptens virus in hominis corpore innasci.

Validatur ulterius nostra assertio: nam in externis videmus quod vel propter excellentiam putredinis, aut propter peculiarem corruptionem venena generantur, ut constat in pestis generatione, ex putredine cadaverum, necnon ex olida putredine stagnorum, aut puteorum, in quibus ob defectum ventilationis vapores ita venenati excitantur, ut homines subito interimant more mortiferorum venenorū, quæ legitima censentur: ergo hoc ipsum intra nostrum corpus fieri non repugnat. Patet consequentia: siquidem non aliud oritur in externis in aductis exemplis, peculiaris corruptio, aut excellens putredo, quam à calore externo valde intenso agente in humida materia; sed intra nostrum corpus, sèpè ob prohibitam ventilationem, excitatur calor præternaturalis valde intensus, & extraneus, qui agit in pravos humores, in quibus est sufficiens dispositio, & sèpè valde conducens pro corruptione insigni, & peculiari: ergo quemadmodum in puteis, & cadaveribus generatur venenosus vapor, & contagiosus, qui homines depascit, & subito interimit, per oppositionem, quam habet cum spiritibus, & corde, more legitimi veneni, ita in nostro corpore poterit per excellentem, aut peculiarem corruptionem, generari humor, aut substantia venenosa, quæ pestifera, & venenata accidentia causet in nobis, & propriè venenum possit dici.

Et confirmatur assumptum: Nam interdum accidit, citra suspicionem aliquam veneni epoti, ut homo repente moriatur, cuius corpus redditur lividum, aut nigrum, & foetidum; sed hæc sunt accidentia legitima proprij veneni: ergo cum hæc interdum appareant in homine, qui venenum non assumpit, censendum est, in corpore ipsius generatum esse. Neque aliâ ratione Gal. 6. de loc. cap. 5. id deducere restatur, ( licet ex aliorum Medicorum opinione) cum proferat, *hunc venenum assumpsisse aiunt*, id est, qui hoc peculiari modo, & cum accidentibus adductis repente moritur. Et quidem: si ille, qui moritur repente, ab epoto veneno legitimo cum similibus accidentibus moritur, libenter quæram, cur homo, qui nullomodo devoravit venenum, & repente moritur cum adductis accidentibus, seu similibus, non deficiat per legitimum venenum? Neque aliquid valet solutio Mercurialis, & sequacium, dicentium venenum, simile esse legitimo veneno, quod in nostro corpore generatur, minimè autem proprium venenum. Non inquam valet, quoniam talis similitudo non est metaphorica, sed vera, & legitima ( ut accidentia testantur) ergo fundatur sine dubio in specifica identitate quæ una est in utroque casu: ergo si legitimum, & proprium venenum est, quod inimicum naturæ, per oppositionem, quem importat cum corde, & spiritibus, ratione cuius celerrimè interficit, & varia atque mortifera accidentia inducit, qualia sunt tremores, syncopes, vomitus virulentos, anxiatem, & foetorem ( ut ex definitione veneni, quam *suprà ad-*

*duximus* constat.) Et totum hoc accedit sèpè numerò in hominibus, aut repente mortuis, aut per febres pestiferas, citra veneni externi assumpti potionem, rationabiliter credere debemus in nostro corpore nobis non advertentibus succos pravos, maglinos, pestilentes, & venenatos generari; à quibus maligna, prava, & pestifera, atque venenosa accidentia causantur, qualia in illis, qui proprium, & legitimum venenum biberunt.

Nostram opinionem tuetur Fernelius lib. 2. de abdit. rer. caus. de morbis venenatis sermonem faciens, ubi planè docet, quod quemadmodum ex varia humorum putredine, quæ corpori nostro ex intemperie, aut alia quadam causa accidunt diversæ febrium species, ita quoque ex longa putredine, aut alia quadam causa occulta venenum in corpore nostro generari potest. In cuius confirmationem adducit doctrinam Gal. 6. lib. de locis aff. cap. 5. ubi lato calamo difficultatem præsentem proponit & concludit, *Quod qui de hac re melius disputasse videntur, iij easdem fieri passiones concedunt, & à lethalis veneni potionē, & corruptione, quæ ē corpore ortum habet.* Ergo saltim ex his licet colligere, doctissimos viros, qui tempore Galeni, de hac re disputarunt, aperte sensisse, intra nostrum corpus venenum posse generari, æquè ac si lethale venenum esset epotum. Præterquam quod Gal. cap. citat. suadere intendit per putredinem, aut corruptionem semenis in utero, aut in vasis seminalibus viri; facta retentione hujus laudabilis substantiae excitari sèpè numerò, præsertim in viduis accidentia venenata *suprà* descripta. Et totis viribus probare conatur id valde verisimile esse in parva semenis retentione, dummodo corruptatur, exemplo adducto de iictu Scorpionis, in quo brevi admodum tempore gravissima infert accidentia, cum sese applicat, aut perquam exiguum est id quod injicitur, aut nihil omnino nullo apparente foramine in ipsius aculeo, atqui fieri non potest, cum primum quis, perinde quasi ab acu, punculus est, ut universum corpus veluti grandine percuti videatur, animi simul defectione accidente: nam rationi magis consonum est, ut vel à spiritu quodam, vel tenui humiditate injectā, hac eveniant accidentia. Hæc Gal. sunt verba, qui amplius controversiam propositam confirmat, exemplo marinæ Torpedinis in qua tam vehemens est potentia, ut per pectoris tridentem transmissa ad manum alteratione, drepente totam reddat torpidam, exemplo etiam canis rabidi ( cuius rationem *suprà* adduximus) etiam confirmat hanc opinionem. *Quibus conjecturis facile deprehenditur ( verba sunt Galeni) parva molis res quasdam solo tactu maximas inducere alterationes, id quod in Heraclio quoque lapide, quem magnetem nominant, videre est, ferrum enim, quod terigerit ei adharet, vel nullo adhibito vinculo; deinde si aliud, id quod primum tactum fuerit, terigerit, similiter ut primum illi inherebit, postea tertium secundo.* Ex his deducit parvam semenis portionem retentam, & corruptam, prava illa accidentia maligna, & pestifera inducere posse, quæ more venenorū in hysterica passione subito interficit: ergo de sententia Gal. potest in nostro corpore generari proprium venenum.

Premittur assumptum ex verbis nostri Valles. in expositione hujus texiūs, verba perpendite. Certe posse in nobis succos eadem corruptione venire, ut venenis

venenis evadant similes, inferantque omnino eadem symptomata, quæ epotum venenum; idque cum aliis succis accidere possit, maximè accidereretento semine, verissimum est, usque adèò, ut nisi antecedentium, & externarum quarundam ratio habeatur, nullatenus dijudicari possit, an venenum quis biberit, eorum, qui cum gravissimis symptomatis, repente moriuntur: nam quod ad internam causam attinet, nihil malitia non potest interius comparare, si modo corpus paratum est. Aurea profectò verba, quæ clarissimè nostrum assumptum comprobant. Neque valet commune effugium, pro Mercurialis sententia defensanda, de similitudine, quam in principio hujus textū insinuat Vallesius, *Vt venenis evadant similes.* Quippè infra exprestè fateatur omnino eadem symptomata inferre, quæ epotum venenum. Si ergo intra nostrum corpus, talis substantia potest generari, quæ qualitatibus suis, & efficacia malignitati veneni epoti corresponeat, ita ut omnino eadem accidentia causet, quæ venenum epotum: certè colligitur Vallesium sentire proprium, & legitimum venenum in nostro corpore generari posse; Nam quod ad internam causam attinet, nihil malitia est, quod non possit comparare, si modo corpus paratum est; perbellè igitur nihil malitia, pronuntravit, ut propositione absolutam explorasset, quæ legitimum venenum comprehendenderet. Denique premo solutionem communem adductam de similitudine veneni, & non de legitimo: nam ex eo quod venenum legitimum epotum causet accidentia similia venenosa, qua alterum venenum epotum causare solet, non amittit vim propriam legitimi veneni, propterè quod similitudo illa specifica identitatem demonstrat, aut si hoc citra rationem negare velis; idem robur tenet argumentum: nam si accidentia similia ac epotum legitimum venenum causat substantia corrupta in nostro corpore, sicut proper similitudinem accidentium unum venenum epotum non amittit vim, & denominationem veri veneni, sicut alterum venenum epotum; cur etiam substantia intra nos genita debet amittere vim, & denominationem legitimi veneni, si eadem omnino accidentia causat, aut similia cum epoto legitimo veneno?

Jacobus Grevinus, lib. 1. de Venenis, cap. 1. supra citato fol. 14. & 15. Fernelij opinionem acriter increpare conatur, ex eo quod sequeretur omnes morbos in corpore ortos, ex venenis originem trahere. Certè sequela est indigna tanti Autoris; nam solùm venenosa qualitas, sequitur specialem & certam humorum corruptelam, & non communem putredinem quam concoctio cohibet: undè cùm omnes morbi non pendeant ab speciali corruptela, sequitur non omnes morbos ex venenis originem trahere.

Insuper etiam opponit contra Fernelium, non probari exemplo canis rabidi venenum in nostro corpore generari posse; nam censet canis rabidi excrementa non esse venenata, & contagiosa, quippè talis humor, qui jam cor, cerebrum, & jecur occupavit, illicè debebat interimere ipsum, cuius contrarium experimento constat. Neque apparet ratio cur excrementa canis rabiosi, seu ipsius morsus, sint venena respectu hominis, & non respectu canis, & insuper rationem reddere debet Fernelius, & qui ipsum sequuntur, eur Aspis, & Basiliscus sua venenositate idem in hominis corpore præstare non possunt. Hæc adducit Jacobus contra Fernelium, quæ si ani-

mo indagandi veritatem contemplemur, nullius roboris apparebunt: quandoquidem etsi canis rabidi excrementa sint absolute legitima venena, potest accidere ut illicè non interficiant ipsum canem, quia ipsius caro corrigit venenum, sicut etiam accidit in viperā, cujus saliva est venenosa, & non interficit viperam, quoniam ipsius caro est correctiva veneni geniti in ipsa; quâ ratione in compositione Theriacæ unum ex ingredientibus est caro viperina: idem ergo in cane rabido accidere potest, etiamsi legitimum venenum intra se contineat; quæ doctrina tenet in Scorpione, Aspide, & Basilisco, à quibus similis affectus homini non communicatur: quoniam non est contagiosus; canis autem rabidi affectio contagiosa est, & venenosa, ut ex Galeno constat 6. de locis cap. 5. citato, in quo autem consistat ratio contagionis, neque est hujus loci examinare, nec facile explicari potest, nisi recurramus ad certum genus corruptionis, quod est in cane, & non in aliis animalibus, etsi Aristoteles lib. 8. de partibus animalium cap. 22. Camelum rabie etiam corripi fateatur, quidquid Galenus dicat loco citato, ubi exprestè fatetur reliquorum animalium nullum rabie corripi præter canem; & obiter etiam rationem reddit, cur homines à cane rabido morsi, subito non deficiant, sed post longum temporis spatium; etenim etsi tanta sit in cane humorum corruptio, ut sola ejus saliva, si humanum corpus terigerit, rabiem excitare possit: tamen ab exiguo initio, saliva videlicet qualitate, aucta quædam in corpore passio, quando ad magnitudinem notatu dignam pervenerit, discerni potest, idque post sex menses, cùm non nunquam ante id tempus, nulla nota deprehendatur; atque adèò ex hoc fundamento inferre possumus, pro nostræ opinionis validatione, eodem modo in nostro corpore posse contingere, vitioso, & venoso humore paulatim genito, ita ut tractu temporis principalium partium aliqua consentiat, à qua deinde universum corpus celeriter alteretur, & mors accidat; ut inde discas, venena aliqua esse, quæ non subito interimunt, sed ad tempus sint talia, non solùm ex his, quæ extra assumentur, sed etiam in illis, quæ intùs generantur, ut latius infra peculiari suo capite enodabimus. Sileat ergo Grevinus, quandoquidem sæva, & fera accidentia vociferant, quæ in nobis veneni generationem attestantur.

Hanc nostram opinionem amplectuntur Cardanus, lib. 1. de venen. cap. 6. Lusitanus Zaceutus, lib. 1. històr. Princip. Medic. historia 50. & 5. lib. ejusdem operis, historia 1. ubi ait multò facilius, & Gal. magis consentaneum esse asseverare venenum innasci in corpore; quis enim inficiabitur ( inquit Zaceutus ) posse alimentum, aut humor in nobis corrupti, & tam prava putredine vitiari, ut qualitatem acquirat non minùs deleteriam, quam cuiusvis alterius veneni, id quod in dictis affectibus Galenus ostendit: non enim aliundè prava illa & sæva symptomata, quibus infestamur, vires usque adèò prosterunt, naturam debellant, sensum, motum, vocem, & cursum auferunt, convulsiones inducunt, refrigerationes, tremores, frigidos sudores, & amentias, ac reliquos epoti veneni effectus, nisi quia illarum causa virulenta quadam & non minùs perniciosa qualitate sit prædit. Neque videatur difficile in corpore nostro pot-

reperi tam pravum succum, qui possit praestare materiam venenosam, & vitæ omnino adversam; quippe adhuc ex probis alimentis potest generari venenosa qualitas in corporibus in quibus prava stabulatur cacochymia, necnon etiam ex retentis, & corruptis excrementis, immo ex materia seminali detenta, & corrupta, ut ex Galeno constat, ex quibus omnibus elevatus vapor vim deferens malignam, epilepticas, aut hystericas excitat affectiones, non secus ac syncopas, & alia maligna symptomatum genera, pro varietate membra quod invadit.

Consonat etiam Vallesius noster cum Galeno in expositione quarti agroti, lib. 3. epid. sect. 3. qui erat phreneticus, & prima die quam decubuit vomuit æruginosa, multa, & tenuia, cum pravis etiam aliis accidentibus, ex quibus terra die obiit. Et quidem miratur Galenus phreneticum mortuum fuisse ante diem quartum, ut meritò pater, id non factum esse vi phrenitidis, sed succi pravi & venenati, quem homo collegerat ob pravum victum; phrenitidem vero fuisse ut unum quoddam veneni symptomata, veluti si quis accepto veneno, aut mortuis à fera delirans moreretur, non diceremus sicut usus eum phrenitidem, sed venenum, & videtur revera, id quod Galenus affirmat probabilius effici, vomitu illo æruginoso, quem habuit phreneticus, qui nisi materia venenosa esset, & celerrima corruptio non posset die prima fieri.

Sed in confirmationem adductæ opinionis & placiti Galeni audite, precor, Vallesium nostrum sic fantem. Itaque ego Galeno conesserim posse intra nostra corpora gigni venena; quia horrendi quidam casus, id indicant; atque adeò posse paulatim genitum, aliquando noxam repentinam inferre, ant repentinum impetum capiens in partes principes, ant quod verius puto, venenatam qualitatem repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore tantum disponeretur veluti ligna multo tempore siccantur, & repente inflammantur; atque adeò in hoc talum succum fuisse (intellige venenosum) ob vomitum illum aruginosum & febrem acutam, & horridam, & ob incredibilem illum lapsum virum, quo factus est die secunda mane sine voce, & ob palpitationes per totum, ac denique secunda die factas convulsiones. Hucusque Vallesius. Aurea quidem verba, que venenum in corpore generari posse, planè testantur, & prava illa, & sœva, atque plura symptomata, quibus phreneticus fuit oppressus demonstrant.

Addimus etiam non solum in nostro corpore absolute legitima, & propria venena posse generari, ut probant adductæ testimonia, & rationes, verum etiam venena toto genere deleteria, quod Galenus significavit aperte 6. de locis affect. cit. cap. 5. de corruptione semenis, quod venenum ictui scorponis comparavit per sœva, & fera accidentia, quæ inducit. Ubi nota, minime ratione nimis quantitatis semenis corrupti, sed parvissimæ mortifera accidentia inducere: meritò igitur venenum toto genere deleterium in corpore per corruptionem specialem generari potest; cuius ratio est: nam per corruptionem, aut putredinem peculiarem, aut excellentem generantur extra corpus venena, toto genere deleteria, ut constat in generatione Bufonum, & scorpionum, & similiū animalium venenosorum toto genere talium: cùm ergo non implicet, similis putredo intra nostrum corpus, neque ex parte efficientis, neque ex parte materiae, credendum firmissime est, intra nostrum corpus generari posse venenum toto genere deleterium, & mortiferum.

sufficientis, neque ex parte materiae, credendum firmissime est, intra nostrum corpus generari posse venenum toto genere deleterium, & mortiferum.

Solum restat satisfacere argumento principali adducto à Mercuriali, in cuius solutione plurimum inculcant Moderni Scriptores, ex quibus Doctissimus quidam Recentior responderet, optimè posse à calore præternaturali generari venenum in nostro corpore agente in materia, seu humoribus pravè, & præviè dispositis ad veneni generationem, quin talis generatio excedat vim caloris præternaturalis: Et probat exemplo quotidiano de generatione serpentum, & lumborum in terra per putredinem, agente calore putredinali in materia, pravè, & præviè disposita ad generationem talium animalium venenosorum: poterit ergo intra nos ita accidere per putredinem excellentem similem agente calore præternaturali.

Hanc solutionem impugnat nōviter scribens Bataller disputatione unica de Venenis cap. 1. ex eo quod dispositiones humorum præviæ solum concurrere possunt ad generationem veneni in genere causæ materialis ex parte materiae: ergo solum restat quod talis generatio tribuatur calori præternaturali effectivè, ac proindè semper argumentum manet in sua vi, ex eo quod beneficia virtus excedat potentiam caloris præternaturalis. Addit etiam aliud argumentum. Alter Recentior nōviter scribens Valentiae Scholæ, disputatione I. de natura veneni, artic. 3. fol. 41. judicans acutè etiam venena toto genere deleteria, quod Gal. significavit aperte 6. de locis affect. cit. cap. 5. de corruptione semenis, quod venenum ictui scorponis comparavit per sœva, & fera accidentia, quæ inducit. Vbi nota, minime ratione nimis quantitatis semenis corrupti, sed parvissimæ mortifera accidentia inducere: meritò igitur venenum toto genere deleterium in corpore per corruptionem specialem generari potest; cuius ratio est: nam per corruptionem, aut putredinem peculiarem, aut excellentem generantur extra corpus venena, toto genere deleteria, ut constat in generatione Bufonum, & scorpionum, & similiū animalium venenosorum toto genere talium: cùm ergo non implicet, similis putredo intra nostrum corpus, neque ex parte efficientis, neque ex parte materiae, credendum firmissime est, intra nostrum corpus generari posse venenum toto genere deleterium, & mortiferum.

Solum restat satisfacere argumento principali adducto à Mercuriali; in cuius solutione plurimum inculcant Moderni Scriptores, ex quibus Doctissimus quidam Recentior responderet, optimè posse à calore præternaturali generari venenum in nostro corpore agente in materia, seu humoribus pravè, & præviè dispositiones præviæ humorum solum concurrant in genere causæ materialis ad generationem substantiæ beneficæ, non indè infertur solum calorem præternaturali producere venenum: nam ipse operatur virtute substantiæ, tanquam instrumentum se tenens ex parte efficientis, quod intendit per se generationem similis substantiæ. Cæterum quia prius quam possit introducere omnes dispositiones conductentes per se pro forma intenta, ex aliquibus ab ipso efficienti productis, & ex aliis, quæ in materia, seu humoribus pravis alteratis à calore præternaturali, mediæ speciali, & excellenti corruptione,

# Cap. III. An Venen. hum gener.&c. 331

corruptionē, seu putredine innascuntur, pullulat, & resultat dispositio media, & ultima pro generatione substantiæ venenosæ, quæ per accidens sit, & præter intentum agentis principalis, cogitur causa universalis ad exigentiam ultimæ dispositiōnis producere formam substantialem beneficam, cuius productionem attingit calor præternaturalis, & dispositiōnes se habentes ex parte materiæ, quæ in humoribus pravis cernuntur, etiam in genere causæ materialis concurrunt, & attingunt suo modo generationem substantiæ venenosæ, quatenus ex ipsis, & ex illis, quas produxit efficiens medio calore præternaturali & putredinali resultavit ultima dispositio ad formam substantialem beneficam, sive sit vermis, sive scorponis, vi cuius causa universalis suā generali providentiâ, quasi obligata fuit ad productionem illius formæ substancialis benefica; quo sit ut tribuat non calori præternaturali solum, neque dispositiōnibus materialibus, sed dispositiōni ultimæ resultanti ex dispositiōnibus ab efficiēti productis, & ex illis, quæ ex materia alterata, & disposita resultant, quæ omnes attingunt productionem substantiæ modo possibili tanquam instrumenta se tenentia ex parte efficiēti, & ex parte materiæ. Ex quo perspicue constat contra Bataller, & contra alterum Doctorem Valentini, quām falsa sit ipsorum argūtio, & aliena à vera Philosophia.

Claudiat etiam arguties Valentini, ex eo quod firmiter teneat dispositiōnes, quæ mediā putredine fiunt, per se intendi ab aliqua peculiari substantia, & mērē concurrere disponendo solum pro corruptione formæ præexistentis, & minimè pro generatione nova substantiæ venenosæ. Totum quod chimæricum, & prorsus falsum esse censeo: nam ipse fatetur, tales dispositiōnes ex accidenti evenire, inspectæ à causa universalis, ne materia existeret sine forma: ergo non intenduntur per se ab aliqua peculiari substantia; nam licet in hujusmodi generationibus, quæ per accidens contingunt, producat principale agens alias dispositiōnes ex se conducentes pro generatione consimilis substantiæ: tamen quia prius quām produxerit omnes, resultat ex illis & ex his, quæ sunt in humoribus pravè dispositis mediā putredine ultima dispositio pro altera forma, quæ ex accidenti producitur à causa universalis coacta ipsam producere (et si venenosa sit) vi ultimæ illius dispositiōnis, quæ ex se corruptiva est formæ præexistentis, necnon etiam conducens pro forma venenata substanciali, colligitur manifestè, non produci illam formam substancialem beneficam, ne materia existeret sine forma, sed quia ipsa dispositio exigit novam formam, corruptentem præexistentem per naturalem incompossibilitatem: quā ratione prædicabat toties Philosophus, illud satis tritum, & vulgare dogma, scilicet, generatio unius est corruptio alterius: non ergo producit causa universalis illam formam novam beneficam substancialem, quia materia non existat denudata formâ; sed quia illa ultima dispositio exigit illius productionem; neque illa solum disponit pro corruptione præexistentis formæ, sed positivè pro generatione formæ substancialis venenosæ disponit, cogendo causam universalem, sua generali providentia summa, ut produceret illam formam, quam producere non poterat ullum agens particulare, quod non potuit producere in illa materia omnes

suas dispositiōnes per se intentas ad generationem similis substantiæ. Cujus rei innumera sunt exempla, à quibus libenter supersedeo ne fastidiosus sim legentibus: ruit ergo omnino utriusque Doctoris redargutio.

Sennertus lib. 6. sua p̄act. part. 1. cap. 2. solvere conatur argumentum suprà adductum à Mercuriali: tenet igitur veneni generationem in nostro corpore minimè tribui calori præternaturali tanquam agenti primario, sed ipsi materiæ, seu humoribus pravè dispositis continentibus in se agens primarium, cui tribuitur potius generatio talis substantiæ venenosæ, quām instrumento agenti, seu calori externo præternaturali: Censet enim in corruptione cujuslibet formæ substancialis non fieri resolutionem usque ad materiam primam, sed perseverare plures formas subordinatas, cum suis accidentibus in ipsa materia, quæ interdum secernuntur, & ipsorum vis manifestatur maligna, & venenata, quæ anteà latebat in humoribus, qui ex alimentis generantur pravis, ex quibus homines sapè nutruntur, cucumeribus videlicet, & aliis alimentis & fructibus, quæ pravum alimentum præstant, & venenatam naturam in se continent; sapè etiam animalibus utimur in alimoniam, venenatis substancialis nutritis, ut gallinâ araneis nutrita, coturnicibus elleborō alitis, & Anatæ bufonibus, in quibus venenata substantia latet, & non laedit illicet, quia mixta est cum aliis substanciali; ceterum dum secreta tota existit, suam venenosam vim præstat. Unde causa primaria effectiva veneni in corpore geniti est qualitas hæc beneficia in alimentis latens, & humoribus ex ipsis genitis, calor verd sive naturalis, sive præternaturalis extrinseca causa dicitur in tali generatione, & minimè primaria, neque effectiva. Hæc Sennertus.

Adductam doctrinam impugnat Doctor Valentinus loco citato, ex eo quod concedit, & supponit plures formas existere simul informantes eandem materiam; quæ opinio adhuc in subordinatis reprobatur à S. Thoma, sicut etiam quod resolutio non fiat usque ad materiam primam; & licet fateatur, & gratis concedat resolutionem non fieri usque ad materiam primam, ut Sennertus supponit, nihilominus suadere intendit, adhuc peccare Sennerti solutionem, quoniam accidens non potest esse causa principalis & primaria prædictiva substantiæ, neque virtus latens in materia, quippè hæc solum dicit in corruptione scipsum cum accidentibus corrumpti, & cum substantia virtute propria non possit producere neque formam aliquam substancialem, neque aliam materiam, infert contra Sennertum minimè posse ex suis principiis intelligi quā ratione in nobis possit generari substantia venenosa in nostro corpore agente calore præternaturali in humoribus.

Consequenter docet contra Sennertum, quod licet accidentia, quæ erant in corrupto, maneat in genito, post plures transmutationes, ut constat ex Hip. 6. epid. part. 5. text. 25. per illa verba: *Mulier, capra elaterium, aut eucumerem sylvestrem comedentes pueris purgatio.* Hoc tamen non accidit quia resolutio non fit usque ad materiam primam, sed quia materia fuit sigillata à forma substanciali præcedente, ob quod forma subsequens determinatur, ut simile accidentis in specie producat; & perinde dum homo plantis, & animalibus veneno nutritis, & saturatis uitetur, si qualitas maligna oritur, non est quia ea fuit re-

licta in materia verbi gratia gallinæ araneis , aut scorpionibus nutritæ , sicuti neque substantia venenosa ex tali essentia genita , sed solùm ob præcessisse materiæ sub tali forma , ratione cuius remansit sigillata ; unde causa principalis substantiæ venenosæ non est materia gallinæ veneno nutrita , neque aliqua virtus latens in ipsa materia , sed ipsa forma substantialis , quam maligna , seu venenosa qualitas , ut passio propria comitabatur , exempli gratiâ scorpionis , aut alterius formæ venenataæ , ratione cuius materia prima appetitum contraxit , ita ut informata alia forma chyli scilicet , aut sanguinis , eam ad supradictum appetitum determinet , & venenosam qualitatem producat ; ita ut venenosa reddatur substantia sanguinis , solùm propter præcessisse formæ araneæ , aut scorpionis , aut cucumeris , aut alterius formæ venenosam substantiam constituentis , à qua producitur maligna , & venefica illa qualitas . Tota hæc doctrina , quâ increpare intendit Sennerti solutionem , fundatur in principio Thomistarum , afferentium fieri resolutionem usque ad materiam primam , ita ut in ipsa minimè remaneant accidentia ulla eorum quæ fuerunt in corrupto , quam Sennertus planè negat cum toto Collegio Jesuitanæ Familiae ; unde argumen-ta , quæ contra ipsum format , penitus evanescunt , et si forsitan alicujus roboris sunt , solùm tenent in opinione Thomistarum , qui modus impugnandi , frivolis prorsus est , cùm in omni opinione impugnatio debeat habere vim . Neque alicujus momenti est argumentum suprà etiam adductum contra Sennertum , ex eo quod accidentia non possint attingere productionem substantiæ ; nam ex suprà dictis à nobis aperte constat , quâ ratio-ne id possit accidere modo possibili , in quolibet genere causalitatis per modum instrumenti operantis virtute causæ principalis cuius sunt instru-menta .

Ulterius etiam in favorem Sennerti sic argu-mentor à destructione fundamenti Thomistarum , quod tanquam inviolabile supponit Doctor Valentinus argumento à me olim machinato , & adducto in celebri nostra Complutensi Academia in publicis Disputationibus Religiosæ Familiae Clericorum Minorum . Nam sigillatio in materia prima , ratione cuius habet appetitum ut denuò in novo composite producantur illa eadem accidentia in specie quæ fuerunt in corrupto , tota dependet ex præcessisse formæ antecedentis corrupta in tali materia . Quo supposito tanquam inconcluso fundamento in doctrina Thomistarum , sic premo discursum : nam illa sigillatio in ma-teria prima , vel est quid reale accidentale , aut substanciale inhærens in materia , aut quid chi-mæricum , seu fictitium , sive denominatio ex-trinseca ; quidquid sit , nihil ponit reale in ma-teria , ratione cuius forma generanda , aut uni-versalis causa producat illa accidentia venenosa , quæ forma araneæ , aut scorpionis in materia conservabat : Ergo ruit totum fundamentum Thomistarum à Doctore Valentino repetitum contra Sennerti doctrinam . Probemus assumptum per partes . Si respondeas esse quid reale substanciale , incidis in opinionem Sennerti adhuc intentis plures formas in illa materia , quæ si subordina-tæ sint , non est contra rationem , neque improbabile ( et si Divus Thomas contrarium sentiat ) & cum ipso Doctor Valentinus : quippe nostro Tractatu de Elementis tom. nostro 1. abunde ostendimus

Elementorum formas conservari simul cum forma mixta , quia sunt mediae & conduceentes pro ipsa , quin importent aliquam incompossibilitatem , cum ipsa , necnon etiam subtilissimus Scotus , corporeitatis formam medium concessit in omni composito substanciali : ergo impugnatio deexistentia plurium formarum in unica materia , dummodò sint formæ mediae , nihil facit contra Sennertum ; quandoquidem si fateatur Doctor Valentinus sigillationem in materia esse quid reale substanciale , incidit in foveam quam facit : præterquam quod si quid reale substanciale per-severat in materia : ergo non fit resolutio usque ad materiam primam .

Porrò si concedat , sigillationem esse quid reale accidentale inhærens in materia , & sequitur etiam resolutionem non fieri usque ad materiam primam , & consequenter , quod saltim illa accidentia recipiantur in materia , & non in toto composite , quod peccatum criminis est in prædicta opinione : ergo liquidum manet , sigillationem in materia relictam ex præcessisse antecedentis formæ jam corruptæ , neque esse quid reale substanciale , neque accidentale inhærens in ma-teria : si ergo est quid notionale , chimæricum , & fictitium , sive extrinseca denominatio , quæ omnia nihil ponunt in re , seu materia , quam di-cunt manere sigillatam . Urgeo denuò ratiocinum meum : etenim id quod nihil reale est in materia , sed solum merum figmentum , aut ex-trinseca denominatio , seu præcedentia formæ antecedentis corruptæ , minimè potest cogere formam corruptam ( scorpionis videlicet , aut alterius substantiæ venenosæ ) ut producat qualitatem veneficam , quæ comitabatur ipsam formam ante ipsius corruptionem , neque causam primam , ut per exigentiam aliquam reproducat in materia hujusmodi accidentia venenosa , quæ præfuerant antecedenter in materia , aut in composite ante-cedenti , ut per se patet contemplanti rem citra passionem propriam ; cùm certum sit extrinsecam denominationem nihil ponere in materia , ut esse dextram columnam , aut sinistram , nihil ponit reale in columna : ergo ex vi illius præcessisse , minimè tenetur forma corrupta , neque alia cau-sa ad productionem qualitatis veneficæ in mate-ria , ac per consequens sigillatio chimærica om-nino censenda est in materia prima , ut acciden-tia denuò producantur , quæ præfuerunt in cor-pusto : præcipue cùm forma illa scorpionis verbi gratia sit corrupta , aut altera quælibet , quæ ve-natam qualitatem continebat , quarum nulla rationem causæ producentis de novo sortiri poterit , quandoquidem ad causalitatem actualem exi-stentia causæ est necessaria .

Huic ultimæ instantiæ respondet Doctor Val-en-tinus citatus , sufficere existentiam virtutis ( quam virtualem vocant communiter ) ut ali-quid , et si corruptum dicatur , principaliter cau-sare possit , adducit exemplum in semine indito à patre accepto , & conservato ab utero ; quo in casu , et si pater moriatur , succedit generatio , & patri principaliter tribuitur , & semi virtua-liter . Unde infert appetitum materiæ ex præces-sisse sub forma araneæ aut scorpionis , esse virtu-tem sufficientem pro determinatione accidentis similiis in specie , ut scilicet determinet formam corruptam araneæ , aut scorpionis , ut producat denuò accidentia venenata , quæ præfuerant , præ-sente , & informante materiam formâ araneæ , aut

aut scorpionis , sive altera qualibet venenata . Hæc solutio quidem videtur aliena à bona Philosophia : nam argumentum de similitudine semenis nihil probat in sigillatione ; etenim semen dicitur instrumentum separatum deferens in se totam virtutem patris , quam eminentialiter continet ; quare jure optimo , tale instrumentum acceptum , & conservatum ab utero tanquam in loco idoneo ad proliferationem à natura dicato operatur virtute patris , ex se agentis principalis , quod etsi actu non existat , existit tamen in semine sua formalis virtus , quemadmodum in seminibus vegetabilium id accidere inconcussum est inter omnes Philosophos , & Medicos ; ceterum in sigillatione materiae minimè currit eadem ratio , inquit longè dispar : nam ex eo quod præcesserit in ipsa forma scorpionis , aut altera venenata , nihil relinquitur reale inhaerens in ipsa materia ( ut omnes Thomistæ tentent planè ) quod possit continere eminentialiter virtutem scorpionis , quemadmodum semen continet virtutem patris , quod entitas realis , & physica est , at præcessisse formam scorpionis corruptam in materia nihil est reale , sed extrinseca denominatio : ergo neque potest continere virtutem formæ scorpionis , neque potest materia ipsa nuda per illud præcessisse formæ scorpionis determinare formam corruptam scorpionis , ut producat accidentia illa venenata de novo in materia , qua anteā erant dum talis forma actu informabat materiam : unde illud præcessisse formæ antecedentis jam corruptæ minimè potest habere rationem instrumenti operantis virtute cause principalis , cum nihil sit reale ; sed solum mera extrinseca denominatio , quæ nihil ponit in materia , proindeque , neque potest dici instrumentum operans in virtute agentis principalis , neque ullo modo potest determinare materiam ad appetitum talium accidentium ; alias , si centum formæ præcesserint in materia , maneret sigillata ab omnibus , ut omnia accidentia centum formarum , omnino diversa , & contraria , inter se reproducerentur forsitan destructiva formæ praesentis : quod omnino vanum , & chimæricum censi debet .

Denique , quia etiam instrumenta Fabri , ut serra , & penicillus recipient impulsū à Fabro pro motiunculis conducedentibus ad artem , absente Fabro , impulsus deficit , & motus , & tamen illud præcessisse talis impulsus , non determinat Fabrum necessariò , ut repeatat impulsū ejusdem speciei pro motiunculis illis conducedentibus ad artem : ergo eodem jure in materia , idem debet accidere , quandoquidem ex præcessisse formæ receptæ in illa per corruptionem deficit inhærentia in eadem materia , in qua cum nullum vestigium formæ amissæ relinquatur , nihil est quod determinet ad productionem eorumdem accidentium similium in specie in eadem materia . Ruit ergo solutio , & totus discursus fundatus in sigillatione materiae solum per præcedentiam formæ corruptæ .

Inculcat etiam Valentinus Doctor Sennerti doctrinam , quia non tenet in semine , aut sanguine , quando peccant in quantitate , & retinentur , & putrescent , in quo eventu naturam sapient veneni , ut Galenus testatur 6. de loc. cap. 5. citato , & tamen cum hujusmodi substantiae laudabiles sint , non videtur habere locum Sennerti doctrina de formis venenatis in ipso-

rum materia contentis . Certè argumentum satis frivolum , & superficiale , quandoquidem in doctrina Sennerti , in sanguinis , & semenis materia , quæ fit ex nutritione animalium venenosorum , lateat forma illa media substantialis venenosa ; nam etsi sanguis , & semen fiat ex substantia laudabiliore nostri corporis , nihilominus ipsa secum defert illam venenositatem quam participat necessariò ex plantis , aut animalibus venenosis , ex qua fuit factus chylus , & sanguis , non tamen ita reluet , sed potius magis later , quam in aliis humoribus pravis , in quibus non ita est correcta venenositas , sicut in semine , & sanguine quarto humore , in quibus solum per putredinem agente calore præternaturali per prohibitam ventilationem , separatis partibus venenatis , resurgunt accidentia pestifera , & fœva , qualia superius depinximus : minimè ergo convincit argumentum contra Sennertum .

Tempus jam instat , ut accedamus ad solutionem Doctoris Valentini , qui priùs quām propriam mentem aperiat , docet , interdum in nostro corpore generari venenum , citra aliquam putredinem , solum per actionem caloris naturalis , qui separat substantias à substantiis , per transmutationem alimentorum in chylum , & sanguinem . Unde tenet hac ratione calorem naturalem ex accidenti , & tanquam extraneam causam , seu externam concurrens ad veneni generationem in nostro corpore , necnon etiam calorem præternaturalem etiam ex accidenti concurrens , quatenus absunit substantias laudabiles humorum , & sanguinis , quæ corrigeant venenatas qualitates , & impediunt pullulationem veneni .

His præhabitis , tenet generationem veneni in nostro corpore principaliter fieri à causa universalis , à qua universi conservatio intenditur ; nam materia illa , quæ putrēscit ( loquitur nunc quando ratione putredinis generatur venenum in nostro corpore ) ope caloris præternaturalis , adquirit dispositiones , quibus forma antecedens conservari non potest ; & idē ne materia maneat sine forma , causa universalis introducit formam substantialem veneficam , aut alterius mixti : attentis dispositionibus relictis ex putredine , aut ustione , vel à calore dissolvente mixtum , à quibus contrahitur & determinatur universalis causa ad productionem substantiæ veneficæ ; sic docet vermes , & alia animalia venenosa per putredinem generari , & sponte in terra nasci : quid ergo mirum quod eodem modo intra nostrum corpus generantur venenosæ substantiæ .

Valentini Doctoris solutio plura continet falsa ; peccat enim imprimis quatenus docet posse in nostro corpore generari venenum per actionem caloris naturalis citra aliquam putredinem , ex accidenti , quatenus separat substantias à substantiis per conversionem alimenti externi in chylum , & sanguinem ; nam ipse contra Sennertum arguit non esse in alimentis substantias veneficas , quia resolutio fit usque ad materiam primam , eo ipso quod alimenta corrumptuntur , & in aliam formam transmutantur ; si ergo non remanet in materia , in transmutationibus , quas patitur alimentum in chylum , & sanguinem aliquid positivum , sed solum extrinseca denominatio , seu sigillatio orta ex præcessisse formæ corruptæ : ergo neque accidentaliter , & extinsecè potest

concurrente calor naturalis ad generationem veneni, intra nostrum corpus, cum potius si non fierent transmutationes substantiales à nostro calore, sed liquationes meras, perseverarent sine dubio in alimentis venenosis qualitates beneficæ formaliter, quæ melius, & citius disponerent, & conducerent ad generationem veneni in suo genere causæ materialis: ergo adhuc ex accidenti calor naturalis non potest esse auctor veneni, ratione transmutationum, quas præstat, dum alimentum convertitur in chylum, aut sanguinem, imò potius, per ipsas transmutationes congregantur homogenea, & similia, ut in *Tractatu de Coctione* docuimus nostro primo Tomo, & separantur etherogena, & dissimilia, quæ à natura expelluntur per suas dicatas regiones tanquam excrementa inutilia pro nutritione.


Insuper etiam neque calor præternaturam potest conducere ad generationem veneni, quantum absunit substantiam benignam alimentorum, seu sanguinis; quippe et si calor præternaturam valeat resolvere, indifferenter id facit, tam respectu substantiæ laudabilis sanguinis, & chyli, quam respectu aliarum substantiarum inutilium, quæ excrementiæ vocantur: ergo non est destinatus præternaturalis calor, ut solùm resolvat benignas substantias sanguinis, quæ impediunt in ipso pullulationem venenosæ substantiæ. Præterquam quod officium principale caloris præternaturalis, est inducere putrefactionem, aut ultiōrem in humoribus dispositis, & juxta varias dispositiones, varias corruptiones inducit in ipsis: ergo potiori jure credendum est, calorem præternaturalem conducere ad generationem veneni, quia auctor est putredinis, & corruptionis sanguinis, quam quia resolvit substantiam benignam ipsius; quandoquidem etiam resolvit substantias pravas, & excrementias sanguinis.

Neque causa universalis producit substantiam beneficam ne materia maneat sine forma, sed ad exigentiam ultimæ dispositionis productæ ex illis, quas produxit agens particulare intendens suam assimilationem, & ex his, quæ in ipsa materia præfuerunt, ex quibus omnibus resulabit ultima dispositio, vi cuius tenetur causa universalis producere illam substantiam beneficam: nam si ipsa non existeret, nulla produceretur forma à causa universalí, cum entitas nuda materiæ primæ, non possit cogere universalem, & primam causam, ut producat formam, cum per divinam potentiam possit existere sine forma: non ergo cogitur prima causa producere formam ne materia maneat sine illa: imò potius, si ob hanc rationem prima causa formam produceret, produceret sine dubio formam aliquam conservativam viventis, & non beneficam, & destructivam naturæ, & omnino nefariam, cum Autor naturæ potius debeat intendere suam conservationem, quam corruptionem: non ergo producit substantiam beneficam, quia materia prima non maneat denudata forma, sed quia ad exigentiam illius dispositionis ultimæ operatur sua generali providentia, quemadmodum accidit in productione formæ mixti, & in omnibus generationibus per accidens, ut superius probavimus.

Ex dictis constat contra Mercurialem vim caloris præternaturalis agentis in materiam pravam continere virtutem potentiam æquivocam

producendi varias formas tanquam instrumentum naturæ, medio ipso operante, non quidem juxta regulas petitas ab statu naturali, sed per quandam violentiam caloris præternaturalis, per quem beneficam formam producit, concurrentibus dispositionibus pravis alimentorum venenorum, & pravorum, quæ perseverant in materia, non quidem (ut Sennertus putavit) perseverantibus formis substantialibus venenorum in materia, quia hujusmodi formæ, nec sunt mediae, nec conducentes pro forma adveniente; cum ergo sufficient qualitates venenosæ ad generationem per accidens formæ venenosæ, frustra multiplicare debemus substantiales formas simul informantes eandem materiam, quandoquidem non constat de influentia ipsarum, sicut de formis elementorum dicebamus in generatione mixti, nostro Tomo 1. et si forsitan quis sit persuasus, & concedere velit, illas substantialias quas admittit Sennertus esse formas medias substantiales, quarum qualitates conducunt ex parte materiæ, cum calore præternaturali ad generationem veneni in nostro corpore; probabilius potest sustineri Sennerti solutio; nam sive dicamus qualitates se habentes ex parte materiæ, sive formas illas medias venenum continentes conducere in generatione per accidens ad formam veneni productam à causa universalis ad exigentiam illius ultimæ dispositionis, in re ipsa convenimus: sicut ergo solus calor operante natura, tanquam æquivoca causa, varia producit animalia venenosæ, & plantas varias venenosas, propter dispositiones varias, & pravas terræ quin excedat effectus vires causarum, & dispositionum conductientium ad generationem per accidens substantiæ venenosæ; sic similiter in nobis accidere generationem veneni medio calore præternaturali, & dispositionibus materialibus maleficiis, seu pravis credendum est.

Neque quamlibet seminis putrefactionem, seu sanguinis menstrui corruptionem, dum retinentur, generare venenum censendum est, sed certam, & speciale, seu excellentem, ut hinc constet contra Mercurialem, & Jacobum Grevinum, saepè sapientius affectus hystericos reduci posse ad causas manifestas; non tamen ex eo probatur interdum non posse generari venenum ex prædictis substantiis corruptis, speciali genere corruptionis, qualiter in pestilentibus febribus accidit, & accidentia declarant sœva, & mortifera, ut Gal. planè fateretur, loco cit. 6. de locis affect. cap. 5. ex quo clarè constat, quæ ratione calor præternaturalis attingat productionem formæ substantialis beneficæ, & quod possit intra nostrum corpus generari, quin rationes in contrarium adducere, nostram sententiam debellare possint.



## C A P U T IV.

*An detur Venenum ad tempus.*

**R**IUSQUAM item propositam absolutam, notandum venit, in pluribus sensibus habere locum præsentem controversiam. Primum est utrum à natura talis possit produci substantia venenosa, ut temporis longitudine, mortem inferat, aut etiam possit tale venenum arte parari, ut post longum tempus

tempus etiam suam veneficam , & mortiferam vim manifestet ? Strictius insuper potest intelligi litigium , an scilicet venenum possit arte parari , quod determinato tempore interficiat , ita ut die , vel hora ab artifice , seu malefactore intenta mors accidat.

Ceterum , ut certa ab incertis separemus , venena omnia , sive à natura producta , sive ab arte parata , esse agentia naturalia , quæ in præsenti contraria debent agere , & repati , ac proinde minimè posse lava sua , & mortifera accidentia manifestare in instanti , sed potius tempore sensibili , & manifesto , requisito ad actionem suam majori , aut minori ; pro majori , aut minori passi resistentia , sive activa , sive passiva , comparata cum efficacia , & virtute agentis venenati ; etenim si hæc sit valde intensa , & deleteria , & calor noster naturalis debilis , certum est , quod breviori tempore celebrabitur mors , longiori autem si virtus veneni non sit ita intensa , & resistentia passi , sit aliquantulum validior , non tamen ita , ut prævaleat supra vires agentis , à quo celebranda est victoria . Ex quo sati clarè constat omnia venena post aliquod tempus sensibile mortem inducere , de quo nulla est controversia .

Solum ergo procedit controversia si hujusmodi venena , vel à natura instituta , sive ab arte parata , possint suam mortiferam vim inferre , post legitimum temporis intervallum , retardata sive actione , aut aliquantulum impedita per plures menses , aut annos .

Et quidem dari venena temporanea à natura , quæ temporis longitudine interficiant , videtur colligi ex Galeno , lib. I. prorrh. text. 17. cuius verba sunt sequentia . Non est igitur absurdum ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor , qualis est rabientium canum , & medicamentorum tractu temporis longiori corruptum , ita ut plerosque Medicos lateant . Quibus verbis explessè faretur Galenus venenum in nostro corpore pér multum tempus latere , & posteà hominem interficere . Idem testatur 3. epid. part. 3. agroto 4. verba perpendite . Neque enim sicut ipsorum generatio subita est , ita & generationis causa , ut si medicamentum homo lethale sumpsisset , vel bestia eum virulenta momordisset , sed perdecentim in corpore causa , quæ sunt excitandas hujusmodi malis crescunt , quod morsis usq; venit à rabidis canibus ; nam apertum est , quod canis venenum licet in morsis non otietur , nec conquiescat , nullam sui ipsius notam prodit , multis interim proximis mensibus . Aperte ergo , & explessè faretur Galenus à natura produci posse venenum , quod longo temporis spatio , hominem depascat . Hanc eandem sententiam complectitur Mercurialis , lib. I. de venen. cap. 7. & Amatus Lusitanus , centur. 6. curat. 88. ubi sequentia adducit verba . Turca tamen & Indi , qui venena scie trahant , venena ad determinatum tempus , ita dextrè , & artificiose concinuant , ut raro suis frustrentur votis , præparant autem medicamenta varia , que ad tempus interimentia vocant , quorum aliud menstruo , aliud bimestrī , aliud vero anno spatio , opus suum conficit . Ceterum cùm tempus signant , non determinatum intelligi volunt , sed plus minus pro subiecti ratione , id quod ( ut ego sentio ) viris doctis absurdum videri non debet . Ex his licet colligere si fidem tanto viro præbeamus , non solum à natura , sed per artem dari

posse venenum , quod ad determinatum interimat tempus , hoc est , quod uno mense , vel duobus , vel integro anno opus suum conficiat ; hoc autem de venenis quæ toto suo genere interimunt , & occulta vi , & rodendo , & putrefaciendo , quæ verè deleteria dicuntur , intelligendum esse censet ; minimè verò de illis , quæ suis primis qualitatibus , vel quantitate interficiunt , quippè hæc statim interimere solent , & non per longum temporis spatium .

In prædicta curatione rationem hujus rei adducit , à simili desumpto argumento de medicinis purgantibus ; nam inter hæc alia tardius , alia brevius suum munus exercent , totum quod pender , ex dosis debita mensura , ab exercitatis viris determinata , & præscripta , quam si quis excedat , interdum mors citius sequitur , ex eo quod citius opus proprium conficiant . Sic Dioscorides vir gravissimus , & in Arte Medica exercitatissimus lib. 4. cap. 79. agens de Mandragora , inquit ejus succum duobus obolis ex mulso potum , ut verartum per vomitiones billem atram , pituitamque extrahit , verū potu largiori vitam adimere , & in fine capititis sermonem instituens de Morio , hoc est , de altera Mandragoræ specie , ait , eam in pane , offa , obsoniōve drachmæ pondere devoratam , non memoriam modd , sed usum quoque rationis intercipere : obdormiscit enim homo ( inquit iste Autor ) eo ferè quo comedet habitu , sensus impos , ternis , quaternisve , ex quo data est , horis . Perpendite igitur , obsecro , ultima verba adducta , quibus ait hominem impotentem fieri , tertią vel quartā horā post ejus elsum ; ubi signat tempus in quo ferè morion operatur . Non igitur difficile creditu erit , venena artificiose concinnati posse , aut forte ita nata , & naturā suā reperiri quæ determinato quadam tempore , paulò serius ocyūse interinant . Sicut ergo nostris temporibus accidit , quod aliqua sint medicamenta purgantia , quæ celerius , aliqua , quæ tardius purgandi opus perficiant , & sèpè sèpius per artem , ea quæ efficaciter , & celeriter purgant ; ita corrigimus , eorumque vim dominamus , ut tardius , & remissius expurgationem moliantur : & è contrà , ita posse accidere in venenis consentaneum rationi videtur , ipsorum vires tardas per artem acuendo , & accelerando , & efficaciam eorum domando , & retardando . Ex quo accidit ut jure optimo possit præparari venenum , quod post longum tempus , aut tardè interficere possit : totum quod etiam evenire potest , augendo quantitatem , aut diminuendo ipsam , ut de medicinis purgantibus accuratè , & prudenter advertit Galenus , lib. de curand. ration. per sanguis missiōn. cap. 12. sic . Nam quod laboranti præbendum medicamentum , aut bilēm , sive flāvam , sive atram , aut pituitam , aut serofum excrementum vacuans exactè novimus , ceterum quantum præberi debeat , nescimus : Idem testatur lib. 2. de rat. viii. text. 37. dum de certa mensura propinandi medicamenta expurgantia loquitur , & ait . Conjectura hoc artificiali Medicus asequatur oportet , quod quidem cujuslibet non est , sed ejus tantum , qui vim omnium eorum , que sub arte cadunt , facultatemque didicerit , & qui mortalità vigeat , ac in artis operibus diligenter , & accuratè sūt versatus . Ex his infero , igitur quemadmodum in exhibendis purgantibus auxiliis catharticis , artificiali conjectura opus est , ne

forsan quantitatem excedendo debitam , celerem , & nimiam evacuationem moliamur ; ita eadem uti opus est in exhibendis ad definiendum tempus venenis , ut scilicet , quædam tardius , quædam celerius interficiant. Totum quod pender ex præparatione retardante , aut accelerante , aut ex nimia , aut minima quantitate propinandi venena ; liquidò ergo constat , per humanam industriam posse dari venena , quæ ad tempus operentur. Quæ omnia dignoscens Theophrastus lib. 9. de causis plantarum , cap. 16. dixit Aconitum , olim ita componi , ut certis occidere possit temporibus , videlicet bimestri , trimestri , semestri spatio , anno quoque , interdum etiam biennio completo.

Pro validatione hujus opinionis , plures historias passim referunt Autores , quibus fides adhibenda est , si hanc opinionem experimentis validare conemur : & quidem inter plures , quas narrare possem , adducitur communiter inter Autores historia illa quam refert Jovius parte 1. historiarum , lib. 2. ubi mentionem facit de veneno illo , quo Cæsar Borgia universum Collegium Cardinalium interficere tentavit , peculiari pulvere arte confecto , qui exitiali mora & per longum tempus , & citra vehementiam homines depascebatur ; & inter vetera exempla primum locum habet illud Claudi , quem Agripina , lento veneno interficere determinabat ; ita refert Paulus Zachias , lib. 2. quæst. Medic. Legal. titulo 2. quæst. 10. Liceat ergo colligere ex dictis , & aliis pluribus historiis , quas libenter omitto , ne fastidiosus appaream , dari venena temporanea , quæ vel naturâ talia sunt , ut nonnisi tardè occidunt , ut de veneno canis rabidi dictum est *suprà* , vel artis ministerio , vel assumentis dispositione talia evadunt , ut nonnisi longo temporis spatio interficiant ; ita etiam sentit Avicenna fen 6. lib. 4. tr. 1. cap. 2. quem sequitur Forestus lib. 30. obseruat. 8. in scholio ; & Vallesius noster 3. epidem. cum Galeno comment. 3. text. 75. clarius tamen Vallesius id testatur 1. epidem sçt. 3. agroto 9. qui vocabatur Crito , secundo die mortuus , ob venenatam succorum qualitatem , in cuius textûs , & ægroti expositione , in calce concludit Vallesius sic. *Hic certè homo à multis putans ut venenum accepisse ; tamen scimus , solere multos venenum intra se , ex pravo vitio generare , & repente mori , non aliter ac qui accepit ; summè verò in Crito , jam aperta fuit veneni significatio , cùm facta majore pedis tumore pustula cum contentione , hoc est , ampulla quædam bullis distentis similes eruperunt ; signa quidem ita lethalia , & venenosa , ut vix unquam ullus servari contingat , ex his , qui acutè febricitantur exanthematibus nigris : unde probabiliter ex adducta doctrina infertur , non solum venenum intra nostrum corpus generari posse , sed quod ipsum paulatim genitum ex succis pravis ad tempus interficere possit veluti repente.*

Sit nostra conclusio , dubium non esse inter venena , alia citius , alia tardius operari , ut latè Galenus docet lib. de Theriaca ad Pisonem , cap. 8. ubi varia venena proponit , alia quidem celerem mortem inducentia , alia tardiorum , quod quidem est proprium agentium naturalium , quæ omnia tempus requirunt ad perficiendas suas actiones , majus , aut minus pro efficacia agentis comparata cum resistentia passi ; quâ ratione inter elementa ignis breviori tempore agit , quâ cetera. De hoc igitur tempore minimè procedit

disputatio præsens , ut *suprà* præmonuimus. Solum ergo litigium est de veneno ad tempus , excedens tempus requisitorum , quod ad agendum regulariter requiritur , ita ut possit vel à natura , vel ab arte parari venenum , cuius actio ita retardari possit per plurimos dies , menses , aut annos : Igitur in hoc sensu rigoroso , admisso dubio , probabilius credam non posse dari venenum , quod neque determinato die , neque horâ mathematicè loquendo , cum parva dicti temporis differentia , possit interficere post plurimos dies , aut menses : neque dari insuper venenum , quod post plurimos dies , menses , aut annos , citra determinatum diem , aut horam. Conclusio duas habet partes , & quidem quantum ad primam de die , aut hora determinata , tanquam certum iudico id esse impossibile , imò & chymæticum , & fabulosum ; quod de arte compositis venenis intelligendum est , quandoquidem à natura talia venena , quæ hora determinata , post longum tempus assumptionis interficiant , impossibile est , quod à nobis agnoscî possint. Suadetur conclusio : nam quantumvis Medicus sit peritissimus , & exercitatissimus , & exquisitissime agnoscat assumentis naturam , ætatem , temperamentum , & corporis constitutionem , & in Astrologia habeat consummatam peritiam ; minimè potest callere , & perfectè , ac exquisitè mensurare actionem agentis , & proportionem ipsius cum passo , juxta ejus resistentiam , sive activam , sive passivam , ut horam certam , & determinatam prævideat , quâ finiatur actio victoriosa inter agens & passum , ita ut certa conjectura assequatur assumentem venenum determinatâ horâ peritum , quandoquidem plura sunt mixta intensè activa , & plura , quæ magis , aut minus resistunt , ut experientia nobis manifestat : ergo cùm hæc omnia incerta sint , & solâ conjecturâ ab Arte nostra percipiuntur , cùm ea valde conjecturalis sit juxta Hippocratis decretum , rationalitatem infertur , non posse præparari venena , quæ certâ , & determinatâ horâ interficiant ; ita ut intra sex menses , ( exempli gratia ) accidant , quidquid dicat Cardanus , lib. 2. contra Medic. tractat. 5. contradic. 9. & lib. 1. de Venenis , capit. 25. quippè id nulla ratione persuadet , neque ex historiis quas adducit lib. 3. de venenis , cap. 2. aliquid contra nostram conclusionem lucrari potest , sicut neque ex his quas Iurisconsulti adducunt , & maleficiis , quos præmanibus habent. Ex quorum confessionibus testantur venena ita temperari posse , ut secundum benefici voluntatem determinato die occidunt , hoc enim nulla ratione probant , & ratio à nobis adducta contrarium suadet : quare historiis , quas referunt prædicti Autores , fides adhibenda non est.

Altera pars conclusionis , nempè , non posse arte præparari venena cujus operatio lateat per spatiū mensium , & annorum , & quod per tale tempus possit retardari , & impediri actio naturalium agentium , firmiter , & acerrimè semper negabo ; et si Cardanus , & cum ipso plures Autores non infimæ notæ quos sequitur Paulus Zachias loco *suprà* citato contrarium defendant . Suadetur assumptum à simili , nam inter mixta potentissimæ virtutis si applicentur passo intra suam sphæratm contento , nullum est , cujus actio possit retardari per artem usque ad plures menses , neque annos ; sed venenum præcipue quod

toto genere deleterium est , potentioris virtutis est , quām aliud quodlibet mixtum , sive calidum , sive frigidum: ergo si horum actio tanto tempore per artem retardari non potest , neque actio veneni poterit retardari. Antecedens constat experientia : quippè neque actio ignis , neque alterius cuiuslibet mixti , sive calidi , sive frigidi , potest retardari per sex menses , aut per annum ; eò ipso quòd applicetur passo capaci alterationis , quantumvis resistat activa resistentia , aut passiva ; quippè actio victoriosa spatio unius horæ , aut duarum horarum debet celebrari , aut unius diei: si ergo devoretur venenum toto genere præter naturam , seu deleterium , de quo est major difficultas , eò ipso quod sit applicatum viventi , necessariò debet operari ; & licet vivens sua tempeste resistat activè , aut passivè ; tamen per resistentiam tanto tempore minimè poterit retardari actio veneni , ut post sex menses , aut annum impediatur , quippè aut est venenum qualitate deleterium , aut toto genere ; si primum , necesse est intra corpus detentum , quod in nutrimentum vertatur , ità Gal. 3. de simplic. medic. facult. cap. 18. ubi docet , sturnum nutriti cicutā , quæ hominem interficit : quia in sturno ob angustiam viarum detinetur ; & moratur nimis , & sic veritur in propriam substantiam , secùs in hotnre accidere compertum est : ergo arte retardari actionem talis veneni , ità ut per menses , & annos impediatur ejus actio , est impossibile.

Si autem venenum sit toto genere deleterium , neque ejus actio poterit retardari , quia necesse est à nostro calore liquari , & fieri separationem partium quæ necessariò debent operari juxta suam activitatem ; unde venenosæ partes illicò debent agere , & lædere , ita Galenus 5. de simplic. med. facult. cap. 19. & per consequens actio venefica tanto tempore retardari , & impediri , est impossibile , ità in philonio experimur , quòd licet plura ingredientia calida in ipso sint , à quibus actio ipsius soporifera imminui possit , tamen opium citissime operatur , si interiùs sumatur , somnum conciliando , si exteriùs applicetur , dolorem sedando : ergo ità similiter quantumvis venenum toto genere , pluribus ingredientibus corrigatur , tamen ejus actio per longissimum tempus retardari non poterit , cùm separantur per liquationem à nostro calore omnes partes , quæ necessariò debent operari , & lædere sua venenositate , quin interponatur tempus longissimum ad inducenda accidentia mortifera ; aut si hæc non inferant , à natura propulsantur tanquam omnino aliena , & extranea ; ità Galenus 3. de simplic. medic. facult. cap. 23. per sequentia verba. Feréque accedit , ut dñas ob causas istas , quandoque medicamenta putredine , & erosione necantia non interficiant , nempe tum una cum excrementis excernuntur , priusquam injuria corporis afficiant. Vel ergo illicò lædent venena , vel à natura simul cum excrementis excernuntur , ut exemplo Cantharidis Galenus id demonstrat , sæpè non nocere , quia citò expelluntur extra corpus: ergo quantumvis resistat venenum toto genere deleterium , & alexipharmacis sit permixtum , quæ retardare possint ejus violentiam , & mortiferam vim , si citò extra corpus non propulsetur , necesse est , illicò accidentia saevissima , & lethalia inducere , quin per longum tempus suprà assignatum , virtus venefica , & ejus actio retardari possit.

Suadetur amplius assumptum : nam eo ipso , quod est intra corpus venenum toto genere deleterium , quantumvis permixtum cum ingredientibus retardantibus ipsius actionem , seu alexipharmacis , necesse est , ut sit actio , & reactio reciproca inter ipsum , & nostram naturam , si activa resistentia intendat debellare veneficam actionem. Quo supposito tanquam certo in bona Philosophia , sic premo discursum : nam aut vincitur venenum , & actio victoriosa stat pro venti ; & tunc jam non est venenum , nec potest interficere , nec per longum tempus , nec celeriter , ut per se constat ; si autem venenum vincat , ejus actio pestifera , & deleteria , illicò se debet manifestare , & ante tempus longum assignatum ; præcipue cum hæc virtus debeat constare per actionem veneni virtutem contrarij imminentis. De passiva resistentia clarius constat minimè sufficere , ut penitus actionem & violentiam veneni suspendat ; quippè existente in corpore , & in suo robore , necessariò debet operari , cùm sit agens naturale , applicatum passo , ac per consequens deducitur , nullomodo posse dari temporis longissimum intervallum , seu retardatio inter actionem veneni , & naturalem , seu destructivum , & mortiferum effectum.

Nec valer si respondreas posse retardari actionem veneni violentam , & mortiferam , defecta applicationis ad partem principem ; non alia ratione , quām in mortu canis rabidi accedit retardatio per plures menses , ut latè Galenus scribit 6. de loc. affect. cap. 5. nam licet tale venenum intra corpus lateat , aliquid paulatim agendo ; symptoma autem morale non inducit , usque dum altius penetrat , & principes partes ostendit , sive cor , sive cerebrum. Contrà enim instatur adducta solutio : nam venenum , aut est in prima regione , aut in secunda ; sed in qualibet sit , est intra sphæram activitatis suæ , ut possit offendere cor , aut cerebrum suo tetro , & maligno vapore communicato , ob communionem quam habent prima , & secunda regio , cum cerebro , & corde : ergo eo ipso , quod venenum est intra nostrum corpus , in nulla parte potest esse reconditum , quæ impedit applicationem cum partibus principibus , saltem immedietione virtutis : aut forsitan si nimio tempore moratur in qualibet regione , simul cum excrementis à natura detruditur , ac per consequens longo tempore suprà præscripto , neutiquam poterit in nostro corpore detineri , retardata aut impedita suâ naturali , aut veneficâ actione.

Neque exemplum adductum de cane rabido , seu ejus mortu , aut spuma aliquid probat contra adductam conclusionem ; quandoquidem licet certum sit , quod spuma canis rabidi non interficiat illicò , ac celeriter , postquam inditur à cane ; non est ob defectum applicationis , seu traductionis celeris ad partem principem ; sed quia veneni naturam consummatam , usque ad tale tempus non consequitur , qua paulatim adquisita , postquam ad ultimum terminum accedit , subito interficit. Audite Galenum in historia phrenetici , 3. epidem. sect. 3. agroto 4. ubi causam hujus suspensionis veneni insinuat ; perpendite verba præcipua pro nostro intento textus citati. Longo enim tempore , causa , quæ rabiem excitat , angeratur , quæ ubi eò tandem pervenerit , mortem afferit repentinam , & pro humor pravo illo , humorque ille evaserat malignissimus , lethale repente apparuit

*Symptoma.* Unde aperte infertur, suspensionem spumæ canis rabidi in sua operatione, sicut & pravi humoris intra corpus geniti, potius se tenere ob defectum potentiae, & virtutis illius naturæ, seu substantiae, quæ est in via ad acquirendam veneni consummati naturam, quam temporis progressu intra corpus consequitur, quam defectu applicationis ad partem principem; ac per consequens rationabile non videtur, posse consummatam substantiam venenosam, per longissimum tempus suprà assignatum detineri intra nostrum corpus, ejus operatione ferocissimâ & violentâ retardata, aut impedita. Causa igitur venenosa longo tempore generatur, & paulatim adquirit veneficam vim, accidentia autem mortifera repente generantur.

Neque omittam Vallesij nostri verba in expositione historiæ phrenetici 3. epidem. cit. sest. 3. ea perpendite: *Itaque ego Galeno concesserim posse intra nostra corpora gigni venena, quia horrendi quidam casus id indicant, atque adeò posse paulatim genitum aliquando noxam repentinam inferre, aut repentinum impetum capiens in partes principes, aut (quod verius puto) venenatam qualitatem repentina alteratione contrahens, ad quam ante longo tempore tanum disponeretur, velut ligna multo tempore siccantur, & repente inflammantur.* Quibus ultimis verbis presentem difficultatem clarissime absolvit: ut constet hac ratione canis rabidi spumam repente interficere, licet pluribus mensibus lateat, alteratione disponente ad acquisitionem perfectam veneni, quæ postea repentinam noxam inferat, ut exemplo lignorum clarissime comprobatur.

Confirmat totam hanc doctrinam exemplum adductum à Galeno 6. de loc. affect. cap. 5. de phalangio, & scorpione, quorum ictus, aut morsus quia ex propria natura venenositatem consummatam continet, subito, aut celeriter interficit: si ergo spuma rabidi canis ex se consummatam habet venenositatem, subito etiam, & repente interficere debebat, & non per spatium plurium mensium, delata vaporosâ substanciali, & ejus aurâ malignâ ad cor, aut cerebrum, quemadmodum id facit ictus phalangij, & scorpionis, signum profecto testificans, spumam canis, solùm habere dispositionem vialem ad venenum, quod alteratione continuâ consequitur: solùm ergo remanet in corporibus à cane rabido morsis, fomes, aut fermentum, sive sigillatio, aut distempries habitualis, ratione cuius pravam, & venenosam latenter adquirat naturam humor pravus fermentatus; ideoque repente interficit, eo ipso quod perfectam venenositatem adquirit.

Si respondeas per morsum canis rabidi, spumam canis conservari in tertia regione corporis, seu in porositibus, in quibus morsus appetet: contra instar solutio: nam spumæ portio parvissima censetur, & calidissima est, & valde subtilis: ergo debet pelli extra corpus in halitum conversa à calore nostro attenuante, simul cum excrementis in tertia regione stabulantibus. Si autem quis judicet posse spumam detineri in porositibus per sex menses, difficile appetet, cum calor sua vi, valeat consumere carnem, pinguedinem, & materias excrementarias: eodem ergo jure valebit dissolvere spumam medio morsu canis rabidi inductam: aut si hæc ratio non convincit, vel potest retrocedere ad vasa, & ibi interficere humores, usque ad cor, aut secus; si pri-

mum fatearis, celeriter id facere debet, quemadmodum ictus scorpionis; si secundum concedas, ibi stabulabitur, citra alterationem aliquam humoribus participatam, & tandem propulsabitur à natura tanquam excrementitia, aut attenuata evaporabitur per insensilem transpirationem, ac proinde in quacumque regione depositetur à natura, spuma canis rabidi, si perfectam, & consummatam habeat deleteriam facultatem, illico, sive celeriter debet interficere; si autem vialem solùm habeat dispositionem ad venenosam naturam acquirendam; etiam celeriter debet interficere, eo ipso quod consummatam habeat mortiferam & venenatam vim: ergo ex omni parte ruit solutio.

Ex dictis deducitur difficile, imò, & impossibile esse, illam parvam spumæ portionem relietam ex morsu canis conservari per plures menses in porositibus; quare credendum est, semel introducta in corpore, humores alterare sua qualitate occultâ, malignâ, & veneficâ, ita ut si in cane, spuma illa in eam fuisset alterationem deducta, ut jam totam veneni magnitudinem fuisset consecuta, subito sive celerrimè effectus rabientis in homine experiremur, humoribus corruptis, & venenatis, & ipsum cerebrum, in praesentia spumæ. Cæterum, si talis spuma penitus venenata non sit, sed in via, & dispositione ad consequendam perfectam veneni naturam, temporis progressu erit venenosa, & effectus ipsius erunt instar rabientium canum, & subito, seu celeriter interficiet: Et cum hac doctrina consonant illa verba Galeni suprà citata, primo prorrh. comment. 2. text. 17. Non est igitur absurdum ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est & rabientium canum:

Pullulat scrupulus ex dictis: etenim si qualitas illa, aut spuma est violenta, quâ ratione poterit conservari per plures menses, quandoquidem sine conservante aliquo id videtur difficile. Doctor Valentinus suprà citatus censet, qualitatem pravam, & veneficam solùm communicari à cane rabido corpori nostro, & hanc per menses durare, usque dum in humoribus adquiratur ea magnitudo venefica, quæ celerem inducat mortem, simûlque docet esse plures qualitates quæ per plures menses perseverare possunt; ut suadet virtus magnetica, quæ fert communicatur, per plures menses, & plures historiæ, quas adducit Zactus lib. 6. hist. Principum Med. historia 12. & lib. 3. Prax. admirand. observ. 86. & 87. quas ob prolixitatem non refero. Ex his vero tantum deducitur, illam qualitatem conservari per plures menses, quod minimè nego: modo suprà explicato de veneno viali, usque dum perveniat ad perfectam magnitudinem veneni. Difficultatem tamen minimè solvit: quippe reddere teneatur rationem cur illa qualitas violenta subiecto diu, & per menses durat sine conservante, quandoquidem ille planè fatetur spumam canis rabidi non perseverare, sed potius exiccati prorsus, & resolvi: ergo difficultas manet in suo vigore, & minimè verbum adducit, neque modum quo conservatur illa qualitas, ostendit; insinuat nondum, & indissolutum relinquit.

Quare circa propositam difficultatem illud verisimilius esse censeo, communicari mediâ spumâ, aut contagio canis rabidi vaporem pravum, & malignum, qui paulatim depascit humores, eos paulatim disponendo per malignam, & venenatam


nenatam putredinem, usque dum adquirant illam veneficam magnitudinem, quæ communica ta cerebro, rabiem illam venenosam, & cele rem mortem inducant; cùmque ille vapor à pro pria forma contineat illam pravam naturam, non indiget conservante, sed novâ depascente putredine, & speciali corruptione in humoribus, ibi per plures menses stabulatur, & ultimatur, & quasi in facto redditur, sine alio conservante; quemadmodum calor febrilis conservatur per putredinem, sine alio extrinseco agente conser vante; & diù durat, usque dum fomes, seu fermentatio putredinalis, & veneneta non deletur ab humoribus; eo modo, quo inlue venerea accidit, reversio accidentium, dum sigillatio illa omnino non extinguitur. Et simili modo accidit, in causa communi, & frequenter adducta ab Autoribus de variolis, & morbillis: nam sàpè per plures annos latet in corpore sigillum illud relictum ex sanguine menstruo in tota massa sanguinaria, usque dum ratione alicujus plenitudinis, aut pravae dispositionis in humoribus, aut per aliquam constipationem stimulatur natu ra, ut reliquias illas pravas detrudat ad ambitum corporis: Ergo sic accidere in mortu canis rabidi mediâ spumâ, aut contagio credendum est, per vaporem venenatum communicatum humorib us, ratione cuius paulatim serpat putredo, & corruptio peculiaris in ipsis, & cerebro, usque dum comparet eam magnitudinem, quæ in cane rabiente reperitur, quando celerem, & crudelissimam mortem infert; quin sit necessarium agens aliud extrinsecum conservans illam pravam dis positionem; cùm certum sit per putredinem illam conservari, & vaporosam illam substantiam à propria forma dispositionem illam venenatam conservare.

Hinc jam onerosum non erit solvere argu menta, quæ partem contrariam videntur probare. Et quidem si dictis stemus, Galeni autorita tes *suprà* adductæ pro contraria parte nihil probant, & nullius sunt roboris; nam toto tempore, quo latet in corpore illud, quod dicitur ve nenum per dispositionem vialem, minimè est ve nenum perfectum, sed paulatim fit tale, & magnitudine consecuta celeriter interficit, ea ratio ne, quâ de cane rabido & ejus mortu, *suprà* di lectum est, eo modo, quo de veneno lethali epoto accidere mortem intra tertium diem, aut antea prædicant Autores.

Neque argumentum adductum ex Amato Lufitano de relatione Indorum & Turcarum vim aliquam habet; nam ( si verum est, quod adducit ) credam fideliter, id ex pacto Dæmonis fieri, impediendo actionem beneficam, & diram usque ad illud longissimum temporis spatum, & horam determinatam; id enim applicando activa passivas fit per virtutem naturalem; talis autem applicatio ex vi alicujus pauci fit, aliter enim impossibile videtur, ut probat ratio nostra philosophica *suprà* adducta. Nec ratio à simili desumpta de medicinis purgantibus alicujus roboris est; nam licet alia citius, alia tardius operentur, sive majoris, aut minoris dosis, sive per præparationem, & mixtionem ingredientium, quæ retardant, aut accelerent eorum virtutem, numquam tamen id fieri potest, quod bimestri, aut trimestri, aut longiori tempore id accidat; sed solum per spatium duodecim horarum paulò magis, minùsve, possunt intra corpus immorari,

impedita, aut retardata actione; aliter enim transmutantur, aut expelluntur; quod etiam in venenis accidere posse libenter fatemur, non tamen per spatium duorum, aut trium mensium, neque hora fixa, & determinata.

Insuper historiæ, quas adducit Iovius de Cæ sare Borgia & Agripina, nihil probant; nam aut ex pacto Dæmonis id fieri censemus, aut propinato medicamento disposito, ut intra nostrum corpus paulatim adquirat mediâ putredine veneni perfectam magnitudinem. Et quidem quantum ad horam determinatam post longum tempus, id fieri virtute Dæmonis fideliter credam: quandoquidem ratio nostra in contrarium ad dueta clamat. Et tandem id certum est apud Avicenn. Forestum & Vallesium in *historia primi epidem. scđt. 3. agrot. 9.* qui vocabatur Crito: nam ibi paulatim generari venenum in corpore docet, quod tandem celeriter interficit, quando ad perfectam venenositatem accedit: Quod clatius Vallesius noster manifestavit *3. epid. scđt. 3.* in *historia phrenetici*, cujus verba *suprà* sunt relata pro comprobatione nostræ conclusionis, quæ certe totam difficultatem clarissimè ab solvunt.



## C A P U T V.

*De signis Venenorum, & an dentur aliqua, quæ sint propria Veneni assumpti.*

**A** De ð sunt plura signa notificantia ve nenum assumptum, ut si simul omnia semper concurrerent, & nonnullis conditionibus, & conjecturis non destituerentur, possent facilè, ac certam notitiam veneni assumpti notas afferre, quia verò frequenter accidit, ut neque omnia simul jungantur, neque conditionibus, & conjecturis prædictis associata existant; indè fit, ut minus facilis, & certa, talis cognitio evadat, sed potius omnino conjecturalis, licet de peculiaribus venenis assumptis, aliquantulum certior possit esse cognitio, ut *infra latius* constabit.

Ex signis igitur testificantibus venenum assumptum in generali, quædam considerantur ante mortem agrotantis, post assumptionem veneni, quædam verò post mortem ( relictis aliis ante assumptionem veneni & in ipso actu devoracionis, quia valdè fallacia, & inutilia sunt pro nostro Tractatu ) igitur hæc omnia signa veneni assumpti in generali ab effectu potius desumuntur, quæm à priori, sive venena sint à tota substantia talia, sive à manifestis qualitatibus, quia hæc prius debent à nostro calore actuari, & in actum reduci, antea quæm effectus lethales, & sœva symptomata in nobis producent.

Signa veneni assumpti ante mortem descripsit Petrus Aponensis *lib. suo de Venenis*, clarius quæm alij Autores; inducit enim venenum assumptum illico, & celeriter, modò palpitationes, modò syncopem, & cordis debilitatem, & virium sumnum languorem, & jastram, præcipue vitalium, & anxietates, necnon etiam jastraciones varias; item etiam nonnullis accidunt do lores maligni in ventriculo, & intestinis, & in regione

regione cordis ; & maligni nominantur , quia cum virium languore , & extremorum livore eveniunt. Insuper etiam alia signa veneni assumpti depingit Cardanus lib. 2. de Venenis cap. 2. ex contradictione symptomatum, ut si accidit sudor frigidus, cum interno ardore, semper est signum veneni assumpti, præsertim si adsit dolor vehementis in intestinis , & etiam dum conjunguntur accidentia diversa, ut dysenteria cum spirandi difficultate , aut vomitus cum unguium livo re. Ulterius etiam , qui venenum devorarunt, interdum vertiginosi fiunt, vocem edunt cum murmure, & oculos movent, his frigidus accidit sudor circa frontem , & tempora erumpens, interdum rejectio sanguinis tetri , singultus, tremor, impedimentum urinæ , maculae variae, seu papularum apparitio , & mordatio ventriculi. De quibus signis Galenus lib. de succor. bonit. & evitio sermonem facit , & de doloribus malignis suprà dictis, qui sæpenerè apparent in crudibus, nullo tumore, neque alteratione in cute existente, cum virium languore conjunctis; agit Hippocrates 6. epid. part. 6. sententia 5. ita ut spatio viginti quatuor horarum sæpè in gangrenam incidat membrum ex vi venenositatis, & mortificationis spirituum vitalium à veneno imbibito.

Galen .etiam 6. de loc. aff. cap. 5. depinxit signa, quæ potius corpori defuncto, quod venenum devoravit accidentunt, in quo facies livescit, lingua & labia nigricant; item extrema corporis, præsertim unguis plumbico colore livescunt; quæ omnia etiam corpore existente vivo accidere solent.

Porrò inter venena, quæ à qualitate occulta, seu à tota substantia operantur, quædam desumuntur ex animalibus venenosis, quæ aut mortu , aculeo, aut sputo, seu salivâ interficiunt, quorum signorum meminit Galenus lib. de succor. bon. & vit. cap. 1. per sequentia verba. Neque vero illud non apertissimè videmus, ut negare nemo audiat, animalium venenum ejaculantium, succos, quos in mortu reponunt, alias demorsam partem celeriter mortificare, alias putrefacere, aut phlegmonem, aut dolores vehementissimos cire, veluti, & scorpionum, si quis in eum bis, tèrve jejunus conspnat, statim perire. Ex his signa patent veneni ab animali injecti intra nostrum corpus, videlicet partis vulnerata , gangrena, seu mortificatio, item illius putrefactio, & inflammatio, & dolor; quæ omnia latè adducuntur à Mercuriali lib. de Venen. cap. 16. ubi ultimum signum adducit, quod ex ultimis verbis citati text. deducitur, nempe subitus interitus à mortu , aculeo, aut sputo. Denique aliud signum narrat Galenus 6. de loc. aff. cap. 5. exemplo scorpionis, & phalangij, nullo apparente foramine in ipsius aculeo, ubi totum corpus immutari tenet, ut quasi grandine percuti videatur animal, animi defectione correpto: si ergo hoc in istu scorpionis evenit, eadem ratione aculei serpentum, contactus cum corpore viperæ, aut bufonis, aut alterius animalis venenosí, venenum corpori communicantis subitam causare mutationem in ipso corpore, & accidentia venenata suprà dicta inducere.

Alia insuper sunt venena à tota substantia operantia, quæ putrefactia nominantur, in quibus simul manifesta qualitas præpollet, & ab aliquibus septica nominantur, quibus commune est carnem liqueare, & putredinem inducere;

undè carnis fusio , & foetor erit signum horum venenorū. Audite circa hæc Galenum 5. de simp. medic. facult. cap. 15. Et ignis instar, corpus colligant. Et infra prosequitur sic. Caterum non quidquid corrumpitur putrefacere dicimus, sed quibus id cum febre accidit, verum novisse expedīt, ea medicamenta, quæ septa, & septica nuncupantur, ut sunt auripigmentum, & aconitum, omnia tum eliquare, tum colliquare, ac potissimum carnem tenellam, idque absque dolore. Ex his patet quod foetor, & colliquatio sunt signa veneni putrefacientis, quod septicum vocant.

Ulterius, alia sunt venena, quæ non putrefaciendo, sed erodendo & calcando, carnes liquant, & urentia nominantur; cujus generis sunt arsenicum, sandaracha, chrysocolla, & aconitum, quæ omnia membra erodunt, ad differentiam aliorum, quæ peculiaria membra respiciunt per suam antipathiam, & ipsa erodunt, ut cantharides vesicam ulcerant, lepus marinus pulmones; quorum signa sunt, quod omnia interna membra celeriter inflammant, sitim etiam ingentissimam inducunt, necnon etiam tormina in intestinis, & sanguinis dejectionem; item intolerabilem dolorem ventriculi, anxieties etiam in toto corpore, & rubedines in facie.

Item alia sunt venena à plantis, vel mineralibus, quæ à tota etiam substantia operantur, eo tunc non præpollente aliquā manifesta qualitate, quia subito vires labuntur, palpitaciones adveniunt, & signa extinctionis caloris nativi, & livor in extremitatibus, in oculorum cavitate, & in labiis: si ex genere strangulantium sint venena, quæ secundis qualitatibus naturæ opponantur, ut crassitie, & lentore, sic gypsum, cerusa, & sanguis taurinus suffocationem inducunt, & fauces valde exiccant, postea singultus supervenit, necnon etiam nausea continua ægrotantes miseri vexantur.

Porrò venena, quæ manifesta qualitate dicuntur talia, sunt frigidissima, & soporifera, ut opium, cicta, & mandragora, & alia similia, quæ omnia somnum profundissimum inducunt, & stuporem in membris, & impotentiam movendi, præcipue crura, & quidem hoc est principalissimum signum demonstrans frigidum esse venenū; accedit etiā in his totius corporis refrigeratio insignis, & indè caloris nativi extinctio, & lividus calor; nonnunquam etiam frigida venena dementiam inducunt, ut altercum, & solanum manicum, ita Gal. 8. de simpl. medic. facult. cap. de Alterco. Cùm autem calida sunt venena, & aliam facultatem continent venenosam, ut crocus, myrrha, styrax, & coriandrum, cognoscuntur ex dementia, quam insinuat Gal. 5. de simpl. med. facult. cap. 19. ita ut crocus dementiam cum risu causet; altercum autem ita dementare solet, ut cogat ægrotantes, quamplures edere motus, tum corpore toto, tum oculis, ore & manibus, non secūs ac si stulti facti essent, vel temulenti. Tandem si venena sint sicca, ut calx, cognoscuntur ex siccitate oris, & ingentissima, & clamosa siti, ita Galenus 1. de simpl. med. fac. cap. 7. exemplo serpentis id declarat; item alvum adstrictam reddunt haec venena, & vigiliam caufant, & urinæ difficultatem, & ariditatem, seu tabem in toto corpore.

His præhabitibus, cùm ex superioribus capitibus constet, posse in humano corpore, non modò rem veneno similem generari, sed & verum, & legitimum

legitimum venenum, sequitur non dubie, quod tam ex veneno intus genito, quam ex veneno de foris administrato, eadem omnino symptomata, & saevissima accidentia apparere possint: Hinc inexpliquabilis, ac maximis difficultatibus plena lis inter Autores pullulat, an scilicet discerni possit per aliqua signa certa & infallibilia, inter eum, qui à veneno ingenito, & eum, qui ab administrato sublatuſ est; hoc est an dentur certa signa veneni assumpti, ita ut firmiter, & absque calumnia possit Medicus affirmare certò, Socratem, exempli gratia, periisse ex veneno assumpto; hoc enim sèpè præ manibus habent Medici, & sèpè sunt vocati, ut antè Iudices veritatem pronuntient.

Fundamentum præsentis controversiæ inveniatur in Gal. 6. de loc. aff. cap. 5. verba perpendite. Reliquum est, ut investigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit adeò vehemens, ut veneni tum qualitates, tum vires aquet? an id jam Medicis enodatum, discussumque esse videatur, qui hanc solent proponere questionem, utrum propria sint nota veneni, nec ne? nam qui maximè videntur super hanc ambiguitatem disputare, y eosdem fieri effectus concedunt, & à lethali veneni potione, & a corruptione, que à corpore ortu habet: Verum facile discerni posse eos, qui venenum sumpserunt, ab ijs, qui aliunde affecti sunt. Cum enim homo siapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus drepente moritur, ex lethali assumpto veneno fieri solet. Deinde corpus, aut livens, aut nigricans, aut varium est, aut disflens, aut putredinē molestā olet, huc venenum sumpsiſſe alii. Hucusq; Gal. Quæ verba si matutè perpeditur, videtur significare, posse esse certa signa veneni propinati; etenim etiā à veneno intra corpus genito, similia symptomata accidere possint, neutquam tamen cum circumstantiis à Gal. adductis; nam si hæc signa appareant in corpore bene valente, & bene educato, atque nutrito, & probis humoribus ornato, & talis drepente moriatur cum suprà dictis accidentibus, rationabiliter credendum est venenum assumptum. Et licet Gal. de aliorum sententia videatur loqui: saltem est certum peritos Medicos id disputasse, & certitudinem veneni assumpti indagasse per suprà dicta accidentia. Præterquam quod si Gal. fatetur venenum intra nostrum corpus generari in predicto texu, quæ eadem omnino, & similia causit symptomata, & facile esse discernere eos, qui venenum sumpserunt, ab aliis in quibus in corpore est genitū: videtur manifestè saltem Gal. non reprehare hujusmodi placitū, sed tacitè ipsū fateri.

Ratione etiam suadetur assumptum; nam in homine bene valente, & probis humoribus abundante, ac sanorum more educato, & nutrito, neutquam possunt generari, nec lente, nec celetiter humores venenati: ergo si sano homini ita descripto accidat repentina mors, ut in his, qui lethale venenum sumpserunt, & inde corpus aut livens, aut nigricans reddatur, & grave oleat per putredinem molestam, & pravam corruptionem, meritò debemus inferre, hujusmodi hominem à propinato veneno certo perisse; quandoquidem rationi erat consonū, quod homo, qui pravis humoribus abundant, nec si omnino sanus, neq; bene nutritatur, sed potius, quod valetudinarius appearat, per sigillum putredinis malignæ, aut venenaræ, quod licet intus lateat, tamen aliquod vestigium in ipso, illius prava dispositionis debet relucere. Itaq; licet homo, in ultimo bonitatis constituto repente possit mori, à nimia plenitudine suffocatus; tamè postea

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

in ipso, neque fœtor, neque lividus color, aut niger apparet, neque cum illis anxietatibus perit, quales in his, qui venenum assumpserunt experitū: ergo ex dictis constare arbitror, certa esse signa veneni assumpti, attentis omnibus circumstantiis suprà addūctis.

Si Respondeas posse intra corpus latitare mortificā causā, seu vialem dispositionem ad veneni generationē, ut in mortis à cane rabido docet Gal. & experientia manifestat per plures menses latitare venenum illud relicturn ab spuma, seu morsu canis, etiā tale corpus inore sanoruſ sit educateus, & probis humoribus constet, ita ut in ipso quoad sensum Medici nulla appareat actionum, nec functionum naturalium laſio, & ſq; talis prava disposition ad terminum legitimum accedat perfecti veneni, lenta, & maligna putredine serpente; in quo caſu quoad ſēlītū Medici bene valens erat homo, & tamē repente moritur cum anxietate, & pravis accidentibus ex veneno intra corpus genito: ergo etiā accidat mors, qualis depingitur à Gal. in homine bene valente, & sano, nō indè certè inferre possumus talē hominē ab alſupto veneno perire.

Hæc tamen ſolutio instari potest: nam hujusmodi venenū, quod latet in corpore, paulatim augetur mediā putredine humorū à calore præternaturali: ſed ex vi putredinis: etiā lēta ſit, neutiquā potest perseverare in homine sanitas descripta à Gal. quæ abſolutè dicatur talis: quin imò debet appetere aliquod ſignum in tali homine testificā malam, ſeu neutrām dispositionem, non aliter quā in illis, qui ex aliquo morbo cōvalescūt, non quidem perfectè, ſed cum aliquo ſigno, aut ſuspicio ne aliqua recidivæ, videmus, aut intemperiem, aut ſitim derelictam, demonſtrare, illud corpus non esse perfectè ſanum, etiā actū in ipſo nulla appareat actionum laſio digna conſideratione Medici: ſic ergo in caſu adducto debemus credere tale corpus in quo dispositio venenosa latitat, non esse ſanum eo modo, quo loquitur Gal. undè ſi accidat & pétina mors cum suprà dictis accidentibus in corpore ſano, & bene educato, & nutrito, rationabilitet possumus inferre per venenum assumptum id fieri, & minimè ab ingenito veneno, ſeu creato intra nostrum corpus.

Accidunt alia signa venenati assumpti, quæ ſi cum adductis à Gal. conjungantur, certiore redunt cognitionem veneni assumpti. Nam ſi calida ſunt devorata venena, inflammationē cauſant; ſi erodentia, ulcera oris; ſi strangulantia, respiratio nis difficultatem. Si autem Cardano credamus lib. 2. de Venenis cap. 2. multò magis turbulenti motus accident in corpore ex assumpto veneno, quam ex ingenito; etenim ab illo improvise aggreditur homo, & omnia in ipſo confunduntur, & pervertuntur, natura totis vitibus inopinatum hostem à ſe depellere intendens. Ab ingenito autem veneno non ita accidit, cum magis familiare fit, utpote in corpore paulatim ingenito: ergo ſi hæc signa cum reliquis à Galeno adductis conſiderentur in corpore ſano, certò possumus pronuntiare, & teſtari; hujusmodi hominem à veneno assumpto perire. Inſuper ultra ea quæ suprà ſunt adducta, ut credere possumus non ſolum Galenum ex opinione Doctissimorum virorum loquutum fuſſe; ſed ipſum hujusmodi placito aſſentiri, perpendite, obſecro, ejus verba in lib. de succor. bonit. & vit. cap. 1. claſſe ſecunda, quibus reprehendere vide tur cujusdam Sectæ Medicos, qui putabant

L 1 non

non posse facile cognosci, imò nullomodo, eos, qui ex lethalis medicamenti assumptione, ab iis, qui ex morbo corporis affectu periclitantur: ergo si Galeno credamus, si peritus Medicus accedat, qualis ipse, non modò erit cognitu difficile, sed facile, eum, qui à veneno administrato sublatu est.

Cardanus etiam *suprà* citatus *2. de Venenis cap. 2.* non solum signa probabilia assumpti veneni fatetur, sed certa, & evidenter, qualia sunt, quæ narrat per sequentia verba. *Et sudor frigidus cum ardore semper est certum signum assumpti veneni, præscriptum si adsit dolor maximus in intestinis.* Et *infra* addit aliud signum omnibus potentius, de quo *suprà* egimus; nempè cùm conjungantur accidentia non conjungibilia, ut est dysenteria cum spirandi difficultate, vomitus cum livore ungulium, tumor linguae, cum urinæ urigine, quæ omnia veneno ingenito videntur adaptari non posse juxta ejus mentem.

Poterit etiam idem assumptum confirmari, si descendamus ad venena peculiaria, quæ propinatur sæpenumerò, à quibus, subsequuntur symptomata quædam peculiaria, quæ à veneno ingenito oriri minimè possunt: exempli gratiâ, propinato opio, accedit stupor mentis, & omnium sensuum, universalis corporis pruritus, & color citrino junctus, cum perceptione odoris ipsius opij ex corpore potionato expirantis. Item etiam ea, quæ proveniunt ex assumptione leporis marini, qualia sunt suffocatio, asthma, tussis, sanguinis sputum, abominatio in cibis, cujuslibet generis piscis, & terror in sola ejus visione, teter corporis odor, veluti putrefacti piscis, quæ omnia non videntur absque dubio, venenum intus in corpore genitum simul consequi posse: ergo si interdum eveniant, & aliis conditionibus jungantur, ut si subitò pullulent, certa, & infallibilia signa veneni assumpti, seu propinati esse possunt. Diligens ergo, & peritus Medicus facile cognoscere poterit an venenum sit propinatum, seu administratum, & minimè genitum in nostro corpore, si modum & celeritatem mortis perpendat, cū syndrome accidetiū adductorū.

Porrò in re ita operosa, & dubia mentem propriam aliquibus conclusionibus apertire claritatis gratiâ operæ pretium judicavi. Sit prima Conclusio: Quod si quis statim à potionе aliqua, accidentia habeat terribilia, & valde fœva, anxietates, scilicet, syncopem, aut animi deliquia, sudorem frigidum cum virium languore summo, cum oris inflammatione, & ulceribus in ipso, ingenti siti, & ardore, & celeriter moriatur cum dictis accidentibus, censemendum certò, & evidenter est, hujusmodi hominem ex assumpto veneno perire; et si fortasse, vel per vomitum, aut ratione antidoti applicati evaserit, eodem modo judicandum certò est, venenum lethale assumpsisse. Hoc sàpè accidit in vulgaribus hominibus, assumpto in jusculo arsenico in quibus illicò ingentissima sitis molestat, inflammatio in faucibus, anxietates in ventriculo, oris ulcera, virium defectus, livor, & celeris mors; in hoc enim casu, & similibus, adeò certum est, hominem assumpsisse venenum, ut nulla indigeat suasione; nec de hoc eventu procedit rigorosa lis, sed quando venenum artificialiter præparatur, ut in sapore nullum vestigium relinquat, neque in odore, ita ut in viectu ordinario, aut potu offeratur, & pro tunc venifica signa non apparet; sed retardata per tem-

pus suprà assignatum beneficâ actione, postea repentinam inferat mortem, cum accidentibus, & symptomatibus *suprà* enumeratis in contextu Gal. sicuti ab ingenito veneno induci posse, superius probavimus. In tali eventu, si ad discernendum simus vocati à Iudicibus, nullâ existente præsumptione de potionē assumpta ab ægrotante, tunc possint esse certa signa in ipso demonstrantia venenum devorasse, sive vivo homine existente, sive jam defuncto; hoc opus, hic labor.

Sit secunda Conclusio: In venenis frigidis, quæ à manifestâ qualitate venenare; & interficere dicuntur, aliqua sunt, quæ adeò peculiaria symptomata, inducunt, ut factâ copulatione, & conjugatione cum aliis accidentibus lethalibus, & circumstantiis probabilibus potionis assumptæ, & brevitatis temporis, in quo reluent dicta symptomata, certò possumus affirmare, ægrotantem assumpsisse tale venenum peculiare, & ab ipso perrire. Hujus generis est opium, ex cuius devoratione somnus profundus, & lethargus oritur, cum pruritus totius corporis, & caloris nativi extincione, necnon extremorum frigiditatem: Et quod peculiarius est in hoc veneno, cum odore ipsius opij, qui ex potionato corpore expirat: nonne merito dicemus, certò hominem ex propinato hoc peculiariter veneno perire? Mihi quidem ita discernendū videtur: nam et si venenum intra corpus genitum possit lethargum excitare, necnon etiam possit aliquod internum venenum prutitum generalē in corpore inducere, & hac ratione disjunctim dicta accidentia possint ab ingenito veneno causari: tamen simul, & semel hæc omnia symptomata à propinato veneno procedunt; neque odor opij poterit aliter exhalari: ergo si hæc omnia simul conjungantur, certò possumus pronuntiare, talem hominem venenum soporiferum assumpsisse, imò & speciale venenū, quale est opiu.

Idem accidere solet in veneno à lepore marino, et si à tota substantia tale venenum dicatur, cum proprietate exulcerandi pulmones: etenim et si in corpore possint generari humores corrosivi, qui decumbentes in pulmonem, ipsum exulcerent (ut quotidie in phthisicis experimur circa veneni assumpti suspicionem) tamen factor putridus referens ipsum leporem marinum, simul cum aliis accidentibus communibus veneni, certò demonstrant, ipsum venenum assumptum; insuper etiā alia particularia accidentia, quæ admirabilem venenorū naturam ostendunt, certam etiam notitiā veneni assumpti indicat, ut horror à solo visu cujuscumque piscis, quod etiam leporis marini proprium censerit ab Autoribus: ergo accidentia particularia aliquorum venenorū, si inveniantur in corpore potionato simul cum aliis communibus, certam cognitionem præbent veneni assumpti, cum propria dicantur talis veneni, & minime refundi possint ad venenum ingenitum.

Sit tertia Conclusio: In sensu rigoroso in quo procedit litigium suprà adductum, nullum potest esse signum certum absolutè demonstrans aliquem assumpsisse venenum: nam si quæ certitudo haberi possit propinati veneni, maximè ex nonnullis symptomatibus mirandis, ac raris, quæ in venenatis corporibus accidentunt: sed hæc omnia possunt oriri à veneno in nostro corpore genito: ergo nullum poterit esse signum certum veneni propinati. Minor in qua est difficultas suadetur efficaciter: nam in corpore cujuslibet animalis venenosus, ex his quæ adducta *suprà* sunt generatus

generatur hujusmodi venenum à calore præternaturali, & prava dispositione humorum: ergo etiam in nostro corpore poterit à simili efficienti; & prava dispositione materiali generari simile venenum; æqua enim videtur ratio in omnibus; & fortassis ob hanc rationem Zachias Tom. 1. *suarum quæst. Medic. Legal. lib. 2. titulo 2. quæst. 6.* acerrimè tenet, canis rabidi venenum, & alia peculiaria posse in nostro corpore etiam generari ex Gal. placito, quæ abominationem aquæ, & pulmonis exulcerationem induant, & vesicæ; quemadmodum leporis marini, & cantharidis venenosa qualitas id efficit. In cujus confirmationem Fernelius 2. *lib. de abdit. ver. caus. cap. 11.* docet à veneno intùs genito, non solum evenire posse uteri stangulatus, epilepsiam, syncopem, cordis palpitationem, & sphacelum, & alia symptomata communia pravorum humorum, qui in corpore generantur, verùm etiam venenosa, & stupenda, quæ in omnibus venenis reperiuntur; cujus rei nulla alia ratio assignari potest, nisi caloris præternaturalis vis, qui regulariter non agit, cum neque materia pravæ & præternaturales in quas agit, ullam regulam recessus à naturali statu servent; sed pro diversa dispositione per accidens, diversa mixta generantur, mediâ putredine, & corruptione peculiari, & hac ratione bufones, aranæ, & scarabei, & alia venenosa animalia quotidie generantur: pari ergo ratione in nobis ex diversa, & prava dispositione materia mediâ putredine, & peculiari corruptione à calore præternaturali, per accidens possunt generari substantiæ peculiares venenatæ, qua miranda, & peculiari accidentia induant, qualia sunt, quæ ex peculiaribus venenis accident, & superius sunt adducta.

Dices hoc esse contra secundam nostram conclusionem: etenim si fateamur peculiaria accidentia, & propria aliquorum venenorū, posse in nostro corpore generari per generationem similiū substantiarum, videtur non esse propria, & certa signa hujusmodi venenorū, ac proinde minimè posse cordatum, & Christianum Medicum pronuntiare, aliquem venenum, quale est opium, aut leporem marinum assumptissimum.

Relp. accidentia peculiaria, & propria venenorū peculiarium sèpè numerò dependere, non tantum ob corruptionem pravam, sed peculiarrem, quæ solum in peculiaribus mixtis oriuntur, & à propria forma diminant prædicta specialia accidentia, quemadmodum attractio ferri in magnete; sic ergo possumus philosophari de veneno leporis marini, cui tanquam proprium signum associatur, suffocatio, asthama, tussis, sanguis sputum, abominatione in cibis cujuslibet generis pisces, & terror in sola ejus visione, necnon etiam teter corporis odor, veluti putrefacti pisces, & foetor putridus referens ipsum marinum leporem; que omnia si conjugantur, minimè possunt oriri à veneno in nostro corpore genito. Id ipsum accidere credendum est, in eo qui devoravit opium, cui tanquam propria signa subsequuntur, stupor mentis, ac sensuum omnium, cum universal corporis pruritus, cum colore citrino junctus, cum perceptione odoris ipsius opij expirantis à corpore potionato. Hæc omnia simul juncta non videntur à veneno intùs genito causari posse; & sic dealiis peculiaribus, & propriis accidentibus venenorū specialium judicare debemus.

Neque ad certam hujus rei cognitionem desunt  
Henriquez Laurea Medica Tom. III.

multæ conditiones, per quas unum casum ab aliо licet distinguere, ut celeritas adventus accidentium, & mortis, anteactæ vitæ, modus, & natura, & complicatio, seu tumultuositas accidentium, præcipue in corpore sano & benè nutrito; quam ob rem, his omnibus rebus maturè pensatis, poterit peritus Medicus, & diligens absque difficultate aliqua cognoscere venenum propinatum esse, & minimè in nostro corpore genito; aliter autem si accidentia sunt communia venenata, etsi sèvissima sint, & horrenda, præcipue si nullius potionis sit suspicio, possunt sine dubio oriti à veneno intra corpus genito, ut probat efficaciter ratio fundamentalis suprà adducta.

Suadetur ulterius hæc nostra conclusio: quia in nostris corporibus potest excitari corruptio, quæ vites veneni virulentissimi æquæ, & quod per multum tempus lateat, ut exemplo eorum, qui morsi sunt à cane rabido demonstrat Gal. locis suprà citatis, à quibus libenter supersedeo, fugiendo à vana repetitione: ergo licet homo repente moriatur sèvissimis symptomatis præcedentibus, & insuper signa relata à Gal. 6. de locis cit. cap. 5. in ipso homine defuncto appareant, ex vi illorum minimè potest, certè determinare Medicus peritus, fusisse originata ex veneno propinato; quandoquidem venenum intra corpus genitum eosdem parit effectus venenosos. In cujus rei confirmationem audite Gal. 3. epid. comm. 3. agroto 4. Item in hac phrenitide, vitiosus in corpore humor coacervarus fuit, veneno lethali affectus, in corporibus vicinis aliquid paulatim agens, quo quando vitio jam alio pacllo, opportuna erant, humorque ipse evaserat malignissimus, lethale repente apparuit symptoma. Ex his licet colligere generari in corpore sano, saltim ut nunc, sanitate ornato, venenum lethale, & mortiferum, latens per plures dies, & nullam prorsus notam sui afferens, quod postea repente interficiat, subsequitis postea accidentibus venenosis descriptis à Gal. 6. de locis, in quo casu nullum poterit esse signum veneni propinati certum.

Clarius roborat Phrygius nostram conclusionem super lib. epid. in comm. hist. citata phrenetici, per sequentia verba. Respondendo ad dubium an dentur signa veneni sumpti, quando videmus hominem obambulantem, & benè educatum, & propria munia obeuntem, & derepentè mori, cui corpus livens, nigricans, aut varium sit, aut defluens, aut male olens, tunc de propinato veneno affirmare oportet, signa veneni quidem, sed ambigua. Hæc Phrygius.

Neque valet communis solutio cujusdam Recentioris noviter scribentis, nempe quando Galenus loquitur 6. de loc. citato de homine perfectè sano, qui simpliciter dicitur talis, distinctione facta ab eo qui dicitur sanus, ut nunc cum Galeno lib. de Art. Medicinali, in quo eventu si repente moriatur homo, cum dictis accidentibus, certum est venenum accepisse. Non inquam valet hæc solutio. Primo quia Galenus loco cit. nullam præbet, nec adducit distinctionem de sanitate absoluta, aut de sanitate, ut nunc, sed solum air, quod si corpore existente sano, hoc est, in quo nulla appareat lœsio Medico sensibilis, & benè nutritio, seu educato accidat repentina mors, cum accidentibus relatis, censendum certò esse, venenum assumptissimum. Quo supposito, sic permititur solutio. In corporibus sanis ut nunc, nulla appetet lœsio sensibilis ex qua possit

Medicus judicium ferre de interno , & pravo humorum apparatu , & tamen in his accidere potest repentina mors , cui subsequuntur accidentia venenata à Galen. adducta : ergo nullus potest ex tali morte judicium ferre , esse ratione veneni propinati , cùm eventus sit omnino ambiguus. Præterquam quod , quis erit tam probis humoribus ornatus , qui aliquam non habeat corruptionem ? & quis tam commodè vivit , qui possit cruditates vitare , quæ diutius in corpore detentæ , veneficam vim possunt comparare , ut quotidiana ostendit experientia , de repentina morte ex passionibus hystericis , & de pluribus , qui repente moriuntur , quorum corpora syderata conspiciuntur , antea benè valentibus , & rectè ambulantibus , citra ullam veneni propinati suspicionem ? Quæ omnia testantur , summè ambiguum esse judicium de veneno propinato , in his qui ita moriuntur. Ita Hipp. 1. epid. sent. 3. in historia Critonis , ubi plane fateatur , ipsum rectè ambularem prius , repente fuisse mortuum , celeriter ab humore veneno , & maligno : In cujus text. expositione sic Galenus fatur : *Malignitatis excrementi statim erat indicium , quod pustula nigra generarentur ad talum.* Clarius Vall. noster super citatum textum scribens , subdit , *Hic certè homo à multis putatus sit venenum acceperisse ; tamen scimus solere multos , venenum intra se ex pravo vietu generare , & repente mori , non aliter , ac qui acceperit.* Poterit ergo homo sanctorum more educatus , & in sanitate absolute constitutus repente mori , à veneno intra corpus genito ; ac proinde minimè poterunt esse signa certa veneni propinati , sed omnia sunt ambiguæ , nisi in casibus suprà adductis.

Sit quarta Conclusio : probabilissimâ conjecturâ , & quasi prudentiali , & politicâ certitudine , sæpnumero poterit peritus , & cordatus Medicus affirmare aliquem perijisse ex veneno assumpto , si magnitudinem accidentium , eorumque lœvitatem , & atrocitatem perpendat , necnon etiam celeritatem mortis , et si nulla sit suspicio propinati veneni : Nam ab assumptione veneni , non longâ , aut plurimâ morâ interpositâ , perturbatio oritur in corpore , & nausea : Quod si simul etiam dolor ventriculi comitetur vehementer , cordis tremor , palpitatio , syncope , signa erunt perniciössimi , & lethalis veneni assumpti : ita Cardanus 1. 2. de Venen. cap. 2. Succedere etiam solent prædictis symptomatibus venenosis , ruetus olidi , terri odoris , saporis ingratissimi , & pravæ , necnon etiam interdum oris foetor , vomitus etiam ipsius veneni , vel pravæ cujusdam materiæ , aut sanguinis , singultus item supervenire solet , ventris fluxus , inquietudines , anxietates , cum ingenti virium languore , & pulsus defectione , & cordis morsu ; hinc sudor frigidus appetet , cura extremorum frigiditatem , & livore unguium , labiorum , & linguæ nigredo , cum faciei livore , & siti inexhausta , vertigo , oculorum contorsio , aliis etiam accedit sopor , aut lethargus , urinæ impedimentum , & mordicatio , & mentis alienatio , quæ omnia , & mille alia symptomata communia sunt venenatis , ut Cardanus latè scribit lib. 2. contradict. tract. 5. controv. 10. Et idem Autor comm. 4. aphor. text. 62. connumerat , his icteritiam , dicens , *Cum post cibum morsus in ventriculo sentitur , & alevus , vel vomitus movetur , & color intra sex horas sit aruginosus , & ut dixi , maculosus , scias , quod ebibit venenum letibiferum ,*

*ac profectò commaculatio carnis , frequens in venenis omnibus est.* Nunc inquirō , quis Medicus , si hæc omnia symptomata perpendat , aut major cumulus ipsorum , cum celeri , & repentina morte , præcipue in corpore sano , saltim ut nunc , in quo nulla lœsio sensibilis antecedenter apparuerit , neque suspicio aliqua veneni assumpti , qui prudenter non judicet , modum illum mortis cum celeritate accidentium præponderata nuper , non fuisse ex propinato veneno quandoquidem certum est , quod venenum in corpore genitum , accidentia minus vehementia à principio , & minus subitanea symptomata causet , nimirum quia assūscit quodammodo natura illius venenositatis ; etenim ejus generatio non est repentina , sed paulatina.

Clarius etiam judicium afferunt de veneno assumpto signa , quæ post mortem in corpore venenato apparent : nam præter signa superius adducta à Galeno 6. de loc. cap. 5. Cardanus lib. 2. de Venen. cap. 3. præcipue inter cetera afferunt , unques , post interitum , nigros , & qui facile aveliuntur , & capillos sponte desfluentes , adeò ut aliquibus nullo labore , aut nixu integri manipuli avellantur. Addam etiam signum aliud peculiare in corporibus defunctis à veneno assumpto cum Plinio lib. 11. cap. 37. nempè talium corporum cor esse incombustibile , seu ab igne non cremabile. Plures Autores fidem adhibent , experimentis à Plinio factis , cùm tunc cadavera omnia comburerentur. Et ratio hujus eventus poterat esse , propter multam à veneno corrosivo siccitatem inductam , spiritus consumentem ; vel fortassis hujusmodi experientiam habuisse locum , in frigidis venenis , ob intensam frigiditatem cordi impartitam. Ego autem semper renuam concedere , cor eorum , qui veneno sublati sunt , nullo modo cremari posse ; sed libenter fatear , magis resistere igneæ vi , sive propter duritiem inducitam à siccitate venenorū corrosivorum , supra duritatem naturalem cordis , sive ob nimiam frigiditatem contrariae oppositam virtuti ignis ; quippe ut penitus resistat voracitati ignis , nulla potest esse durities , quando videmus ex lapidis fieri calcem , virtute ignis , & in cineres converti : Et quidem de frigiditate venenorū inducta in corde , quæ valeat resistere activitatì ignis , minus probabile videtur , cùm ex elementis nullum sit activius igne : ergo quantumvis detur aliquod corpus mixtum venenosum , ejus frigiditas nunquam poterit penitus impedire ignis activitatem ; quare hoc signum in defunctis corporibus à veneno , non est omnino certum , sicut neque alia adducta evidenter præbent demonstrationem ; sed probabilem valde ; quippe si rigoroso , & metaphysico sensu loquamur , cùm possint mortifera venena intra corpus generari , relata symptomata in ipsa meritè refundi possunt , sicut & alia plura , quæ passim ab Autoribus addueuntur , à quibus libenter supersedeo , ne Opus nostrum fastidiosum legentibus redatur.

Suprà dictis ergo præhabitibus conclusionibus , difficile non erit argumenta in contrarium adducta solvere. Ad primum desumptum ex autoritate Galeni facilè responderetur ibi non narrare signa certa veneni assumpti ex propria mente , sed ex mente aliorum Medicorum , cùm proferat illa verba , *Venenum assumpisse aiunt.* Neque alibi Galenus de signis veneni assumpti agit ; quare reputanda


tanda tanquam propria, ea opinio non est. Præterquam quod, hujusmodi signa esse ambigua, testatur Phrygius, & nostra ratio, id suadet; nam si venenum mortiferum, & lethale potest generari in nostro corpore, ut ex Galeno & probatissimis Autoribus, suprà demonstratum est, et si homo in sanitate constitutus, rectè probis humoribus abundans, & sanorum more educatus, in quo nulla appareat sensibilis læsio, qualiter in pluribus benè valentibus experimur, qui sanitatem ut nunc fruuntur, & tamen repente moriatur, & corpus postea lividum, nigrum, diffusum, aut male olens appareat, tunc verè, & probabiliter possumus affirmare, à veneno certo periisse, non tamen certò à veneno assumpto, seu propinato, cùm eadem symptomata, à veneno ingenito ori-ri possint. Nec Galenus protulit adhuc de sententia aliorum, talia signa descripta esse certa, & evidentia, veneni propinatio, sed solùm dixit, *Talem hominem venenum assumpisse aium*; quod verum semper tenere potest, in conjectura probabilissima, prudentiali, & politica, ut in quarta conclusione docuimus, non tamen ea verba ar-guunt certitudinem, & evidentiam, qualiter in casu primæ nostræ conclusionis declaravimus. Nec verba Galeni de sano homine, & probis humoribus ornato, & bene nutrito, probant de sanitate simpliciter, quippè hæc non facilè agnoscit potest; sed de illis corporibus, quæ ad sensum Medici, salubriter degunt, nullâ existente, nec apparente in illis læsione sensibili, in quibus repentina, & celer mors sàpè accedit à veneno intra corpus genito, cui eadem symptomata re-lata subsequuntur, eadem ratione, ac si assumpsisset venenum, undè ex Doctrina Galeni nihil contra nos militat argumentum.

Argumentum à paritate eorum, qui post morbos acutos, recidivare solent, nullius est roboris; nam in illis corporibus adhuc remanet sigillum, & vestigium recidivæ, ratione sitis dere-lictæ, & amaritudinis oris, in quo statu consti-tutus homo, minimè potest dici sanus ut nunc, cùm in ipso, illa mala dispositio reluceat sensibilis Medico, ex vi cuius agnoscit hujusmodi hominem non esse sanum, sed recidivaturum, & sic egere auxiliis medicis, ne morbus redeat, & forsitan ferocius, aut malignius, ut nos sàpè ex-perti sumus: at in hominibus ad sensum sanis, & robustis; rectèque ambulantibus, & omnes suas functiones obeuntibus, in quibus, sàpè accedit repentina mors cum suprà dictis accidentibus; ita non accedit, cùm in ipsis nullum vestigium morbi, nec male dispositionis appareat Medico sensibile, ex vi cuius teneatur auxiliis medicis uti: Ruit ergo certitudo de cognitione veneni propinato fundata in similitudine eorum, quos ex morbo acuto recidivare videmus.

Ex his constat in corpore sano ut nunc, posse latenter generari venenum, quin in ipso reluceat sensibilis læsio, & licet à calore præternaturali generetur paulatim talis substantia venenosa, oc-cultari potest, tum quia juxta partes distantes stabuletur putredo, longè à corde, tum etiam (& quod verius puto) quia talis putredo est lenta, & minimè fumosa, qualis est ea, quam descripsit Galenus 3. de præsagiatione ex pulsibus, cap. 3. ubi narrat, constitutionem quamdam pe-silientem, in qua Medici peritissimi decipieban-tur, èd quod pulsus erant similes naturalibus, & certius peribant ægrotantes, in quibus appa-

rebat magis naturales, èd quod in his erat ma-gis lenta putredo cordis, & minimè fumosa, ut in sphacelo accidit, itaque incipiebat corruptio, & mortificatio per partes minimas, & superfi-ciales cordis, quin depasceret pro tunc internas partes cordis, in quibus virtus robusta servabatur, & sic naturales pulsus apparabant, donec putredo interiores cordis partes depascens, mors subitò, & inopinatè succedebat, itaque quò putredo plus mortificat cordis naturam, minor co-pia fuliginum elevatur, quia calor nativus ferè extinctus contra morbi causam pugnare non po-test, undè verè dici poterat, cor per particulas insensibiliter mori, quasi in partibus corporis la-borantis hecticā febre, in quibus calor ultima-tus est, ita ut putredo maligna, & pestilens, eas solùm partes cordis, quas determinatè corrum-pebat, offendaret, reliquas verò minimè, in-déque certius peribant, qui minorem offensam habebant in pulsibus, quia putredo lenta, & maligna mortificans calorem nativum illius parti, non evaportabat, neque reliquas partes cor-dis in consensem trahebat, usque dum serperet putredo ad intima cordis, & hac ratione inopinatè sequebatur mors: poterit ergo sic occultari in corpore sano ut nunc beneficia virtus, quæ pau-latim adquiritur in corpore, quin obsteret calor præternaturalis, & putredo.

Reliqua argumenta, si quæ sunt alicujus ro-boris, ex adductis facilè solvuntur ex doctrina, quæ in nostris conclusionibus est adducta, de cognitione certa, aut probabili eorum, qui ex propinato veneno pereunt.



## C A P V T VI.

### Quomodo venena frigida interficiant.

**P**RÆSENS difficultas solùm procedit de venenis frigidis, quæ solùm mediæ frigi-ditate mortem inferunt, quâ ratione id præstare possunt, si priùs debent calefieri, & liquari à nostro calore: siquidem videtur difficile explicare, quomodo post dictam calefactionem à nostro calore resurgent partes frigidæ, quæ valeant cordis, & spirituum vitalium intensissimum calorem omnino extinguere, & vitam de medio tollere.

In re tam difficili fluctuat ingenium eruditissimi, & acutissimi nostri Vallesij, lib. 1. controv. cap. 12. ubi ex professo de hac re disputat, & acriter suadere conatur id, quod Averroës docuit acutè 5. collectan. cap. 3. nempe medicamentum dici frigidum non quia refrigerat; nisi quia con-vertitur in locis digestionis ad diminutum calo-re, magis quâ calor corporis sit; ita ut chylus, qui ex eo generatur est diminutus à calore corporis.

Consonat huic doctrinæ Galensis 3. de tem-pe-rament. cap. 20. per sequentia verba. Quæ verò refrigerant veluti papaveris succus, hac à nostro corpore ne vel paululum quidem demutantur. Et paulò infrà prosequitur. Si namque in nutrientium sunt genere; siquidem vincantur, calefaciunt, si non vincantur, refrigerant. Hucusque Galenus. Sed adhuc scrupulus manet in suo vigore, ipsum ta-men solvere conatur Vallesius citat. loco, per se-quentia verba (de venenis frigidis, quæ devo-

rantur, & de illis, quæ extra applicantur sermone faciens, Vnde illud quoque colligentes, concedimus fieri posse, ut calore nostro medicamentum incalescat, & tamen deinde corpus refrigeret, si scilicet minus calidum manet nostro corpore; non enim solum frigidum remittit calorem, sed & quod minus calidum est. Itaque juxta nostri Vallesij opinionem, cicuta, aut papaveris succus devoratus (idem de aliis frigidis venenis intelligit) prius aliquantulum incalescit, & alteratur à nostro calore, & comminuitur; Attamen quia à nostro calore ferè est insuperabilis, non incalescit, atque ita insuperata cicuta (exempli gratiâ) à nostro calore, ad cor defertur, & solo eo gradu frigoris, quem habet, vitalem calorem incipit extinguere, & in ea actione procedit, usque dum calorem omnino extinguendum hominem interimit. Neque id mirum est à parvo frigore fieri; cor enim plus ceteris à frigidorum occursu offenditur, ut quod omnium membrorum oporteat esse calidissimum. Hucusque Vallesius, cuius omnia verba in re ita ardua transcribere volui, ut constet clarissimè ejus resolutio; nempe venena frigida interime-re solùm, quia minus calida perseverant, & deferuntur usque ad cor, ita ut partes ipsorum venenorum quæ non superatae omnino fuere à nostro calore, præcisè quia minus calida quā cor, parvā illā frigiditate omnino vincere, & debellare valeant intensissimum cordis, & spirituum vitalium calorem, ipsumque tandem extinguere, & hominem hac ratione interimere. Hæc est ejus resolutio veridicè quantum potui ex ejus verbis relata fidelissimè.

Cæterū, licet hæc expositio, & doctrina sit semper veneranda, (utpote à tanto viro) nihilominus, salvā pace, videtur esse contra veram Philosophiam: etenim capere non possum, quā ratione cicuta aut papaveris succus, ratione partium, quæ insuperatae perseverant, à nostro calore, & minus calidæ quā cor, & spiritus, parvo illo calore licet juxta cor sint approximatæ, per multum temporis spatiū possint vincere, & debellare cordis intensissimum calorem & spirituum vitalium; quandoquidem talis calor cordis & spirituum naturalis est, & debitus formæ ipsorum, qui sine dubio valde intensior est, quā frigiditas remissa, quæ perseverat in partibus cicutæ, aut papaveris, quæ non superatae fuerunt à nostro calore, & minus calidæ dicuntur à nostro Vallesio quā cor: cū ergo actio victoria debeat procedere à proportione majoris inæqualitatis, & semper cor actu calidissimū sit, & perseveret in præsentia partium minus frigidarū venenorum frigidorum: infallibiliter deducitur per remissam illam frigiditatem, non posse extingui, neque cordis, neque spirituum calorem; imò potius sequitur partes illas minus calidas venenorum frigidorum, magis calefieri à cordis calore, aut omnino impedire actionem frigiditatis remissa illarum partium, in præsentia tanti caloris cordis, ac proinde inintelligibile omnino esse posse extingui cordis, & spirituum calorem ab actione partium minus calidarum venenorum frigidorum: non ergo venena frigida juxta hanc opinionem possunt interficere mediā frigiditatem, suppositâ actuacione, & alteratione prius factâ à nostro calore.

Neque valet effugium, quod insinuat Vallesius loc. cit. nempe, quod cū ille calor in venenis frigidis sit violentus, reducitur ad propriam

naturam à propria forma talium venenorum, ad frigiditatem debitam, ut exemplo ferventissimæ aquæ ad ignem applicatæ, & postea semotæ, experientia confirmat. Non inquam valet, nam si semper, & continuò sit aqua applicata igni, semper actu erit calida, & fervida: sed illæ partes venenorum frigidorum, quæ insuperatae manent, & nimis calidæ sunt quā cor, ut ejus calorem extinguant, debent esse continuatae con-nud ipsi cordi: ergo cū ejus calor sit vehementior & intensior, nunquam poterunt à propria forma comparare suam frigiditatem actualē, in præsentia cordis, ita ut ratione illius extinguant calorem cordis, & spirituum, & interficiant, ratione frigiditatis: ruit ergo doctrina Vallesij nostri.

Ulterius deducitur quamlibet substantiam minus calidam applicatam cordi, posse ipsum vincere, continuatâ actione, seu reactione in cor, & spiritus, & vivens interficere per frigiditatem, quemadmodum partes insuperatae venenorum frigidorum id faciunt, quia minus calidæ quā cor. Neq; ex eo quod sit viscus calidissimum debet offendī magis ab agenti minus calido (ut aiebat Vallesius) sed potius contrarium debeat accidere: cū virtus validior minus offendatur à virtute contraria remissori. Insuper etiam rationabile videtur virtutem expultricem cordis mediā ipsius contractione expellere partes illas minus calidas venenorum frigidorum, quemadmodum expellit excrementa fuliginosa, tanquam aliena à natura, & omnino extranea, & inutilia. Ergo dummodo in ipsis non concedatur virtus frigidissima intensior, & validior ipso corde, nequit accidere mors per frigiditatem à venenis frigidis.

In re ita ardua dicendum nobis est, venena frigida prius alterari, & liquari à nostro calore, & hac ratione separari in ipsis exquisitissimas partes, frigidissimas, quæ irruentes in cor, & ad ipsum delatas simul cum sanguine ipsum omnino refrigerant, & innatum ejus calorem extinguunt, spiritus congelando, & hac ratione redditur totum vivens gelidum, & accidit mors; hoc autem in venenis frigidis fit ex peculiari modo mixtionis elementorum, ex vi cuius eo ipso, quod alterantur à nostro calore, facile resurgunt actu frigidissimæ, separatis per liquationem pluribus partibus frigidissimis, quarum actio veluti consopita erat in ipsis venenis, usque dum per alterationem à nostro calore dividuntur, & commununtur ipsæ partes, & à nostro calore simul cum sanguine communicant cordi, & ab ipso trahuntur simul cum ipso sanguine mediā dilatatione, ubi illa cruentissima lis inter ipsas, & cor, quod devictum undeque manet, & spiritus congelatur, & vivens omnino frigidum redditur, & ita accidit mors à venenis frigidis, quæ potentia talia dicuntur, quia facile frigidissima sunt, alterata à nostro calore, ob eorum dispositionem & peculiarē mixtionis elementorum modum: sic opium dicitur venenum frigidum, quia facile refrigeratur, (& idem est intelligendum de cicuta, & quolibet veneno frigido) quæ omnia supra calefacientis naturam infrigidantur, & ad tantam frigiditatem perveniunt ex accidenti, ex materia icilicet dispositione, quam in peculiari modo mixtionis collocamus, facta illā exquisitissimā separatione plurium partium

tum frigidissimarum debellantium contra calorem cordis, à quibus celebratur victoria per ruinam nativi caloris.

Eadem ratione à venenis calidis accidit actio per calorem, & resurgit in ipsis valde intensior calor, quā est in viventi alterante; quoniam ex sua natura facilē calidissima fiunt ex accidenti & ex dispositione, quae in ipsis est, ex peculiari modo mixtionis, & sic nos recalcant; ita accedit in pipere, & alimento potentiā calidis, & non aliā ratione palea, & cristaē facilē comburuntur, & ignis potentia sunt, nisi ex dispositione propria ad combustionem ex suo peculiari modo mixtionis. Et nihil miri est si aliqua mixta exiguum consequita auxilium, maximam, à priori natura, mutationem habeant. Hanc doctrinam insinuavit Galenus exemplo illo satis communi & celebri: dicens in Misia aliquando domum in qua columbinum sterlus erat, resina nuper illita solubilibus radis conflagasse, nullo admoto igne,

quoniam Solis lumen quantum natura potuit, caloris genuit, ligna tamen ac tota domus ex materiae dispositione ad majorem caliditatem sunt. Sic ergo accedit in venenis calidis, factis calidioribus ex accidenti, separatis partibus corrosivis calidissimis, & feriferis; & in venenis frigidis separatis frigidissimis partibus extinguentibus calorem cordis, aut probabiliter, ut alij affirmant, per virtutem narcoticam ipsorum partium soporem & mortem inducentibus independenter à frigiditate, qui modus interficiendi in venenis frigidis probabilior est, ut latè *suprà* manet probatum: meritò nos fugientes occultas qualitates cum Galeno 3. de *præsatag. expulsibus*: nam turpe quidem est, ad proprietatem, quae exprimi nequit configere; & occultas proprietates concedentes proferunt, quidem nomina, & tamen, nec, quae significant observant, neque quam illis significationem attribuunt, interpretantur. Hæc sufficient in re tam ardua, ut probabiliter propositum nodum solvamus.



# DE LOCIS AFFECTIS, RESOLUTIONES THEORICÆ.



## DISPVATATIO PRIMA.

*De Morbis per consensum aut sympathiam.*

### CAPVT PRIMVM.

*Quid sint, & quot modis contingant.*



R A E S E N S dubium omnia quæ in libris de locis affectis, à Galeno traduntur, facillimè intelligentur, si perscrutemur aliqua nomina quibus morbi per consensum per propriam passionem explicantur: Et primò quidem pars aliqua potest pati per idiopathiam, id est per propriam passionem, vel per protopathiam, id est per primariam passionem. At cùm passio divisa sit in propriam & per consensum, primario affectui opponitur secundarius, & proprio affectui (qui potest esse tam secundarius quàm primarius) opponitur affectus per consensum. Quod autem quis possit laborare per propriam passionem (licet secundariam) oppositam passioni per consensum, patet quando quis laborat ulcere in manu, & oritur tumor in parte adenosa; tunc enim pars secundariò laborat, & tamen per propriam passionem, & non per consensum.

Vallesius præter modos assignatos patiendi per idiopathiam, aut protopathiam alios duos assignavit, scilicet per sympathiam quando aliqua pars patitur propter similitudinem cum altera, & per antipathiam, quando una pars patitur propter contrarietatem & dissimilitudinem cum altera: Quos modos inter partes nostri corporis reperiiri constat, non solum quando bene se habet, verum quando membra morbo afficiuntur.

Duobus tantum modis affectus sympathiæ contingit, aut quia una pars mittit in aliam quod non oportebat, ut quando ex ventriculo elevantur vapores in caput eum distendentes, & dolorem per sympathiam aut per consensum causantes, aut quia pars aliqua non recipit ab alia illud quo indigebat ad operandum: & hoc duplice capite, aut ex parte facultatis, ut quando spinalis medulla afficitur, aut inflamatur, partes subjectæ privantur sensu & motu; & similiter quando existente obstructione nervi optici privatur quis visio est, quia neque spiritus, neque virtus ejus ad oculos defertur: Etiam potest contingere defectu materiae, ut quando deficit vox eo quod musculi intercostales sint affecti, ita ut mediis illis non possit attrahi aer qui ma-

teria vocis est, ac proinde deficit in tali casu vox defectu materiae defervientis ad hujusmodi effectu.

Quod autem non sit alijs modis patiendi per consensum probatur, quia tunc pars non bene sicut ante operatur, quando aliter se habet ut solebat: id omne non potest esse nisi quia aut recipit aliquid inutile & nocivum, aut quia caret aliquo sibi debito & requisito ad operandum; & hoc aut ex parte facultatis, aut ex parte materiae, ut diximus: ergo solum est duplex modulus assignatus patiendi per consensum.

Sed dices: unde adveniat, quod laborante parte affectu per propriam passionem, aliquæ lalentur, & non omnes partes indifferenter.

Respondeo quod quando consensus causatur ex eo quod partes priventur virtute influenti requisita ad bene operandum, tunc solum illæ partes laborare & consentire debent quæ dependent & recipiunt influxum ab alia parte affecta per propriam passionem. Si autem consensus contingat per receptionem alicujus non debiti & nocentis, tunc solum illæ partes consentient, quæ habent majorem aptitudinem ad recipiendum talē effectum, aut quæ habent similitudinem aliquam cum parte propriâ passione laborante: hoc autem debet intelligi ceteris paribus quod approximationem passi respectu agentis; nam optimè potest contingere, quod una pars aptior sit ad receptionem aliâ, & nihilominus non consentiat defectu approximationis ad agens, ac proinde illæ partes consentient quæ existente æquali approximatione, aptiores sunt ad recipiendum, sive propter similitudinem in prima aliqua qualitate, aut in modo substantiæ, sive ob quodlibet aliud. Unde etiam quando consensus est ex defectu materiae, tunc solum illa pars patitur per consensum & læditur quæ materiam exposcebat ad operandum.

### CAPUT II.

*An sit alter modus sympathie.*

R I M O videtur circa præsens dubium quid sit alter modus sympathie præter assignatos duos; & probatur, quia affectu utero & inflammato, dolet caput propter distensionem: sed tunc neque caput recipit aliquid indebitum, neque caret aliquo debito: igitur alter modus per consensum debet assignari.

Secundò, quia quando pars distans dolore afficitur per consensum, aliâ parte primariò affecta, tunc non potest esse per receptionem alicujus indebiti, & nocivi: nam si hoc esset, etiam partes proximiores per receptionem illius dolore afficerentur, quod non experimur: ergo non est

per receptionem alicujus indebiti modus patiënti per consensum. Id est partes proximiores etiam à fortiori debent pati.

Deinde quia per consensum qui fit per privationem alicujus debiti, non potest constituere modum patiënti per consensum, quia dolor requirit immutationem realem objecti, & in parte nulla immutatio realis fit, ex eo quod privetur aliquo debito.

Quartò probatur, quia inter diversos homines apparet consensus, aut sympathia diversa, & non assignata à nobis, ut patet quando quis ex eo quod videat alterum dolore molarum aut dentium laborare, similiter eodem dolore corripitur: & quando quis videt alterum mingentem, excernit propriam urinam: ex aliis autem quamplurimis exemplis qui eodem modo se habent, poterat hæc conclusio confirmari, ne tamen fastidiosa appearant, omitto.

Unde ad primum respondeo, quod dolor capit originatus ex inflammatione uteri, est verè per consensum uno ex duobus modis assignatis; nempe quia privat pars sentiens aliquo debito: nam ratione distensionis causatur dolor qui in solutione continuatatis consistit: & sic quia parti debebatur unitas, & eā privat per dolorem, indè est, pati partem, hoc est caput per consensum, quia privat aliquo debito. Præterea quia si in dolore illo consideremus subjectū tangibile immutans illam parem, possumus dicere talem dolorem etiam esse per receptionem alicujus non debiti, nempe objecti solutionem causantis, quod licet non producatur à parte primariò paciente, sat is est ratione illius contingere.

Ad secundum responderetur parte aliquā primariò affectā contingere dolorem per consensum in distantiori, & non in proximiōri multoties, etiamsi sit per receptionem alicujus indebiti nocentis, ut argumentum probat: hoc autem ex eo advenit: quia partes proximiores cedunt tensioni ab inflammatione causatæ; partes autem remotiores non cedunt, sed resistunt, ac proindè ob resistantiam in eis excitatur dolor. Præterea, quia causa doloris, vel alicujus alterius affectionis potest majorem moram facere in partibus distantioribus, ut contingit in febribus ardentiibus, in quibus vapores elevantur ad caput, cumque distendunt ob moram quam in ea faciunt, etiamsi vapores vel fuligines non solum in capite, verū in alia parte possunt per tensionem dolorem inferre. Accedit ad hoc quod pars distans potest esse debilior, & sic in ea dolor excitari.

Ad aliud argumentum de dolore molarum, responderemus ibi non esse verum consensum; nam tunc in alio excitatur dolor, quia ponit majorem advertentiam circa sensationem talis objecti; ita ut anteā anima alteri operationi erat magis intenta; ex eo autem quod quis videat alterum dolore affici, recedit à priori operatione, & magis advertit juxta objectum dolorem causans, & sic percipit dolorem; unde non est verè consensus: nam licet aliquis non videret alium simili dolore affectum, solum ex eo præcisè quod ab alia operatione intensiori cessaret & apponenter majorē & intensiore advertentiā, eodem modo dolorem sentiret; videre autem alium simili dolore affectū, solum occasionem exhibet ad apponendā majorem advertentiā.

Idem dicimus quando ex eo quod aliquis edit res acidās & acerbās, & in alio hemodia excitatur, juxta communem modum loquendi; nos au-

tem dicimus, non contingere eo modo quod vulgo dicitur: Itaque in altero non excitatur hemodia, neq; stupor, ex eo quod videat aliquem edere acerba & acida: Et si aliquando excitatur, non est quia videat alterum, sed quia habet præsentem affectionem, non minus quam alter, & ponit majorem advertentiam tunc, et si adverteret citra illam occasionem, eodem modo hemodia, & stuporem causaret cum illius advertentia, ac proindè quando non est præsens affectio, etiam si aliquis videat alterum res acidās edentem, non excitatur in eo stupor & hemodia, sed solum excitatur sensatio rei stupidæ.

Unde etiam, contra aliquos infertur tunc hemodia non excitari, quia vi imaginationis movetur aliquis horror, vel vapor similis potens causare hemodia, quia imaginatio non habet virtutem movendi, ut in diff. de semine probavimus. Neque ex eo contingit quia ex ore alterius mittatur vapor in alterum frigidus; nam sine dubio vapor ille per tactum sentiretur, quod non experimur: Neque ex eo contingit quod producatur in altero species illius objecti, quia licet tunc perciperetur objectum, non tam esset in alio hemodia, quia ad hanc realis mutatio est necessaria, utpote hemodia est stupor quidem ex diminuta virtute sentiendi, propter reale impedimentum, quod à sola specie nequit fieri.

Denique ad ultimum respondetur quod quando videmus alterum mingentem, mingimus, non per verum consensum, sed quia viso objecto externo mihi scilicet, adest major advertentia, & sentitur acrimonia urinæ, aut alia qualitas quæ irritat ad expulsionem: quod si citra illam occasionem ponatur advertentia ita supposita in vesica sufficienti quantitate eodem modo excitaremur ad mingendum.

Vel possumus, dicere cum Vallesio nostro memoriā & recordationem illius est, solum non sufficere, cum recordemur multoties citra occasionē dictam, & tamen non mingimus, & ita dicit ad excitationem, etiam oportere flatum includi intramusculos bucarum, ad cuius expulsionem excitatur viso altero mingente tanquam occasione ad memorandum & advertentiam ponendam, non quia ibi sit verus consensus, quia eodem modo citra illam occasionem existente flatu excitabitur, ad mingendum, quoties memoria & advertentia illius actus adsit.

### C A P U T III.

*An morbus per consensum sit verè illo modo existens?*

**C**IRCA præsens dubium videretur quid sit verè morbus ille qui sit per consensum: nam quando caput afficitur per vapores à ventriculo ascendentēs, tunc in capite est affectus præternaturam lœdens sensibiliter actiones: ergo est verè morbus: Patet: quia ex vaporibus vertigo causatur in cerebro: quis autem dicat vertiginosum veram lœsionem sensibilem & permanentem non pati.

Secundò, quia ubi ratio specifica invenitur, à fortiori ratio generica participatur: sed morbus per consensum est species morbi; nam & dicit morbum, & dicit specificam differentiam, scilicet

cer esse consensum; ergo necessariò verè rationem genericam morbi participabit; præcipue cùm in eo sit vera læsio sensibilis.

Tertiò, quia pars quæ per consensum laborat, non est sana, ut potè non habet dispositiones perfectas, neque operationes conformes suæ naturæ. Deinde, neque habet neutram dispositionem cùm hæc à morbo per sensibilem læsionem deferat: at qui in tali parte est sensibilis læsio: ergo non est neuter disposita, ac proindè solùm restat quod sit morbosca.

His prædictis, dicimus primò, quod juxta Galeni sententiam, consensus per privationem aliquius debiti, sive ex parte facultatis, sive ex parte materiæ, non est verè morbus, quod probat, quia neque est morbus in temperamento, ut potè per nullam proportionem qualitatum constitutur. Neque est morbus in compositione, ut potè pars quæ privatur influxu debito ad operandum eandem servat compositionem, seu strukturam. Neque est in soluta unitate: nam in parte nulla est causa id faciens: ergo à sufficienti partium enumeratione consensus per privationem non est verè morbus. Sed hoc argumentum lolum habet cùm apud ponentes morbum in aliquo positivo semper; tamen si quis dicat, ut nos latè probavimus, morbum in privativo consistere, reverè consensus per privationem erit verè morbus, cuius positiva qualitas quæ pars privatur, licet non speget ad propriam sanitatem partis secundum se, benè tamen ad illam prout pendet ab alia tanquam à principio communicante virtutem ad operandum.

Dicimus secundò, quod si consensus alicuius partis sit quia recipit aliiquid quo carebat, juxta Galeni sententiam, est verè morbus affectus per consensum prædictæ partis. Quam conclusionem satis probat prima ratio posita in principio quæstionis de vaporibus à ventriculo ascendentibus in caput, vertiginem causantibus, aut dolorem, aliūmve affectum.

Neque valet si dicas verum-esse quod dicimus, si fuligines ibi quiescant per multum temporis, & non communicentur per modum transeuntis, tamen quia citò transeunt, idè dicit Galen. morbum verum ibi non esse. Tamen contrà est, quia ad rationem veri morbi Medici tantùm requiritur permanentia quæ sufficenter salvatur ex eo quod fuligines illæ per unicum instans detineantur, ut potè in illo instanti habent totum suum esse simul, & nullus dixit ad rationem morbi temporis durationem esse requisitam. Et confirmatur nostra conclusio ex doctrina Galeni, qui ex eo quod humor crassus detineatur & obstruat nervum opticum, ita ut non possit communicari virtus ad visionem inter veros morbos compositionis, prædictam obstructionem enumerat. Sed similiter fuligines sunt corpora quanta: ergo constituent similem morbum, quia etiam occupabunt locum, & prohibent aliiquid requisitum ad naturalem visionem.

Undè Galenus potest in optimo sensu interpretari, ita ut quando dicit morbum per consensum non esse verè morbum, debeat intelligi, id est, non est verè morbus petens propria auxilia in parte quæ consentit ut auferatur, sed statim cessat ac cessat vitium in alia parte quæ per propriam passionem laborat.

## DISPVTATIO II.

*De his quæ ad naturam, & usum musculorum pertinent.*

### CAPUT PRIMVM.

*Quid sit musculus, & qualem habeat compositionem.*



I R C A primum quod inquirit quæstio, dicimus musculum dupliciter posse definiri, aut juxta definitionem ab ejus usu & officio, aut à substantia quæ constat: sed utrumque complectitur illa definitio, quæ traditur lib. de definitionibus Medicis, ubi dicitur, *Musculi sunt nervosa corpora permixta etiam carne ad partum corporis motum procreati.* Deinde lib. de motu musculorum, Galen, ab officio & usu definit musculum, dicens, *Instrumentum motus voluntarij musculi sunt.*

Sed in præsenti necessum est agere de ejus compositione: nam de ejus officio postea erit sermo; Gal. autem circa musculi compositionem ait, postquam fecit mentionem fibrarum, nervorum, & ligamentorum, & carnis ex toto hoc instrumento enumerato musculum conflari.

Sed dices, etiam musculi constant venis & arteriis ad sui nutritionem, & conservationem: ergo sicut fibrae & nervi, ligamenta & caro conflant naturam musculi, sic etiam eam debent adimplere venæ & arteriæ.

Respondetur illud solùm ad compositionem & naturam musculi pertinere quod conduceat ad ejus usum, ut musculus est: cùm autem usus musculi ut talis debet esse instrumentum motus voluntarij, solùm illæ partes compontunt musculum quæ ad motum voluntarium condicunt. Cùm autem venæ & arteriæ conducent ad motum, sed ad reparationem substantiæ, & conservationem caloris nativi; indè est quod in musculi compositione non enumerantur. Eodem modo dicimus quod venæ non sunt partes oculorum prout organa visionis, quia non conducunt ad eliciendam visionem, licet ad nutritionem partis requirantur, quod valde diversum est; undè venæ & arteriæ instrumenta motus naturalis sunt, & voluntatis expertes; musculi verò sunt instrumenta motus animalis & voluntarij.

### CAPUT II.

*An musculus sit instrumentum motus voluntarij.*

**D**IFFICILE reddunt dubium quædam arguments quibus videtur probari musculum non esse instrumentum motus voluntarij, & imprimis sumitur primum argumentum ex eo quod in vermis, lumbricis, & scarabeis experimur motum voluntarium cùm sit mediâ cognitione & appetitu, & tamen in illis nullus est musculus medio quo tales motus elicantur: Ergo.

Secundò probatur ex motu lingua quo exten-ditur ultra labia qui est voluntarius, & tamen medio musculo non sit, quia actio musculi est contractio

contractio, & extensio : ergo musculum non denotat, ac proinde quando extenditur lingua ultra labia, erit motus voluntarius & sine musculo ullo in lingua reperto. Et confirmatur, quia visà vel imaginatà re horribili, ventriculus movetur ad expulsionem : sed ventriculus non habet musculos ; ergo datur in eo motus voluntarius sine illo.

Nihilominus ob hæc argumenta quæ facillimè à nobis solvuntur, Gal. placitum non est nobis deponendum, sed potius cum eo afferendum musculum esse instrumentum motus voluntarij. Quod placitum præterquam quod est expressum Galen. lib. de usu partium, cap. 10. & aliis quamplurimi in locis, & similiter Avicennæ, nihilominus nullà aliâ ratione potest confirmari, quæ ab experientia quæ ab omnibus Medicis unanimiter amplectitur, & ea desumitur ex Galen. nam ait quod facta mensuratione partium quæ ad motum animalem possunt deseruire, afferit nullam aliam habere conditionem necessariam, ut sit instrumentum talis motus præter musculum. Accedit ad hoc experimentum de omnibus motibus animalibus seu voluntariis, in quibus musculum tanquam instrumentum quo omnes elicuntur, invenimus.

Undè ad argumenta facilè satisfacimus, & ad primum dicimus quod quando dicimus musculum esse instrumentum voluntarij motus, loquimur de motu voluntario animalium perfectorum, non de imperfectis, ut sunt enumerata.

Ad secundum dicimus motum linguæ esse voluntarium, in ea tamen usque ad medium duo musculi inseruntur juxta Anatomicos. Sed quod poterat habere majorem difficultatem est, à quo moveatur extremitas linguæ, si musculi usque ad medietatem tantum inseruntur. Ad cuius responsum in extremitate linguæ esse fibras propter parvitatem invisibilis, à quibus motus elaboratur, sed quia ad invisibilia pergit & recurrit, solutio rejicienda venit, & nobis dicendum quod musculi qui inseruntur usque ad medietatem linguæ sufficiunt ad motum voluntarium totius linguæ, & ita motus extraneæ partis mediis musculis existentibus, usque ad medietatem sit sufficienter.

Et ad confirmationem dico motum nauseabundum ventriculi voluntarium non esse, quia licet aliquando præcedente cognitione fiat, non tam per se & ex sua ratione id perit, sed potius sicut partes solent pellere quod nocivum est, ita ventriculus nullà præcedente cognitione expellit quod nocivum & valde irritans est, quando autem mediâ visione, aut imaginatione movetur ad expellendum, non est quia sit verè consensus in ventriculo, ut suprà diximus, sed quia majori illâ advertentiâ positâ, sentit magis quod nocivum est, & fit major irritatio, undè ad ejus expulsionem non indiget ventriculus cognitione, sed se habet per accidens, ut dixi, quia potest fieri sine cognitione ; hæc autem tantum juvat ad expulsionem modo explicato.

### CAPUT III.

*Qualis est motus musculi.*

**D**IVIUM præsens inquirit quis motus est ille quo moventur musculi : circa Henriquez Lanrea Medica Tom. III.


quod communiter inter Medicos dicitur motum quo musculi spontanè moventur esse motum contractionis. Quod placitum est expressum Galen. 12. de usu partium cap. 8. & præterea probatur à pluribus sequenti ratiocinatione, quia in mortuo animali si contingat musculi dissecatio, statim contrahitur : ergo aperte constat motum contractionis esse musculo debitum. Sed hæc ratio infirma satis videtur : nam in primis non est efficiens à quo naturaliter procedat talis motus contractionis in utraq; parte musculi divisa:nam ponamus casum in quo partes musculi habeant positionem naturalē & distantiam inter se, absque eo quod versus aliquod extrellum præternaturaliter tendantur, in quo casu licet musculus dividatur ulla tamen pars divisæ contrahentur, sed potius suum situm naturalem servabunt. Dicere autem musculum semper esse tensem præternaturam non est rationi consonum : Ergo.

Præterea, quia cùm fibræ illæ mortuæ sint extra naturalia, tantum debent habere unum principium motus unius, scilicet deorsum : ergo motus contractionis à se non possunt præstare. Tum denique quia licet hoc contingat in mortuis, non idem debet sequi in vivis, cùm diversa formæ informentur fibræ mortuæ quæ vivæ, ac per consequens paritas non deberet tenere, licet verum esset quod in argumendo primo continebatur.

Undè infertur quod quando tensio nervi est præter naturam, nihil mirum quod diviso, partes reducantur ad situm naturalem. Ex hoc tamen non debet colligi hanc esse rationem ut cogamur afferere musculos tantum contractione moveri, ut satis manet probatum ex dictis.

Sententia ergo Galeni nobis amplectenda est, sed aliter probanda ; nam communis consensus inter omnes Medicos est musculum tantum habere ex se unicum motum: sed iste est contractionis, utpote semper quod animalia voluntariè moventur medio musculo elicunt talem motum : ergo si musculo tantum unus motus debetur, & istam experimur esse motum contractionis, frustra alium motum extensionis esse concedemus.

Deinde hæc sententia præterquam est expressa Gal. pluribus in locis, aliâ ratione etiam confirmari potest. Nam si unus musculus posset habere illos duos motus per se, non esset opus ad alterum ponì alium musculum oppositum, ut ex ejus contractione extensio contingeret : atqui ponuntur, ergo ex eo est quia quilibet musculum tantum habet unum peculiarem motum contractionis.



### CAPUT IV.

*An cerebrum moveatur, & à qua facultate.*

**R**IMO in hoc dubio certissimum esse debet, cerebrum moveri dilatatione & compressione : quod denotavit Gal. lib. 1. de placitis, c. 6. dum inquit, *Nec videlicet cor cerebro, nec cerebrum corde ad propriam motionem indigere.* Estque sententia communissima quam tenet noster Vallesius, Vesalius, & omnes Medici Scriptores.

Sed difficilior est secundum quod quaerit quaestio, à qua facultate moveatur cerebrum. Circa quod validissimus est modus dicendi, cerebrum non moveri à propria facultate, sed moveri ratione arteriarum quae sunt disseminatae per cerebri substantiam: cum autem arteriae à facultate vitali moveantur, sic & cerebrum quod ratione illarum movetur, etiam à facultate vitali moveri debet. Et probatur primò quia substantia cerebri est valde mollis, & non constat internā aliquā membranā: sed si moventur à propria facultate, motu ipso disrumpetur ipsa substantia cerebri: ergo cum ex alia parte videamus disseminatam esse arteriam, dicendum est ratione illarum moveri.

Secundò, quia in vulneribus cerebri penetrantibus, motus cerebri non appetit distinctus à motu arteriarum, sed potius coincidit cum illis, ut experientia manifestat: ergo non à propria substantia, sed ratione arteriarum moverur.

Tertiò, quia partes omnium facultatum quae motu trahunt & pellunt, constant fibris mediis quibus elicunt suos motus, ut patet in motu muscularum & arteriarum, & in naturalibus partibus quae constat fibris oblongis & transversis ad dilatationem & compressionem, mediis quibus attractio & expulsio sit: sed in cerebro nullæ fibræ assignantur; in illo talis motus non est à propria facultate, sed solum ratione arteriarum.

Nobis tamen contraria sententia ut verior constituenda est, scilicet cerebrum moveri à propria, & connaturali facultate, & non ratione arteriarum, quae in eo sunt disseminatae. Hæc sententia est expressa Galeni pluribus in locis, ubi dicit cerebrum à se & in se moveri. Præterea Avicenn. fen. 1. lib. 3. tractat. 1. cap. 2. dum asserit, *Et cerebro quidem ipso inest aëris attractio ut conservet aërem calorem innatum in ipso, sicut pulsus.* Sed si motu arteriarum moveretur, non diceret, *sicut pulsus;* nam, *sicut, distinctionem & comparationem denotat.* Ergo.

Deinde nostra sententia poterat confirmari hac ratione, quia si cerebrum moveretur ratione arteriarum, quae per illius substantiam sunt disseminatae, etiam aliæ partes quae continuationem habent cum arteriis movebuntur ad motum illarum, quod est contra experientiam. Sed facile poterat quis huic argumento dicere quod non omnes partes aequaliter habent aptitudinem, ut moveantur & deferant: neque omnes arteriae habent vim ut deferant & moveant sensibiliter partem, ac proinde non omnes partes quae conjunctionem trahunt cum arteriis, debent moveri ad motum illarum.

Sed adhuc prima ratio magis urget in liene: nam ex Anatomia constat lien pluribus arteriis & non exiguis circumdari: sed si cerebrum ratione illarum movetur, etiam lien debet moveri ratione illarum, quod nullas dixit: ergo neque cerebrum ratione arteriarum movetur: sed à propria facultate. Sed poterat responderi lien magis resistere & nullatenus cedere motui arteriarum, etiamsi non exiguae sint, & sic non moveri: at vero cerebrum faciliter cedere, & sic moveri.

Nihilominus prima ratio quâ sententia nostra confirmatur probabilissima est, & augeri ejus vis potest hoc modo: nam si cerebrum movetur ad motum arteriarum, sequitur quod omnes partes quae constant arteriis, moveri, quod est contra experientiam. Sequela probatur, quia vel partes

sunt continuæ cum arteriis, vel non sunt continuæ: si non sunt continuæ, sed contiguæ, ergo neque ratione arteriarum movebitur cerebrum. Id est, si sufficit contiguitas partium cerebri cum arteriis, ita ut propter connexionem una pars moveatur ad motum alterius: eodem modo de reliquis partibus quae contiguæ & connexæ sunt arteriis debemus philosophari. Si vero sunt continuæ: ergo cum movetur arteria, secum deferat partem continuam, ac proinde omnes partes quae continuationem cum arteriis habent, debent moveri, quod est absurdum.

Respondebis, arteriam quando dilatatur non deferere proprium locum, quem habet totaliter, (nam si ita fieret, argueret ratio posita) & sic non debent moveri partes ad motum arteriarum, ex eo quod hæ secum deferant partes continuas. Tamen contra sic insurgo, quia licet quando dilatatur arteria, pars illius extima seu extrema dilatetur, quia extra pellitur, tamen pars arteriæ intima seu interna necessariò debet comprimi: nam non alio modo dilatationi cedit: sed quando comprimitur necessariò debet movere partem continuam, eam comprimendo, & similiter quando pars externa arteriæ comprimitur pars interna debet dilatari, ac per consequens pars quae continua erat, cum parte arteriæ interna debet dilatari & reduci ad suum situm naturalē: ergo necessariò partes continuæ debent moveri ad motum arteriarum: id est, dicendum est cerebrum non moveri ad motum arteriarum, sed à propria connaturali facultate.

Deinde dupli experimento nostra conclusio probatur. Primum est, quia si quis tangat arterias & cerebrum simul, videbit non servari eandem proportionem in motibus, sed plures eodem tempore esse motus arteriarum quam cerebri, quod non contingere si cerebrum ad motum arteriarum moverentur.

Secundum experimentum sit: nam ligatis arteriis soporiferis quae cerebrum ingrediuntur, eodem modo movetur cerebrum: ergo signum est quod à se & non ad motum arteriarum movetur. Neque valet se dicas alias arterias parvas quae cerebri substantiam ingrediuntur, immunes à ligatura manere, ac proinde non cessat motus cerebri: Tamen contra est, quia licet non cesset ob hanc rationem, nihilominus debet multò remissior esse motus, cum deficiat motus arteriarum magnarum: constat autem eodem modo cerebrum moveri quoad magnitudinem motū: ergo à se & non ad arteriarum motum moventur.

Hinc igitur Respondeo ad argumenta. Ad primum dicimus, substantiam cerebri non disrumpi per motum illius, sicut non disrumpitur per motum sternutamenti, qui major est; vel si sufficit ad ejus disruptionem motus à propria substantia, etiam sufficit motus ratione arteriarum: nam si eodem modo movetur cerebrum, sicut à propria substantia, sive ad arteriam motus; si illa sufficit ad disruptionem, cur non iste?

Ad secundum respondetur, potius contrarium experiri dum quis simul tangit cerebrum & arterias.

Tandem ad ultimum respondeo non esse necessarias fibras, vel villos ad attrahendum & expellendum, licet in arteriis & musculis inventiantur; nam os attrahit & expellit, & nullas habet fibras.

## C A P V T V.

*Opinio qui existimant cerebrum moveri  
à facultate animali.*

**E**X his qui existimant cerebrum non moveri ad motum arteriarum, sed à propria & connaturali facultate affirmarunt. Hinc propriam facultatem quā movetur esse animalem quā spontē operatur, sicut illa quæ in cruribus, & in thorace invenitur. Et probant ex Gal. qui motum cerebri appellat respirationem: sed hæc ad facultatem animalem pertinet: ergo & etiam cerebri motus.

Præterea ratione confirmatur primò, quia nos olfacimus, quando volumus: sed ad olfactiōnem requiritur motus cerebri quo attrahatur aër externus usque ad anteriores ventriculos cerebri: ergo motus cerebri est actio voluntaria. Et confirmatur cum experimento quotidiano de vulneribus capitis, in quibus si opus est excrementa à parte illa pellere, præcipit Medicus magnam fieri inspirationem ut ita tumeat cerebrum: ergo est in nostra potestate majorem aut minorem motum cerebri elicere, ac proindè erit motus voluntarius à facultate animali dimanans.

Sed dices contra hanc doctrinam. Omnis motus voluntarius debet fieri medio musculo & nervo deferente virtutem sed in cerebro nullus est musculus neque nervus: ergo in illo non post reperiri mutus voluntarius à facultate animali elicitus.

Respondent tamen quod partes quæ sunt extra principium suum, ut spontē moveantur, indigent musculo & nervo, cerebrum verò minimè, utpote ille est principium motū in aliis partibus, quia eis tribuit virtutem ad illum mediis spiritibus; sed omnia hæc habet cerebrum in se: ergo movebitur spontē absque musculis & nervis. Tamen contra est, quia licet verum sit quod ad communicationem illius virtutis motivæ non indigeat cerebrum musculis & nervis, tamen ad executionem talis motū, cur non indigebit illis sicut ceteræ omnes partes quæ animali facultate moventur, ac proindè sentiendum cum Gal. est qui dici ad convertentiam ait motum spontaneum & mediis musculis factum.

Sic ergo illius vestigia sequendo, nobis dicendum cerebrum moveri à facultate propria naturali, prout opposita facultati spontaneæ, ita ut motus cerebri fiat à facultate naturali, idest non cognoscente, quæ ad animam sensitivam diximus pertinere *Tractatus de Pulsibus*, ubi latè demonstravimus, esse aliquam facultatem animæ sensitivæ quæ sine cognitione moveat, & talis etiam est quæ movet cor & arterias.

Quod autem motus cerebri ad facultatem animalem non pertineat, efficaciter probatur: nam motus spontē factus à facultate animali procedens fit mediā cognitione & appetitu, & in nobis voluntas habet locum: sed motus cerebri nullatenus est voluntarius, ita ut licet voluerimus, non possimus eum cohibere: ergo non est animalis; siquidem non est in nostra potestate: experimur enim quod etiam si voluerimus motum cerebri cohibere, eodem modo cerebrum moveri, sicut ante talem actum voluntatis: ergo aper-

tè constat eum motum non esse voluntarium ad facultatem animalem pertinentem, sicut motus thoracis, crurum, & brachiorum.

Vndè ad argumenta satisfacimus, & ad prium sumptum ex autoritate Gal. dico motum cerebri vocasse respirationem ob similitudinem in fine scilicet, quia motu cerebri conservatur calor nativus ratione, attractionis aëris & expulsionis fuliginum, sicut in thorace contingit quando movetur, non quia sentire eadem facultate moveri. Accedit quod non tantum propter similitudinem in usu vocavit motum cerebri respirationem quia eodem modo in hoc sensu motus cordis etiam poterat dici respiratio; sed quia per respirationem attrahitur aët ad cerebrum, ac proindè quia motus thoracis confert ad ingressum aëris ad cerebrum; idè potiori ratione quam motus cordis motus cerebri respiratio dicitur.

Ad secundum dicimus, quod ad adorem sentiendum non tantum requiri cerebri motum, sed & maximè conducere conducere motum thoracis & pulmonis: nam cùm ratione illius deferatur aët ad cerebri ventriculos, indè nascitur quod ipse aër simul cum vaporibus odoris ad organum ingreditur, ita ut per os & per palatum mediā respiratione ad nares deferatur; undè benè stat quod licet motus cerebri non sit voluntarius, possumus tamen odorem sentire cùm volumus, ex eo quod respiratio mediā quā aët ingreditur, vapores odoriferos deferens usque ad ventriculos cerebri, sit voluntaria.

Ad confirmationem dicimus, quod ille motus usque ad cranium est per impulsū ab aëre tracto voluntaria inspiratione, ac proindè nihil mirum quod sit in nostra potestate minuere aut augere talem motum.

## C A P U T V I.

*An facultas cerebri sit ejusdem rationis  
cum illa quæ movet cor.*


**L**I C E T utraque facultas ad animam sensitivam speget, & propter eundem finem operetur, nihilominus aliquibus videtur has facultates non esse ejusdem rationis, & probant: nam in modo operandi distinguuntur, utpote cor dilatatione trahit, & compressione expellit: cerebrum autem è contrà dilatione pellit, & compressione trahit. Quod autem hoc ita contingat in cerebro, præterquam quod est expressum Gal. ratione confirmatur: nam dum cerebrum intra calvariam comprimitur, os calvariae semper immobile manet: ergo illud spatium relictum à cerebro dum comprimitur inter illum & calvariam, vel debet esse vacuum, vel aëre debet repleri: Et rursus quando dilatatur usque ad os calvariae per incompossibilitatem duorum corporum, aët debet expelli, ac proindè cerebrum compressione trahit, & dilatatione expellit: ergo non est eadem facultas cum facultate cordis; quæ in modo operandi contrario modo se habet.

Nihilominus contraria sententia vera est, neque contraria doctrinæ Gal. scilicet facultatem cerebri non distingui in specie à facultate cordis. Quod probatur: nam cor & thorax quando moventur, dilatione trahunt, ex eo quod per dilata-

tationem amplior sit arteria & locus thoracis; & sicut spatiū illud corpore aliquo debet repleri, & rursus per compressionem corpus illud attrahit debet expelli ratione incompossibilitatis duorum corporum: ergo similiter eodem modo in cerebro debet contingere; præcipue cùm ad hoc sit ratio congruentia: nam quando aliqua pars pellit medio motui sui præcedente irritatio-ne, potius fugit causam molestantem quasi se comprimendo, quām eam sequantur: ergo quando cerebrum causam molestantem expellit, potius debet se comprimere, ut fugiat illam, quām dilatare ut eam insequeatur.

Præterea: licet concederemus illum modum motū diversum in tractione & expulsione inter cerebrum & cor, non erat sufficiens principium distinctionis specificæ inter prædictas facultates: nam hæ debet distingui per actus proprios & per objecta, non autem per ea quæ accidentaliter se habent, & sunt extrinseca: sed dilatatio & compressio quæ sunt actus prædictarum facultatum eodem modo in illis se habent; nam sunt motus locales ejusdem rationis in utrisque, ut patet ex terminis productis: ergo sunt facultates ejusdem species. Quod autem succedat aër, vel aliud corpus ad replendum vacuum, cùm cerebrum comprimitur, aut dilatatur cor, per accidens est; neque aliquid confert ad diversitatem vel identitatem potentiarum, ac proinde ratio in illa operatione adhuc non habet vim.

Unde Gal. qui pro contraria sententia expressè adducitur etiam in optimo & vero sensu potest interpretari: nam quando dicit cerebrum compressione trahere, & dilatatione expellere, debet intelligi de tractione & expulsione quæ sit per poros cutis & per suturas ossis capitis, non verò de illa quæ sit per nares, aut per os: nam quando cerebrum dilatatur, attrahit aërem per nares, & per os: quando verò comprimitur, expellit, per hujusmodi partes aërem & excrements, ac proinde vera est doctrina Gal. neque contradictionem arguere in ipso existimandum est, ob quod non licet colligere distinctionem specificam inter ambas facultates. Neque contra nostram conclusionem facit quod vitalis facultas sit insita cordi, & in arterias influens; illa verò quæ est in cerebro non habet influxum à corde, quia influxus solum arteriis communicatur, & cerebrum non movetur ad motum arteriarum, sed ex se, quia hæc facultas est insita cerebro, & non indiget influxu à corde communicato ad operandum, ex eo quod ad opus ita præcipuum partem conservans, non erat congruum dependere ab alio ad operandum; unde etiam sit quod hæc virtus quæ cerebrum movetur non communicatur arteriis ibi juxta positis, aut quia remissa est virtus, aut quia vasa non habent communionem cum eo, sed de hoc alibi ex professo.



## CAPUT VII.

*Quæ pars musculi sit elicitiua motus spontanei.*

**E**X dictis in quæstionibus præcedentibus de natura musculi, constat partem organica-  
men esse; cùm autem actio debeat elici à parte aliqua simili, & reliquas præstare usum, ita

ut conducant ut actio fiat. Quod inquirimus in præsenti est quodnam ex his quæ intrant in compositionem musculi, sit à quo acto spontanea dimanat.

Quod clarissimè demonstrabitur si à sufficienti partium enumeratione ex his quæ musculum con-flant incipiamus. Et in primis dicendum nobis est nervum non esse partem quæ per se elicit actionem vel motum. Hæc conclusio est expresa Galen, & ratio ab ipso tradita est, quia nervus substantia nimis mollis est, & sic non est apta ad contractionem ad quam vehementia in instrumento requiritur. Sed quia nimiris flexuosa & obliqua est insertio nervi in musculum, & etiam nimis obliqua, & sic non poterit accommodari contractio ad motum partis.

Dicimus secundò neque tendonem esse immediatam partem elicivam motū: nam in præsenti loquimur & inquirimus partem similiarem elicivam actionis, vel motū, tendo autem est pars dissimilares ex fibris, ligamentis & nervis compacta: ergo ab illa immediatè non procedet actio.

Deinde quia non omnis musculus habet vel terminatur in tendonem: sed omnes musculi mouentur: ergo actio vel motus non immediatè à tendone progreditur. Antecedens patet, quia tendo in os terminatur; constat autem in lingua esse musculos, & nulla sunt ossa in quæ possint terminari: ergo musculi sunt sine tendone, & sic tendo non datur absolutè ad motum, sed ad validiorem & maximum ad quem artus & ossa debent agitari: semper tamen negandum est tendones esse partes immediatas motū elicivas, quia non sunt partes similares, ut diximus.

Dicimus tertiod neque ligamentum posse esse immediatam partem motū elicivam, quia ligamentum non habet sensum: ergo neque virtutem ad movendum. Patet: quia minorem virtutem requiri ad sensum quād ad motum certum est; sed non habent virtutem ad sensum, ut experientia constat: ergo neque ad motum; usus namque ligamentorum ex Gal. solum est se habere veluti funicula ad rectè movendum ne ossa dearticulentur.

Sed contra rationem hujus tertiae conclusio-nis stat argumentum difficile: nam licet in no-stra sententia motivum supponat necessariò sen-sitivum, vel virtutem ad sentiendum, non ta-men est necessarium partem quæ elicativa est motū, tunc sentire vi illius: ergo non optimè infertur, non sentit, ergo non potest esse elicativa motū. Sed si attentè ratio perscrutetur, optimè probat: nam cùm minor virtus requiratur ad sensum quād ad motum, pars quæ caret virtute requisita ad sensum, multò minus mo-vebitur, & hoc significamus quando dicimus, non sentit, ergo non potest esse pars elicativa motū; nam certum est ad motum non esse ne-cessarium quod præcedat sensatio, licet in illa parte requiratur virtus ad sentiendum; ad motum autem localem non requiritur quod præcedat sensatio, sed quod in illa parte sit virtus suffi-ciens ad sentiendum.

His ergo conclusionibus prædictis à sufficienti partium enumeratione nobis manet probatum solum carnem esse partem immediatè elicivam motū, ex his quæ musculi compositionem in-grediuntur, licet alia partes ad usum conducant: nam fibræ nervorum ad deferendam vir-tutem

tutem ad sensum & motum conducunt ; ligamenta , verò ad similitudinem partium : unde apertè constat quod si nervi & ligamenta & fibræ scorpi non sunt elicivæ motus , neque conjunctim debet tali munere gaudere ; quod ex eo quod commisceantur naturam non mutent , ac proinde à sufficienti partium enumeratione manet solum carnem & non quamlibet , sed carnem musculi esse immediatè elicivam motus : nam illa habet omnes conditiones requisitas ad motum ; nam non est ita mollis sicut alia caro , neque ita dura sicut tendones ; undè facile se colligit , laxat , remittit , & trahit . Præterea hæc nostra sententia experimento comprobatur ex eo quod cutis omnium animalium quadrupedum motu spontaneo movetur , non aliter nisi quia constat panniculo , fibris carnosis , undique texto ; cutis verò hominis immobilis est , quia licet panniculus sit nervosus , non tamen carnosus ; cutis verò frontis spontaneè movetur ob rationem dictam .


Sed dices contra nostram conclusionem , quia ex eo nervus non est pars immediate eliciva motus , quia nimis mollis est , sed caro musculi mollar est nervo : ergo propter eandem rationem relegari debet .

Respondet vim habere argumentum apud concedentes cum Gal. ex eo non elicere motum , quia nimis mollis est , tamen ego affirmo ob molliorem ei non denegari productionem immediatam motus : sed esse incapacem ut recipiat ab anima qualitatem motivam ob peculiarem temperamentum , aut ab secundam aliquam qualitatem quæ non potest certè dici , molliores enim non impedit motum , ut patet in cerebro & in externis .



## DISPUTATIO III.

### *De differentiis dolorum.*



## CAPUT PRIMUM.

### *An stupor sit species doloris.*

**E**RATUM in primis in præsenti dubio est , quod sive dolor pertinet ad appetitum , sive ad sensum tactus , cum non habere species nisi ex objecto .

Sed antequam examinemus an stupor sit vera species doloris ex objecto , operæ pretium erit scire quid sit stupor . Et quamvis Gal. afferat esse stuporem insignem refrigerationem , non debet intelligi , ut formaliter sit refrigeratio , sed quod quandoque causatur ex insigni refrigeratione . Similiter dicitur stupor dimidia paralysias , ex quod hæc dicat talam ablationem sensus & motus ; stupor verò non dicit totalem ablationem , sed remissum sensum & motum ; undè sit quod stupor & paralysias solum differant secundum magis & minus .

Sic Avicenni verum stuporem distinctum à paralysi definit *sen 2. lib. 3. tratt. 1. cap. 13. di-* cens , *Stupor est morbus officialis ( id est compositio-* nis ) faciens evenire in sensu tactuali nōcumentum . Ex quo deducitur stuporem symptoma tactus

esse , & per nōcumentum intelligit remissam sensationem .

Quo præsupposito , jam clamat controversia suprà posita an scilicet stupor sit vera species doloris , licet Avicenni numerando species doloris , dolorem stupidum inter eas enumeraret : nihilominus cum Gal. dicendum nobis est stuporem non esse veram speciem doloris ; & duplicitate probatur : Prima sit : stupor est diminuta sensatio & remissa ; quā ratione à paralysi secundum magis & minus distingui diximus ita ut stupor dimidia paralysias vocetur . Sed ad dolorem non sufficit remissa sensatio , sed potius requirit intensam sensationem , ut ex ejus definitione constat , dolor est subita & molesta sensatio subito & affatim corrupta naturam : ergo ad dolorem intensa sensatio requiritur , ac proinde stupor vera doloris species non potest esse .

Sed dices : unus dolor minuit alium ejusdem partis defectu advertentiæ : ergo ex eo quod stupor minuat dolorem non colligitur non esse veram illius speciem .

Respondet diversam esse rationem in utroque casu : nam stupor non tollit dolorem propter operationem aliam ad quam concurrat anima , & minor concursus sit ad dolorem , sed propter diminutum influxum virtutis à cerebro receptæ in parte .

Secundū probatur nostrum placitum , quia si stupor esset vera species doloris , non posset dari stupor , quin daretur dolor , utpote species sine genere implicat dari : sed experientia constat quod si pars aliqua sit stupidæ & applicetur ei objectum tangibile , sensit stupidè & sine dolore ; si verò moveatur , dolet : sed citra motum est sensus stupidus sine dolore ; igitur stupor non est vera doloris species , utpote datur sine illo . Et confirmatur ex Gal. qui in hujus rei confirmationem citat Hipp. lib. 5. aphor. comm. 25. ubi ait . *Stupor mediocris solvit dolorem.* Quibus verbis satis indicare videtur stuporem non esse verum dolorem , cum potius illum solvat . Unde quando Avicennas & Autores stuporem inter species doloris enumerant non loquuntur in rigore quo loquitur Gal. sed enumerant illum in quantum habet peculiarem duplē ad junctam quæ curationem postulat , non quia causa stuporis sit proprium doloris objectum .

Vnde etiam deducimus , stuporem non tantum pertinere ad partes nervosas , verùm etiam reperiiri in partibus carnosis , venis , & arteriis , & partibus cutaneis , & facile ex dictis probatur , quia stupor est diminuta & remissa sensatio : ergo omnibus partibus in quibus inest sensus , potest stupor inveniri , quia potest inveniri sensus remissus : sed non non solum in nervis , verùm in omnibus partibus assignatis invenitur sensus : ergo stupor in illis , & non solum in partibus nervosis reperiatur . Pater hæc ultima consequentia : nam alia quælibet species doloris ad nervos spectabit , quod est contra communem consensum omnium .

Sed dices : stupor à paralysi solum secundum magis & minus differt ; ita ut utraque pars affecta sit eadem in utroque affectu ; sed paralysias ad nervos solum spectat : ergo & stupor .

Respondet stuporem aut posse causari ratione obstructionis impedientis communicationem ad sensum & motum ; & hac ratione primariò nervo competit , & secundariò & per consensum partibus

partibus omnibus sentientibus ; at etiam stupor potest causari ab intensa refrigeratione, quā ratione existere potest primariō in aliis partibus sentientibus , & non in nervo , quia refrigerari potest caro distensa nervo , ac per consequens ejus sensus hebetari , & sic stupor potest causari , & similiter paralysie.

non ita. Ex quo etiam responderetur aperte autoritate Gal. ex 2. lib. ad *Glaucōnem*, ubi in membranis dolorem pulsantem fatetur, loquitur enim de membrana cerebri in qua nos idem fatemur; nam tunc Gal. de dolore capitum sermonem instituebat, & sic de illa loquebatur.

Vnde etiam sit quod in dolore plevritico exquisito non reperiatur dolor pulsans; nam plevra careat arteriis; eas enim habere non fuit opus; nam ventilationem potest pulmo plevræ suo motu tribuere : in plevritide autem notha seu spuria dolor pulsatorius potest contingere, quod Vallesius ut verum putat si inflammatio sit in plevra versus partes posteriores juxta spinam, quia ibi sunt arteriæ prope membranam ad costatum radices, postea submerguntur.

Sed dices : Iuxta dictam doctrinam videtur quod per inflammationem plevræ non sunt pulsus serrans & tensivus : nam si in plevra non inseruntur arteriæ , nou est modus quo communicetur malum reliquis arteriis.

Respondetur arterias habere duas tnnicas, quarum unam recipiunt à plevra; unde non est mirum quod dum hæ inflammatione laborant, tensio in arteriis sit.

Secunda conditio ad dolorem pulsantem est quod pars habeat sensum : nam ad quamcumque partem pertineat dolor , non potest sine sensatione dolor reperiri, ac proinde defectu sensationis in parte, dolor pulsans, neque alius potest reperiri.

Tertia conditio ad dolorem pulsantem est ut inflammetur pars magna inflammatione , sive in ipsis arteriis, aut in partibus sentientibus proximis prædicta inflammatione , nomine inflammationis tantum intelligendo tumorem à sanguine, aut ex bile & abscessum. Et ratio est quia ex prædicta inflammatione calor crescit, ac proinde usū magis aucto , arteria magis dilatatur ; quo fit ut pars ei proxima comprimitur magis quod arteria magis dilatatur , & sic dolor pulsans sentitur, nam pars inflammata extendit & occupat locum arteriarum ut potè ratione inflammationis majorem locum quam naturalem debet occupare pars , & sic proximior est arteriæ quam quando est in statu naturali.

Sed dices contra dicta: quia idē solū ex tumorē factō ex sanguine, aut ex erysipelate potest fieri dolor pulsans (cæteris requisitis ad tales dolores positis) quia ratione horum tumorum usus augetur, & arteriæ magis dilatantur, ac proinde partes inflammatae comprimitur, unde dolor resultat, ut dictum est. Sed similiter ex tumorē cœdemoso aut scirrhoso si cum febre conjugantur, augetur usus : ergo etiam in partibus scirrho aut cœdemente laborantibus, cæteris requisitis positis , erit dolor pulsans.

Respondetur doctrinam Gal. esse verissimam: nam ille solū ostendit tumores vi quorum dolor pulsans reperitur , juxta quod solū illi qui sunt ex humore calido sunt sufficiētes, ut vi illorum crescat usus, & arteria magis dilatetur, ac proinde pars inflammata comprimitur , & fiat dolor: at vero in tumoribus frigidis potius si vim eorum attendamus, diminuunt usum , ac proinde licet si conjugantur cum febre , fit dolor pulsans in partibus, prædictis tumoribus frigidis laborantibus, hoc tamen non est vi prædictarum inflammationum , & sic doctrina Gal. vera semper manet. Vnde clare intelligitur quare dum inflammatio tendit in suppurationem dolores pulsantes

## C A P V T II.

### *De doloris pulsantis natura.*

**E**R TU M in primis in hoc dubio est, dari dolorem pulsantem , in quo si attendamus objectum sensibile proprium quod sentitur, etiam est certum non esse veram speciem doloris, specie ab aliis distinctam solū : ergo ab aliis distinguitur, quia habet peculiarem modum sui præter commune sensibile : nam si pars inflammata comprimitur motu arteriarum , sentitur ab ipsa qualitas arteriæ qua sit durities , simul cum motu , quæ omnia latius patebunt. Est ergo dolor pulsans ille qui sit cum pulsatione : ad quem tres conditions reperiri censeo. Prima est quod pars quæ sentit dolorem, habeat arterias (intelligendo nomine arteriosi corporis non solum arterias , sed etiam cor ) nam cum ad tales dolorem requiratur pulsatio ; & hæc solū ab arteriis & corde fiat, constat non reperiri tales dolorem in parte arteriosi corporis ex per se.

Sed dices posse esse dolorem pulsantem in parte quæ non habeat arterias : nam si membrana cerebri inflammetur quæ valde sensibilis est, non est dubium quod per motum pulsantem cerebri (qui licet habeat arterias, non ratione illarum, sed à se movetur , ut supra diximus) comprimetur & dolebit simul cum pulsatione : ergo potest dari dolor pulsans in parte quæ neque habeat arterias , nec sit juxta cor.

Resp. optimè probare argumentū si in prædicto casu non esset impedimentum pro prædicto symptomate, scilicet pro dolore: nam in prædicto casu cerebrum laboraret phrenitide, ex eo quod ejus membrana esset inflammata, quo fieret ut propter mentis alienationem non sentiret causam doloris, secūs autem non posset negari in dicta parte dolor pulsans , & hanc partem propter infrequentiam fuisse à Gal. prætermisso arbitramur, ac proinde commotione cerebri etiam pulsantem dolorem posse causari, quia etiā est verè pulsans, & non aliud requiritur ad prædictum dolorem.

Vnde fit arterias unicuique parti distribui prout opus erat ad ventilationem & conservationem calorū nativi, ac proinde in illis partibus quæ suā naturā sunt frigidæ , ut ossa & membranæ quædam, non sunt arteriæ, ut potè nō est finis ad quem deserviat, ac proinde in illis dolor pulsatorius haudquam reperiri poterit: inter membranas autem excipitur , membrana cerebri quæ tenuis meninx dicitur, quæ pluribus arteriis abūdat, non propter suam natūram, sed propter cerebrum; nam cum cerebri substantia valde mollis sit, non potuerunt tot vasa tñto per ipsam disseminari; nam haberent sedem infirmam, ac proinde per cerebri membranam arterias deservientes cerebro disseminari fuit opus , ex quo aperte colligitur quod quando prædicta membrana inflammatione laboret, dolerat pulsatorio ; cæteræ autem membranæ

pulsantes crescent, quia dum suppurantur, crescit calor, juxta Hipp. 2. aphor. text. 47. *Dum pus conficitur, dolores & febres sunt majores*: ac proinde dilatatio fit major, & etiam tumor; nam vi majoris caloris humor liquatur, & occupat majorem locum.

Sed dices: videtur quod dolor pulsans sine inflammatione possit contingere, quia optimè potest contingere ut pars proxima arteriæ propter ingentem distemperiem possit dolore affici, & cum pulsatione: nam cùm proxima arteriæ fit, sine dubio pulsatio sentiretur: ergo erit dolor pulsans absque inflammatione.

Respondet verum esse in prædicta parte esse dolorem propter urgentem distemperiem, tamen dolor non excitatur vi motus arteriarum quæ proximæ sunt parti: nostra tamen doctrina solù procedit de dolore pulsante excitato & causato vi motus arteriæ & sic nihil probat argumentū.

Præterea, quia non est omnino certum partem proximam inflammatione non laborantem sentire motum arteriæ, licet dolore afficiatur, quia quando partes in benè valentibus, non sunt magis quam pro natura applicatae, non sentit vicina pulsationem arteriæ, approximatæ suo tactu, ac proinde, licet in parte sit dolor, quia non est magis applicata quam pro natura, non sentitur arteriæ, neque pulsatio: quando autem pars est inflammata, occupat majorem locum, & est magis applicata quam pro natura debetur. Et licet per ingentem distemperiem calidam potest crescere usus, & arteria magis dilatari, licet tunc sentiatur in parte proxima pulsatio, tamen dolor in illa parte non excitabitur, ex vi motus arteriæ, sed propter distemperiem solventem continuatum partis.

Tandem concludimus, dolorem pulsantem reperiri quando arteria secundariò afficitur, ex eo præcisè quod pars proxima arteriæ inflammationem patiatur: nam ratione distensionis majoris quæ est in parte inflammata & crescit calor, & dilatatio fit major, undè pars comprimitur, & medio motu sentit qualitatem arteriæ, & sic pulsativus dolor est in illa. Similiter dolor pulsans invenitur quando arteria primariò afficitur, hoc est quando arteria inflammationem patitur, tunc enim pars quæ sentit dolorem, est ipsa caro, vel quælibet alia pars ei proxima: nam cùm inflammatæ sit & distensa arteria, sit proximior aliis partibus quam quædo est in statu naturali, & sic pulsatio sentitur à carne arteriam circumdante. Vel etiam possumus dicere quod quando ipsa arteria est inflammata, sentitur aliquid, quia arteria comprimitur à corpore circumstante: nam arteria propter usum auctum, nimis dilatatur, & sentit qualitatem corporis comprimentis.

### C A P U T III.

#### *De dolore gravante, & tensivo.*

**A**R I verum dolorem gravantem nulli dubium est, eumque talem dici juxta denominationem ab objecto quod sentitur, scilicet à pondere & gravitate, & ab omnibus conceditur libenter: itaque pars ratione ponderis & gravitatis quod sentit, comprimitur & dolet ex eo quod alias partes separantur, & solutio cōtinui fit; unde ad sensum tactus pertinere perceptio nem ponderis & gravitatis planè conspicuum est.

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

Hunc dolorem asserit Gal. reperiri in jecore, liene, & pulmone: sed examinare oportet an prædictus dolor gravans, solùm inveniatur in membranis circumvolventibus tales substantias numeratas, an etiam possit reperi in ipsis substantiis. Circa quod videtur quod in superficie extima dictarum partium reperiatur dolot gravans, licet non in partibus profundioribus; & probant ratione desumpta ab autoritate Avicen. & ex aliis quampluribus gravissimis autoribus affirmantibus quod cùm extimæ vel superficiales partes prædictarum substantiarū sint disseminatae membranis & nervis, mediis quibus communicatur virtus ad sensum; unde est quod hujusmodi partes sentiant dolorem gravantem ratione virtutis communicatae per nervos & membranas prædictas partes circumvolentes: Cùm autem per intimas partes nervi non inserantur, solùm in partibus superficialibus & extimis concedunt sensum, ac per consequens prædictum dolorem gravantem, & alios.

Sed contra istam rationem & modum philosophandi sic argumentor, quia per superficiem intelligunt isti Autores partem illam extimam superficialem & externam quæ ejusdem rationis debet esse cum aliis partibus intimis prædictarum partium; ergo illa pars idem temperamentum, & eandem virtutem debet habere ac cæteræ, siquidem ab eadem anima informatur omnes & eodem modo: ergo si pars illa exigua habet potentiam animæ sentiendi, nempè tactum: ergo tota illa caro talem potentiam debet habere: nam facultates & virtutes prædictarum partium ab anima per modum resultantis procedunt, & non per nervos derivantur, & communicantur, ut suo loco dicimus. Etsi in tota substantia prædicta facultas sentiendi invenitur, cur non disseminantur nervi per totam, mediis quibus communicetur vis sentiendi. Vnde quando prædicti Autores docent in superficie sensum reperiri, loquuntur planè de membranis circumvolvētibus prædictas partes, in quibus verū sensum reperitur, & per consequens dolor gravans in solis membranis reperitur, quia solæ membranæ sentiunt pondus & gravitatem.

Et ita nobis dicendum est in carne harum partium non esse sensum, neque adhuc extimam partem habere aliquos nervos, mediis quibus virtus ad sensum ei communicetur. Quæ conclusio licet probata sit ex professo disp. 47.c.2. quantum attinet ad præsens probatur ex Gal. lib. 2. de locis aff. c.2. ubi ait. *Quare neque in hepate, neque in rebus unquam hujusmodi pulsatio appetit, quoniam neque in illis nervi per tota viscera disperguntur.* Quibus verbis planè veritas nostræ conclusionis elucidata manet. Et quamvis quis poterat respondere, per verba dicta solùm probari per tota viscera non esse nervos, non tamen per aliquam partem, ut dicebant Contrarij de extima; tamen contra est, quia jam diximus quod si in aliqua parte carnis prædictarum partium sunt nervi, etiam in tota debeant esse, cùm non sit major ratio unius quam alterius. Et confirmatur nostrum placitum ex Avicenn. *loco suprà citato*, ubi dicit quod prædictæ partes non sentiunt, nisi per panniculum super eas existentem, quod est membrana.

Tandem de dolore tensivo breviter dicendum est. Dicitur autem talis ab extensione, cùm pars quæ ita afficitur ad suas trahitur extremitates, reperiturque in qualibet parte sentiente, quæ tensionem pati potest, licet Gal. in nervo & musculo

N n

reperiri

reperiiri affirmet, & cum illo Avicen. tamen id non dixerunt quia solum in nervo & musculo latis dolor reperiatur, sed quia praedictae partes magis accommodatae sunt ad motum, & ad extensionem enumeratae sunt. Sententia Avicennæ ita se habet. *Extensis doloris causa est ventositas, aut humor qui nervum, aut musculum extendit, ac si ipsum ad suas trahat extremitates.* Ubi solum posuit exemplum in praedictis partibus, quia aptiores ad extensionem, non quia in aliis partibus reperiatur dolor tensivus, & de objecto sensibili in hoc dolore dicendum breviter est qualitatem aliquam existentem à corpore tendente sentiri, de quo latius postea dicemus.

ergo mordacitas qualitas ab illis distincta est. Præterea contra doctrinam & fundamentum contrariorum sic argumentor, quia species sensibilis repræsentans calorem aut frigus eadem est secundum naturam, sive solvat continuum, sive non: sed quando non est solutio continua per sensationem caloris & frigoris, mediis suis speciebus non sentitur mordacitas: ergo neque quando est solutio continua debet sentiri mordacitas.

Respondebis deficiente solutione continua deficit conditionem quandam necessariam ut mordacitas sentiatur, ac proinde ea deficiente, licet sit eadem species repræsentans primas qualitates, non sentitur mordacitas. Tamen contra sic insurgo: nam omne quod sentitur se debebat habere ex parte conditionis, & non ex parte organi: sed mordacitas vera sentitur: ergo nihil refert quod præcedat solutio continua quæ se habet ex parte organi ad hoc ut mordacitas quæ se habere debet ex parte objecti sentiatur. Denique quia solutio continua solvit ut cum dolore fiat sensatio: ergo non facit quod mordacitas sentiatur, nā ea secunda qualitas est valde distincta à primis.

Unde Gal. non est contrarius nostræ sententiae: nam ipse non determinat an mordacitas sit qualitas diversa à primis, vel non diversa; sed solum dicit quod calor & frigus inducunt sensum mordacitatis continuum solvendo cum dolore; quod totum est verum, etiam si mordacitas sit qualitas distincta à primis, quia semper ab eis debet dimanare.

## C A P U T I V .

### *De Dolore mordaci.*

**E**R T U M primò est dolorem mordacitatem dici sicut cæteri dolores ratione diversi objecti quod percipitur, ac proinde mordicans dolor dicitur in quo qualitas mordicans, vel mordacitas sentitur, quæ nullo alio exemplo potest explicari nisi ex similitudine illius doloris qui reperitur in parte exulcerata carnosa, quando medicamentum acre impositum est.

Sed quod est difficilius apud omnes, est utrum hæc mordacitas quæ sentitur in praedicto dolore sit diversa à calore & frigore. Circa quod si attendamus Gal. lib. 4. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. 2. facile inveniemus mordacitatem non esse distinctam à calore & frigore: nam prædicto c. ait. *Calorem & frigus solvendo continuum inferre sensum mordacitatis; calor enim laxat, funditque, frigus verè densat: tamen istæ peculiares rationes solutionis continuae.* Ex quibus verbis aperte constat in dolore mordaci non qualitatem distinctam sentiri, sed calorem & frigus continuum solventibus.

Vallesius tamen cum sentiat calorem & frigus dolorem causare absque solutione continua, ita verba Gal. explicat ut dicat Gal. non dixisse calorem & frigore nos non dolere nisi solutione continua, sed non morderi nisi solutione continua ait, ac proinde ait Vallesius, licet fiat dolor absolute sine solutione continua, non tamen fiat dolor mordax sine praedicta solutione, ac proinde mordacitas non est qualitas distincta à calore & frigore continuum solventibus.

Neque valet dicere contra hoc, quod tactus qui circa proprium sensibile non errat, aliter sentire calorem & frigus, & aliter mordacitatem judicare, quia facile quis potest respondere sentire solum calorem & frigus, quando non perniunt ad tantam intensionem quam requiritur ut solvatur continuum, & sentiatur mordacitas, ac proinde aliter sentit tactus calorem & frigus quando non solvit continuum, quia sentit sine mordacitate hujusmodi qualitates: at vero quando sentit eas in intensione sufficienti ad solutionem continua, aliter sentiuntur, nam tunc mordacitas sentitur.

Sed verior sententia est mordacitatem esse qualitatem secundam diversam à prima, veréque tangibilem qualitatem esse propriam speciem. Et probatur quia tactus sentit mordacitatem, & intellectus non judicat eam esse calorem aut frigus:

## C A P V T V .

### *De Doloris speciebus, & an sint aliae species, aut modi doloris prædictos.*

**F**AQ<sup>UE</sup>NTIAM examinemus an sint ponendæ & assignandæ aliae species doloris, aliquid de hemodia dicendum est. Et quidem de hemodia satis constat ex doctrina dicta cap. de Stupore, non esse veram speciem doloris, nam potius symptoma sensus tactus diminutæ sensationis est, ac proinde sicut stupor inter species doloris non enumeratur, sic & hemodia: nam etiam hæc in diminuta sensatione gingivarum & dentium consistit; certum enim est in aliis partibus hemodiæ (*Hispanis dentera*) in aliis partibus præterquam in ore non reperiiri; si autem diminuta sensatio in qualibet alia sentiente parte reperiatur, potius stupore dicetur quam hemodiæ laborare.

Sed duo videntur examine digna circa hemodiæ. Primum est quod sit objectum quod in hoc affectu sentitur. Ad quod facile Respondebitur dicendo quod cum hemodia frequenter contingat postquam quis acerba & acida ederit, nihil in praedicto affectu sentiatur præter has qualitates.

Sed difficilius est secundum dubium, scilicet quid sit, à quo minatur vis sentiendi in praedicto affectu. Et primò videtur quod non sit frigiditas rei acidæ aut acerbæ: nam plures sunt res aliae frigidiores quæ licet ore & dentibus tractentur, non faciant hemodiæ: ergo à frigiditate illa non potest diminutio sensus causari. Neque etiam causatur hæc diminutio ab aciditate, quia hæc non est activa: ergo deinde quod à frigiditate

frigiditate non causetur, rursus probatur, quia si ab ea causaretur, non tolleretur hujusmodi affectus portulacæ quæ planta frigida est in tertio gradu: atqui ut remedium infallibile à Paulo adducitur: ergo ex eo est quia hemodia non causetur à frigiditate: nam aliæ potius portulaca augeret affectum quam illum tolleret: ergo.

Aristoteles autem circa hoc dubium affirmat aliquid tenue rei acidæ vel acerbæ detineri in gingivis quod vi salis quæ liquefacit traditur, & vi portulacæ humectatur & illius lentore acor & aciditas educitur; sal enim & portulaca parafissima remedia ad hemodiā auferendam sunt. Sed quod ista diminuta sentatio non contingat ex eo quod partes tenues rei acidæ in gingivis detineantur, probatur, quia per solam juxtapositionem rei acidæ non causetur hemodia, sed oportet aliquid recipi intrinsecè in parte sentiente: quid autem hoc sit quærimus, et si sciamus optimè extractione rei acidæ hemodiā tolli.

Alij dixerunt hemodiā aut diminutionem sensū causari ex eo quod communicationem influxū ad sensum valet impeditre: impeditur autem influxū receptio à frigore & acidis rebus in quantum hæc replendo exiguae cavitates & poros impedimentum dentibus sunt ad sentiendum. Tamen contra est quia plura alia sunt quæ possunt replere poros præter acidā, & tamen ab illis hemodia non causetur: ergo. Præterea quia vis ad sensum non communicatur per poros: ergo licet repleant poros res acidæ, non ob indè receptionem influxū ad sensum impident.

Sed his non obstantibus, vera sententia sit, res acidæ & acerbæ hemodiā & remissam sensationem causare; quia esu acidorum & acerborum partes sentientes inæqualiter excitantur, ac proindè comprimuntur, & deficit sensus: ad quod etiam juvat frigiditas rei acidæ, quia etiam ratione illius comprimitur nervus, undè portulaca licet frigida sit, auxilium ad hunc affectum est: nam non juvat per alterationem à sua frigiditate factam, sed suo lentore, ut suprà dictum est. Ab aliis autem rebus solum frigidis quandoque posse hemodiā causari, licet non ita frequenter ac ab acidis, certissimum est, & experientia id manifestat, in his autem aliām causam à fortiori assignare debemus.

Deinde quod reperiatur dolor pungens etiam est certissimum, & dicitur ille sumptuā denominatione à punctura: nam in eo afficit pars per modum cuspidis. Talis dolor secundum Galen. & Avicennam, solum convenient membranis, & à solo humore tenui causatur, ut potè ille per modum pungentis solum afficit partem, ac proindè in inflammationibus ab aliis humoribus causatis difficile in membranis dolor pungens causatur, aut nunquam: nam propter earum densitatem difficultè ab humore inflammationem caufante penetrantur. Undè negari non potest quod si pars carnosa acu pungatur, in ea sit dolor pungens. Solum ergo est sermo noster dum dicimus solum in membranis reperiri, & dum pars inflamata ab illo humore inflammationem caufante, membranam dolorem pungentem non posse pati, quia ob ejus densitatem, non potest penetrari ab illo humore.


Alia nomina ab Archigene assignata quæ potius qualitates ad gustum pertinentia denotant, & tamen ille tanquam diversi dolores constituentes adducit: ramen licet quoad hoc à

Galen. reprehendatur, possunt in optimo sensu interpretari. Et quidem una ex speciebus quæ ab Archigene numeratur, est dolor *Holcimos*, id est tractorius dicitur, quia pars aliqua versus affectum trahitur, ut in quadam specie pleuritis dolor usque ad jugulum trahitur & sentitur. Secunda in ordine species tradita, est dolor adstringens, nomine cuius intelligit dolorem angentem & in angustias mittentem: sic enim effectus adstringentium est coarctare & unire rem, & iste dolor ab Avicenna compressivus dicitur. Alius dolor dicitur dulcis, non quia proprie talis sit; nam qualitas propria gustus est, sed dicitur dulcis, quia ad eum sequitur aliqua voluptas, ut in expulsione arenæ. Vnde horum dolorum & aliorum (quos omitto ne fatidiosi appearant, & quia parvi momenti ad curationem sunt), propria cognitio potest esse in Medico, ex his quæ ab ægrotis dicuntur; cognitio enim, ex ægri notitia multoties nascitur. Et hæc de hac disputatione sufficient.



## DISPUTATIO IV.

*De Somno, & Vigilia.*



## CAPUT PRIMUM.

*Quid nomine Somni & Vigiliæ intelligatur, & ad quam partem animæ spectent.*



T omnia quæ infra dicenda sunt de soporiferis affectionibus planè intelligentur, operæ pretium in præsenti fuit speciale de somno & vigilia Disputationem enodare. Ad quod primum de quo scientia haberi debet, est, quid sit Somnus & Vigilia; secundum ad quam partem animæ spectet. Circa primum, Fracastorius lib. 2. de intellect. folio 140. ait, tunc animal dici vigilare cum sentit aut stat, & motus exercet voluntarios; id est, quando animal est in eo statu ut sine impedimento possit operari hujusmodi opera sentiendi, & tunc ait, animal dormit quando cessat ab opere sentiendi & movendi, ita ut careat prædicta dispositione requisita ad operandum, dummodo hoc non sit propter causam morbosam à qua solet impediti in sensibus externis actio. Cum Fracastorio consentit Aristoteles lib. 3. anim. cap. 2. ubi dicit, *Somnus similis est operationi vacanti, vigilia vero contemplationi.* Et Avic. fen. 2. lib. 1. doctr. 2. cap. 13. ubi dicit, *Somnus quieti vehementer existit similis, & vigilia valde sunt motui similes.* In prædicta ergo doctrina videntur omnes convenire; ita tamen intelligenda est ut nomine somni non intelligamus cessationem ab operatione omnium sensuum; nam certum est, si de internis sensibus loquamur, inter dormiendum, aliquos operari, ut imaginativa, vel estimativa, aut aliqua alia. De externis sensibus etiam est certum; nam experientia constat, & quampluribus Aristotelis testimoniis, plures homines inter dor-

miendum ambulare, & videre: igitur nomine somni non debet intelligi cessatio ab opere omnium sensuum, cum plures tam interni quam externi vigilent. Ob quod meritò somnum dividitur in perfectum in quo omnes operationes sensuum externalium cessant, & in imperfectum, in quo aliquæ tantum; prior vocatur simpliciter somnus, quia omnimodo opponitur vigilia; posterior secundum quid dicitur, quia non omnino opponitur vigilia.

Si autem queratur aliquis unde proveniat quod in ter dormendum aliqui sensus sint ligati, & aliqui non, ita ut illi non possint operari, & isti possint? Facile respondebimus, dicendo corpus cerebri esse quatum & extensum à quo diversi nervi ramificantur, & in particularia organa secundum restitutionem tendunt; unde cum mediis nervis virtus ad sensum & motum cuicunque sensui communicetur, fieri optimè potest, ut causa quae impedit communicationem spiritus, aut virtutis, intercipiat magis secundum unam viam quam secundum aliam, ac proinde sensus cuius via intercipitur aliquo corpore impediens communicationem, dormiet, & sensus cuius via non sit impedita ut virtus communicetur, vigilabit.

Secundum dubium est ad quam partem animæ somnus & vigilia pertineat. Et breviter dicendum est ad partem sensitivam spectare; nam ad eandem partem ad quam spectat habitus, debet spectare privatio; sic visus & cæcitas ad oculum spectat: sed somnus & vigilia se habent ut privatio & habitus: ergo ad eandem partem spectare debent, & tunc vigilare dicitur animal, ut supra diximus, dum perfectè sentit, & tunc dormit, quando cessat ab illa operatione; constat autem prædicatum sentiendi ad animam sensitivam pertinere: ergo si vigilia ad eam pertinet, ejus privatio, somnus scilicet, ad eandem partem animæ pertinere debet.

Ad vegetativam animam spectare non possunt, cum in plantis somnus non reperiatur: nam in his cessat finis somni; liquidem institutus est, ut infra dicemus, ut recuperentur vires desperitæ ex defatigatione vigiliæ: cum autem plantæ non defatigentur in suis operibus, non indigent somno ad earum recuperationem, præcipue cum non consumantur spiritus, & in actionibus animalibus quamplurimi consumantur, ac proinde solum ad partem sensitivam somnus & vigilia pertinent.


Sed dices: etiam motu à facultate vitali procedente consumuntur spiritus sine dubio; ergo est sufficiens finis ad somnum, & sic ad facultatem vitalem poterit pertinere, quod est planè falsissimum; cum videamus motum cordis & arteriarum eodem modo fieri inter dormendum quam inter vigilandum.

Respondet resolutio spirituum factam vi motu facultatis vitalis, sufficienter reparari quietibus, & intermissionibus illis brevibus quæ in motu arteriarum & cordis reperiuntur, & sic ad hujusmodi finem non erat necessarium dormire; resolutio autem & defatigatio quæ in facultatibus sentientibus, reperitur somno solum reparari potest, & sic ad partem sensitivam spectat: unde planè deducimus omnibus sentientibus somnum convenire, quia in omnibus est sufficiens finis, scilicet virium resolutio inter vigilandum: ergo omnibus reparatio debet convenire quæ non nisi per somnum fieri potest: ergo omnibus sentientibus competit.

Sed interrogabit aliquis, quid conveniat prius animali, postquam foetus adquisivit sensum, vigilia an somnus; ita ut dicamus foetum immedieate post acquisitionem gradus sensitivi, id est, animæ, dormire necessariò, an primò vigilare.

Ad quod supponendum est quod licet somnus & vigilia privativa oppositione contrariantur solum, nihilominus de privatione ad habitum potest aliquis transire, sicut aer transit de privatione lucis, hoc est de tenebris ad lucem, ita ut quando Aristoteles negat transitum de privatione ad habitum, intelligi debet ad eandem formam, vel habitum numero, non vero de privatione ad habitum, vel formam eandem in specie.

Hoc ergo supposito, solum probabilis ratio potest assignari, ob quod foetus in primo esse seu acquisitionis sensus, vel animæ sensitivæ dormiat, & non vigilat, quia scilicet pueri maxima humiditate naturali & debita pro illa ætate laborant, à qua ita afficitur cerebrum, ut dormiat, ex eo quod sit impedimentum descensui facultatis ad organa sensus, ac proinde primò dormiet; hac tamen ratione non poterat quis convinci, sicut non potest etiam probari efficaciter, quod primò sentiat & vigilat.



## C A P U T I I.

*An aliquis somnus sit naturalis.*

**V**I D E T U R quod nullus somnus sit naturalis, quia somnus ponitur ab omnibus Medicis & enumeratur inter res non naturales, id est, quæ medium habent naturam inter naturales & contra naturam: ergo nullus somnus potest esse naturalis, quia ex se semper se habet, ex per se rerum non naturalium juxta communem consensum.

Sed nihilominus si stemus his quæ diximus in parte naturali, dicendum est somnum in duo membra dividere, in naturalem scilicet & contra naturam, ibi namque diximus quot modis aliquid potest dici secundum naturam, ex quo non erit difficile colligere quomodo somnus dicatur secundum naturam, aut naturalis, & quomodo contra naturam, aut præternaturalis. Et primò dicendum est quod ille somnus dicetur secundum naturam ex parte finis qui maximam utilitatem & commodum afferat animali ad distinctionem somni qui in lethargo reperitur qui contra naturam dicitur, quia conduceat ad noxam & laesio nem viventis. Deinde etiam dicetur somnus naturalis, vel secundum naturam ille qui fit à causis naturalibus & inevitabilibus, & secundum naturalem ordinem operantibus, & secundum moderationem rationem. His consentit Gal. 2. lib. aphor. comm. 3. qui dicit illum somnum esse naturalem qui fit in corpore sano, & mediocris est & à moderatis causis procedens, utilis animali.

Sed notandum est non solum attendi rationem naturalis, aut præternaturalis in somno ex duratione, sed ex eo quod facilè aut difficilè excitetur, ita ut si facilè excitetur, naturalis dicatur, quia indicium est causam ejus esse naturalem; si autem difficile, contra naturam dicitur, quia sequitur causam morbosam.

Unde ea quæ in contrarium sunt posita facile solvuntur. Ad illud dicimus verum esse somnum inter res nonnaturales ab omnibus enumerari, tamen in ea acceptione non dici à nobis aliquem somnum naturalem, sed aliquo ex modis supra dictis.

Neque obstat fieri ad reparandos spiritus amissos, quia etiam nutritio naturalis est, & fit ad reparationem substantiae deperditæ.

## CAPUT III.

### In quo consistat natura & essentia somni.

**A**RISTOTELIS per verba sequentia definit somnum: *Est quadam sensitiva partis affectio, quasi copula & immobilitas, facta ex vaporibus elevatis ad caput ex alimento quod in ventriculo coquitur, concretisque in cerebro, propter reparationem deperditæ. Quibus verbis genus clauditur, pars affecta, vel in qua sit, modus generationis ejus, & finis: quæ omnia sigillatim examinanda. Et quidem juxta Philosophum in praesentia genus videatur esse in prædicta definitione affectionem, vinculum seu immobilitatem, aut impotentiam, si intelligantur privativæ, quia somnus nihil aliud est, quam privatio vigilie, & sic nomine illorum verborum intelligit genus, quatenus per illam immobilitatem, vinculum, & impotentiam, vigilie privantur.*

Sed Argenterio videtur contra Aristotelem in hac re somnum ullatenus per impotentiam sensus esse definiendum, imò potius somnum & impotentiam sensus esse effectivum, alterum alterius ait, *Aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus: ergo ex his verbis clarè colligitur somnum non esse impotentiam, sed eam causare & ab ea causari, ac proinde per impotentiam definiri nequit. Ulterius, quia in somno naturali partes non privantur totaliter descensu virtutis à cerebro, sed potius aliqua objecta sentiuntur: ergo non rectè definitur per impotentiam sentiendi.*

Nobis tamen dicendum est somnum formaliter in privatione consistere. Quæ sententia non solum tuetur ab Aristotele loco supra citato, sed lib. 2. ethicorum per sequentia verba: *Somnus est vita otium, non operatio. Et scilicet 6. problematum, reddens rationem propter quam quando ex parte dextra cubamus, somnus magis accidit; dicit id fieri quia somnus privatio motionis est. Et Paulus lib. 1. cap. 97. dicit, somnus virium animalium, ut ita dicam, requies est. Et tandem nostram comprobat sententiam communis hominum consensus, qui nomine somni solam privationem & cessationem operationis intelligunt; ita ut reliqua quæ in ipso somno reperiuntur, aut habent rationem causæ, aut effectus; ita ut quandoque penes respectum ad causam aut effectum à pluribus, definiatur; & inde fallacia & prava intelligentia circa somni formalitatem investigandam nascitur.*

Unde Argenterius quando dicit, *Aut enim propter impotentiam dormimus, aut propter somnum impotentes sumus*, nomine impotentiae non intelligere privationem operationis sensitivæ, sed id quod tanquam causa præcedit: nam ex eo quod

partes sentientes redduntur inepta ad sua opera propter defectum virtutis quæ debuit principio communicari, eo ipso redduntur impotentes propter dispositionem cerebri, & hæc impotentia est quæ est causa antecedens somni & privationis, & hæc dicitur ab Argenterio effectiva, non in rigore, sed quia impedit illud quod ad operandum se tenebat ex parte efficientis, ac proinde illa impotentia non est somnus formaliter, sed privatio, cuius causa est potentia prædicta. Unde sicut cæcitas formaliter non est privatio dispositionis per quam videt oculus, sed privatio visionis; somnus non est privatio illius dispositionis per quam partes privantur sensu & motu, sed formaliter somnus est privatio operationum sensitivarum. Unde deducimus Aristotelem nomine impotentiae aut immobilitatis privationem intelligere: Argenterium autem minimè. Neque mirum erat Aristotelem definire somnum per id quod habet rationem causæ, ut millies fecit, quia novum judicabat ad intelligendum somni essentiam. Ulterius deducimus somnum non esse privationem totalem per defectum influxus omnino, sed quia deficit influxus perfectus, & dicitur in definitione partis sensitivæ esse defectum, quia somnus ad eam partem animæ diximus pertinere, ita ut primò & per se non sit affectio cuiuslibet sensus in particulari, sed illius partis à qua in omnes communicatur, & omnes partes recipientes per consensum dicuntur affectæ, ex eo quod non communicetur illis virtus à parte primariæ affecta; quænam autem hæc sit, postea dicemus.

Fracastorius dixit somnum esse cessationem operationis non per impotentiam, sed quia melius & suavius judicat animam quiescere quam moveri; sed prædictus Autor videtur loqui de applicatione animæ ad somnum naturalem, quia judicat tunc esse conveniens quiescere, & non movere, non de ipsa formalitate somni, quæ applicatio, privationis operationum est causa, & de hac applicatione loquitur quādō dicit non esse impotentiam somnum, & quod formaliter loquendo etiam nos concedimus, etiam concedendo quod in sensibus externis, & in ipso cerebro esse impotentiam; in illis quia carent influxu requisito ad sensum & motum, & in isto quia virtutem non potest communicare; semper tamen hæc impotentia rationem causæ somni, & non rationem formalem habet.

Unde ad prædictam applicationem dicimus esse necessariam alicujus sensus externi cognitionem tactus scilicet: nam quando somnus causatur ex vaporibus elevatis ad caput, sentitur aliqua molestia ob quam applicamur ad somnum: similiter quando causatur propter resolutionē spirituum, etiam sentitur molestia membrorum per pondus, ac proinde tactus sensatio præcedit ante applicationem ad somnum. Et licet applicatio sit voluntaria, nihilominus dependet tanquam ab excitante ab aliqua molestia sensata & cognita per tactum, ac proinde eâ positâ applicamur ad somnum; si autem sint alia causæ somni naturalis, infra videbimus, et si sint, an contingat & præcedat ad illas talis sensatio.

## C A P U T I V.

*Quis modus sit quo fit somnus, & à qua causa immediata.*

**E**X definitione somni *quaestione precedenti* ab Aristotele ablata, facile constat quomodo fiat somnus juxta ipsum: ait enim Aristoteles somnum fieri ex eo quod vapores ex alimento quod in ventriculo coquuntur eleventur ad caput, ibique concrescant, non aliter quam vapores qui elevati sunt ab aqua calore solis in media aëris regione concrescent; quo fit ut ratione vaporis impediatur communicatio virtutis ad sensum & motum, & inde somnus eveniat.

Neque mirum est concretionem fieri à cerebro, licet non habeat frigiditatem supra calorem excedentem, quia sufficit quod cerebrum minus calidum sit quam vapores, ut concretio fiat, ut contingit in operculo testæ, quod licet adeo calidum sit ut comburat digitum tangentem, nihilominus quia minus calidum est quam vapores qui ex testa elevantur, in eo concrescent: Quid ergo mirum quod idem contingat in cerebro? Unde fit quod frequenter, & præcipue inter dormiendum per nares & palatum excrementa aquosa expellantur, nimis quia in somno vapores qui elevantur, concrescent, & per illas vias expelluntur.

Sed dices, quod vapor ille qui concrescit, à cerebro non potest habere majorem frigiditatem quam cerebrum: si quidem ab eo illam participat, neque quod eam à propria forma potest habere per resultantiam, quia adeo causa calefaciens scilicet cerebrum, quod licet magis calidum infrigidat, magis frigidum calefacit, ac proinde vapores concreti non causabunt somnum: siquidem majorem frigiditatem quam cerebrum habere non possunt. Sed in doctrina & modo philosophandi Aristotelis manifesta est responsio: nam verum est à vaporibus concretis non refrigerari cerebrum: sed potest concretionem defrere cerebrum, descendereque ad inferiora & refrigerare partem in qua juxta illum fit somnus quam calidior est.

Sed hæc Aristotelis sententia impugnatur ab Argerentio ex eo quod licet in ea verum dicar, non tamen assignat causam universalem somni: nam in lassitudine contracta propter immodicum exercitium aliquibus, somnum contingit: sed tunc non elevantur vapores; ergo non semper somnus ob vaporum elevationem causatur.

Secundò quia experientia constat ex levi cantu, & suavi & levi confriicatione externarum partium, ex silentio & loco tenebroso somnum causari: sed ex his causis non excitantur vapores; neque est cur in caput moveantur: ergo non sunt causæ somni universales. Sed facile quis poterat pro Aristotele satisfacere, dicendo ibi non assignasse causam universalem somni, sed solum dixisse potissimum contingere ex vaporibus elevatis ad caput ex alimento quod in ventriculo coquuntur.

Unde facilè intelligitur quod ab Aristotele in solutione cuiusdam argumenti traditur, scilicet cur post cibum somni altissimi contrahantur, & vinum, & reliqua alia calida habeant facultatem

conciliandi somnum est facile juxta ejus doctrinam ( tacitis tribus modis quibus ipse ait posse huic dubio satisfieri ) respondeatur quod licet somnus refrigeratione fiat, nihilominus ea quæ calida sunt, ut vinum, excitant somnum, ex eo quod à calore illo & cibatione similiter elevantur quam plurimi vapores ad caput; poste à autem cum in cerebro concrescant impeditur communicatio influxus ad sensum & motum, ac proinde patet quomodo ad somnum conducant res calidas.

Secunda sententia est Avicennæ, & aliorum existimantium causam immediatam somni esse retrocessum spirituū vitalium ad cor, quam sequitur secundariò motus spirituum animalium, sicut unū corpus aliud sequitur gratiā vitandi vacuum. Quod autem hoc sit verum constat ex eo quod in somno calor retrahatur ad intra, ex eo quod partes externæ refrigerantur: & propter quod in somno indigemus quampluribus experimentis quibus in vigilia non indigemus. Constat deinde quod in somno ad intra sp̄ritus & calor noster retrahatur, ex eo quod in somno coctiones ubiores fiunt, quæ calorem vigentem maximè indicant. Constat etiam ex pulsu: nam in somno major est contractio quia magis intra viget calor: contrarium in vigilia evenit; nam in ea major est dilatatio, quia externæ partes calidores fiunt; unde licet spirituum animalium in somno ad intra retractio contingat, est secundariò, & primariò tanquam in radice retrahuntur vitales. Accedit ad hoc quod ex eo in somno naturali deficiunt actiones sensus & motus, quia privantur instrumento communi, nempe spiritu vitali: ergo somnus contingit ex ejus retractione versus cor, quia solum ipse juxta hos Autores est principium radicale, unde virtus ad sensum & motum medio spiritu vitali communicatur, ac proinde ex ejus retrocessu ad intra, deficiet virtus ad sensum & motum, ac per consequens somnus fiet.

Et confirmatur, quia obstructis venis soporiferis quæ post aures sunt, & cerebrum ingrediuntur, mediis quibus spiritus vitales communicantur à corde in cerebrum, somnus contingit non aliter nisi quia prohibetur ingressus calidi influentis in cerebrum: ergo ex ejus retrocessu ad cor immediatè somnus causatur.

Nobis tamen in primis dicendum est cum Aristotele unam ex causis immediatis somni naturalis esse vapores ascendentis ad caput ex alimento quod in ventriculo coquuntur, non ita tamen, ut ipse ait, causatur: nam juxta illum causatur ex eo quod vapores in cerebro concrescent & descendant ad partem calidiorē, in qua fit somnus ratione refrigerij producti à vaporibus illis concretis. Nos tamen dicimus non aliter vapores esse immediatas causas somni, nisi quia impediant communicationem influxus ad sensum & motum, ceteris partibus corporis.

Dicimus secundò, solum retractionem spirituum animalium versus cerebrum, esse etiam causam immediatam somni, quia ex doctrina Gal. & omnium Autorum, à cerebro immediate in omnes partes sentientes communicatur virtus ad sensum & motum mediis spiritibus animalibus: ergo per eam retractionem versus cerebrum deficeret virtus ad sensum & motum, ac per consequens immediatè ab illo retrocessu somnus fiet, secundariò tamen ex retrocessu spirituum vitalium, quatenus ita coctiones ubiores fiunt, ac proinde licet

licet retrocessus spirituum vitalium non sit sufficiens ad causandum somnum, nihilominus aliquo modo conductit, solum ergo retrocessus spirituum animalium est causa ex le sufficiens & immediata somni, quia ea positâ ponitur, & positâ sola retractione vitalium non ponitur.

Sed dices fortissimè contra sententiam immediatè anteâ relatam, & contra nostram, quia in animi deliquio, syncope, & magna moestitia, aut timore, est retractio spirituum animalium & vitalium ad intra: sed nullus dixit hujusmodi affectus esse soporiferos, itâ ut dicantur dormire eis laborantes, quamvis deficiat virtus ad sensum & motum: ergo causa immediata somni non optimè est assignata.

Respondetur (relicta solutione illâ dicentium quod retractio in dictis affectibus est subita, & in somno est paulatim, & sic solum dicitur somnus paulatina retractio; quia non solvit difficultatem:) nam quod siat paulatim, aut subito hoc ipso quod ponitur causa immediata somni, debet succedere somnus, quod per prædictos affectus verum est nos privari sensu & motu, tamen non dormire somno naturali, quia fiunt & supponunt causam præternaturam: si autem somni præternaturam sunt dicendi, postea examinabimus.

Sed dices: sequitur ex nostra doctrina quod inter dormiendum omnes operationes sensuum internorum perfectiori modo quam in vigilia fiunt: si quidem in somno cerebrum abundat spiritibus animalibus, quando vi retractionis eorum causatur.

Respondetur negando sequelam, quia illa retractio fit versus ventriculos cerebri deferendo substantiam ipsius cerebri in qua operationes restrictrices fiunt. Accedit ad hoc quod cum somnus multoties causetur propter maximam resolutionem spirituum quae in vigilia fuit, contingit in somno non esse tantam copiam spirituum multoties quam in vigilia: unde fit quod quando immediatè causatur somnus ex altera causa à nobis assignara, scilicet ex vaporibus ascendentibus ad caput, tunc etiam cum misceantur cum spiritibus impediunt eorum communicationem, & sic à qualibet causa ex assignatis causatur, nunquam in somno sensus interni perfectius operantur, imò non operantur ut plurimum, cum hoc tamen verum est aliquem quandoque in somno perfectius operari, ut est imaginatio: hoc autem clavis suo loco constabit.

Hinc nascitur retractionem illam spirituum animalium ad cerebrum, & vitalium ad cor quam in somno diximus fieri, illam primariò, & istam secundariò fieri à facultate trahente naturali cerebri & cordis juxta indigentiam spirituum, & licet aliæ partes à quibus hujusmodi spiritus trahuntur, eis indigeant & retineant, nihilominus major est vis facultatis naturalis trahentis cerebri & cordis quam vis facultatis retinentis alias partium à quibus spiritus trahuntur.

Denique adverte cor non attrahere secundariò postquam attrahit cerebrum, propter aliquam subordinationem inter cerebrum & cor: sed ex eo quod quando cerebrum attrahit propter defectum spirituum animalium, etiam deficiunt spiritus aliqui vitales, & sic cor movetur ad attrahendam juxta suam indigentiam, itâ tamen ut ejus virtus trahendi non se extendat ad extremas partes corporis, sed trahat ex proximis, & de-

indè succedant spiritus ex partibus externis remotis ad replendum vacuum; ridiculum enim in hac re est dicere quod primariò spiritus animales moventur ad cerebrum, & secundariò vitales ad cor ad repletionem vacuitatis relictæ ab animalibus, quia quod ad replendum vacuum moverut versus illam partem, moverut versus quam corpus quod primariò movetur: constat autem animales spiritus moveri versus cerebrum, & vitales versus cor: ergo vitales non moventur ad replendum vacuum spirituum animalium, quia debebant moveri vitales etiam versus cerebrum. Deinde quia non esset major copia in somno quam in vigilia spirituum vitalium versus viscera, quia si solum ad replendum vacuum moventur, tot movebuntur quot retrahuntur, & sic eadem erit quantitas.



## C A P U T . V.


*Cur aliqua peculiariter somnum inducant.*

**C**um constet aliqua peculiariter somnum inducere, ut lectio, meditatio, levis fricatione, & alia quamplurima de quibus dicimus: In præsenti querimus causam cur prædicta somnum inducant. Et primò quidem ab Aristotele assignatur ratio cur lectio aut meditatio inducant somnum, nimis quando corpus est in ea dispositione, ut excrementis frigidis abundet, dormit quando incipit meditari, quia tunc moventur spiritus intra cerebrum, & calcificant illam materiam excrementitiam, & vapores elevantur ex quibus causatur somnus & vincitur meditatio: at verò quando ex attenta lectione moventur spiritus & calefit cerebrum, itâ ut quantumvis aliqui vapores sunt, vincuntur & resolvuntur, tunc accidit vigilia & motus spiritualis, scilicet meditatio, vincit corporalem, scilicet vapores.

Undè etiam fit quod quando anima itâ meditatur, ut per cognitionem non inveniat quod querit, tunc vigiler, quia calidum influens ad extra moventur, hoc est spiritus, mediis quibus virtus communicatur ad sensum & motum ad extra moventur, & anima indefinitè se habet: at verò quando per cognitionem jam adepta est quod vollebat, dormit quia anima jam est definita & terminata, ac proindè tunc quiescit, & sic non est cur calidum, ad extra moveatur. Ex quo deduco quod duraret cognitio illa, etiam adepto fine in ea intentione quam habebat anteâ, non est dubium quin vigilaret: sed idè fit somnus quia quiescit ab illa, quando verò dubitat aliquid ex natura ipsius, videtur non quiescere.

Undè infertur quod ex fricatione & plantarum titillatione ex levi & suavi cantu, & ex levi decursu aquarum, ex cantilenis & motu cunabulorum, quod in pueris frequenter contingit, accidit somnus: Et horum omnium unicum est fundamentum, quia scilicet quando aliqua res ex dictis est, avocatur anima ab operationibus intensioribus in quibus erat intenta, & solum attendit remissè ad id quod proponitur, per auditum ( si objectum propositum audibile est ) & sic de aliis, ac proindè spiritus ad intra moventur ex avocatione animæ propter indigentiam, ac proindè

indè contingit & accidit somnus secundum alios sensus, & secundum illum cuius objectum incitat ad somnum, vigilat; ita tamen ut paulò post etiam secundum illum dormiat, & hoc est præcipuum fundamentum quod in his & aliis similibus habendum est, ita ut in omnibus his ob hanc rationem accidat somnus.



## C A P U T VI.

*Quo pacto excitetur animal à somno.*

**G**UM causa immediata somni à nobis affinata sit illa quæ impedit communicacionem spirituum, ad partes externas, sive ratione vaporum obstruentium, sive ratione retractionis spirituum ad cerebri ventriculos; in præsenti restat scire quo pacto animal excitetur à somno, idest quæ sit causa ut communicentur spiritus ad exteriora, ratione quorum animal datur excitari à somno & vigilare.


Ad quod supponendum est animal dupliciter posse à somno excitari, aut sponte, aut vi illatâ, & de his duobus modis dicere debemus, quo pacto animal à somno excitetur. Circa primum, scilicet quæ ratione sponte excitetur à somno: dicimus quod quando vapores qui impediabant communicationem spirituum dissipantur & resolvuntur, & alij non elevantur, finitâ jam coctione, tunc excitatur sponte animal à somno, quia resoluti vaporibus via redduntur patentes, & aptæ ut omnibus partibus corporis spiritus communiciantur, & sic contingit excitatio à somno sponte & absque aliqua vi.

Quando autem somnus fit ad recuperandas vires amissas labore, aut vigiliâ, statim cessat, ac vires adquiruntur.

Si verò quis excitetur à somno vi illatâ, ut sono, aut voce, clamore, aut tangendo, contrectando, manibusque impellendo, videretur difficile assignare rationem quare quis excitetur à somno, & præcipue difficultior est ratio ob quam vi vocis sit talis excitatio: nam cùm in sensu nihil producatur quām species vocis & hæc non conducat ut tollatur causa somni, aut ad hoc ut spiritus ad extrâ moveantur, difficile videtur ratione illius animal à somno excitari.

Sed nihilominus si dictis stemus, veritas nostræ conclusionis suam vim habet: dicimus enim animal tunc excitari à somno, ex eo quod sentiantur prædicta subjecta, scilicet sonus per auditum & tangibile per tactum; nam cùm in somno non priventur partes totali influxu, ut dictum habemus, inde nascitur, quod hujusmodi objecta sentiantur, & natura tunc conatur majorem quantitatem spirituum adducere; pellunturque tunc vapores, si qui sunt in via, ut quando quis excitatur ante finitam coctionem; ita ut aliqui vix vocati statim excitantur à somno, & alij minime, ex eo quod pauciores aut hebetiores habeant vapores obstruentes vias, mediis quibus virtus debebat communicare, aut quia pauciores, aut hebetiores habeant spiritus ad motum: undè etiam sit minus excitari homines per visum, tum quia in quibusdam animalibus sunt palpebris oculi cooperi, tum quia non immutatur realiter à quolibet objecto ac sensibili organum, sed solum à lumine à quo sèpè excitantur à somno dormientes.

Denique in calce hujus quæstionis, nota quod quando una potentia vigilat, & cæteræ dormiunt, communicatur virtus juxta indigentiam, & etiam facultas trahens ipsius partis operatur circa spiritus trahendos missos à cerebro; ita ut licet cerebrum illos non mittat usque ad organa, sed usque ad aliquam partem quæ habeat debitam cum eis distantiam, ut virus possit communicari, nihilominus facultas trahens partis potest spiritus trahere ab illa parte in quam à cerebro missi sunt.



## C A P U T VII.

*In qua parte sit somnus.*

**G**X his quæ Aristoteles tradit circa causam immediatam, & circa modum quo somnus causatur, facile in hac quæstionem ens Aristotelis intelligitur: nam ille affirmavit partem in qua somnus est, esse cor, ex eo quod in somno calor influens versus illud moveatur, cerebrum autem somni principium dicitur, ex eo quod ibi vapores ab ejus frigiditate concrecant, & cùm postea descendant ad cor, & impedian exitum caloris influentis, indè est, ait Aristoteles, somnum in corde fieri, licet in cerebro principium habeat.

Galenus autem arguit contra Aristotelis sententiam: nam iste facetus capite replete somnum fieri, & alias nullam adducit rationem ob quam cor primò patiatur, & in eo fiat somnus. Deinde quia ex prædicta sententia sequeretur quod in omnibus soporiferis affectionibus remedia esse applicanda cordi, & non cerebro, quod est contra methodum communem; semper enim cerebro prædicta remedia applicantur, licet patiatur per consensum: in quo casu etiam debent applicari parti primò affectæ, ut si propter maximam cordis distemperiem calidam incidat quis in vigiliam, tunc primò semper debemus apponere remedia capiti, quia ibi est immediata distempries quæ vigiliam parit, tamen etiam in isto casu & alio simili, remedia soporifera cordi debent applicari, ut non tam intensè alteret cerebrum quod per consensum in hoc casu patitur; ex prædicta autem sententia Aristotelis, sequitur semper soli cordi remedia debere applicari in prædictis affectionibus, quod est contra communem methodum.

His ergo contra Aristotelem prædictis ait Galen. somnum in cerebro fieri ex eo quod principium facultatis sensitiva & motivâ est, & ex eo quod somnus fit detento in cerebro, aut attracto spiritu, vel vapore impidente communicationem virtutis ad sensum & motum, ut suprà latè diximus: undè planè sequitur partem primariò affectam esse cerebrum, & indè per consensum cæteræ partes secundariò laborant: undè quando Aristoteles & Gal. afferunt somnum & vigiliam esse affectionem sensus communis, per sensum communem non intelligunt illam specialem potentiam à Philosophis assignatam ut distinctam ab imaginatione & reliquis; sed nomine sensus communis intelligunt partem quæ est principium commune ad sentiendum, scilicet cerebri substantiam; & dicuntur somnus & vigilia affectiones cerebri, non quia in rigore potentia

tia cerebri patiatur, quia solum suo modo spiritus immediatè patiuntur: dicitur autem pati, & in illo somnum fieri, quia vis sentiendi juxta illum, vel in illo detineatur. Quod autem ibi facultas non patiatur, sed solum spiritus suo modo pati dicantur, constat quia somnus aut vigilia sunt solum praesentiā aut absentiā calidi influentis, spirituum videlicet, illæsa manente facultate, non aliter ac quando coctio in ventriculo optima non est, quando ob cogitationes calidum influens medio quo coctio debebat celebrari, avocatur ad extra, & ventriculum deserit; tunc enim illæsa manente facultate solum per absentiam calidi influentis talis effectus evenit: sic ergo in cerebro debet contingere, ac proindè solum dicitur affici, ut dictum est, quia est subiectum juxta quod vel in quo vis sentiendi detinetur.

Unde cerebrum non solum habet rationem efficientis sensus & motus, sed etiam recipientis aut continentis, ob quod & non solum ob efficientiam sensus & motus somnus in eo fit. Denique rectè dicitur somnum primariò esse in cerebro, & secundariò in reliquis partibus, intrinsecè tamen in omnibus, quia verè omnes partes sentientes carent aliquo intrinseco, videlicet influxu ad sensum & motum; dicitur tamen solius cerebri affectionem, idest solum in illo somnum fieri, quia est principium commune & immediatum à quo in totum corpus virtus ad sensum & motum communicatur.

## C A P U T V I I I .

### *De causa finali somni.*

**S**OMNUM naturalem non habere causam finalē si præcisè quatenus privatio est, consideretur, clare constat, quia nullum agens potest intendere non esse: similiter certum est somnum naturalem habere causam finalē, si non ut mera privatio consideretur, sed prout habet conjunctā actionem naturæ: nam si ex retrocessu spirituum causatur, habet conjunctam actionem animalem cerebri quā spiritus retrahuntur; si autem ex vaporibus à ventriculo in caput ascendentibus originem habeat, tunc licet actionem cerebri conjunctam non habeat, habet tamen actionem alterius partis, ventriculi scilicet concoquentis, & sunt causæ naturales quibus fatus & vapores ad cerebrum mittuntur. Neque enim credendum est naturam ita formasse has partes, ut tam facile ad caput ascenderent vapores, nisi aliquem finem intenderet: neque ex hoc sequitur semper post cibum assumptum esse somnum, quia vel non semper ascendunt vapores ad caput, vel si ascendunt non in sufficiēti quantitate ut somnum causent.

Sed restat scire quisnam sit finis somni, & dicendū cum Arist. & omnibus Medicis est, duplice finem partialē somni esse, videlicet quietem ab operibus animalibus, in qua reparatio deperditi fit, & ciborum coctionem, ex eo quod calor ad intra moverit in somno, quo fit ut coctiones perfectiores fiant; quod clarissū constat ex Gal. dicente loquendo de sōno; *Igitur in toto eo tempore videtur animalis vis quiescere, naturalis verò vehementius operari.*


Sed dices cum Argenterio; nam quiete illa solum indigent quæ sunt fatigata labore: ergo si somnus fiat ex vapore ascendentē ad caput, potest fieri quando quiete non eget.

Resp. Somnum fieri aut propter quietem/nomine cuius mera privatio non est intelligenda, ut dixi.

Henriquez Lawreza Medica Tom. III.

mus, sed intelligenda est actio naturæ ei conjuncta, scilicet spirituum reparatio per eorum regenerationem, aut propter coctionem, & sic quando causatur à vaporibus, est propter reparationem spirituum. Neque sufficit quiescere, idest non moveri localiter: nam deficit refectio spirituum, quæ fit tempore somni, quæ non ita fit dum non moverit localiter animal.

Unde somnus neque semper fit propter coctionem alimenti, neque semper opus esse otio, sed utrumque pro diversa occasione fieri, ac proinde prædicti fines partiales sunt, unum totalem integrantes, videlicet salutem: dicitur autem quiescere cerebrum quando non transmittit spiritus, ut in vigilia; quando autem ita quiescit, spiritus regenerantur, & vivens reparatur.



## C A P U T I X .

### *Quomodo spiritus per vigiliam consumantur.*

**N**UOD in vigilia spiritus consumantur, relvantur & dissipentur, & Avicenn. expresse facetur, & omnes Medici unanimiter defendunt: Itaque solum est dubium quæ dispositio incompossibilis & corruptiva spirituum in vigilia producatur, ratione cuius vires in ea dilabi dicuntur & consumi & viderit non esse modo quo hujusmodi spiritus corrumpantur; nam quidquid corrumpitur, ratione alicujus dispositionis ab aliquo afficiente productæ incompossibilis cum sua forma, debet corrumpi: sed per actionem animæ sensitivæ cognoscentis nulla contraria dispositio incompossibilis cum spiritu introducitur: ergo quantumvis anima operationes sensitivas exercat, spiritus non possunt corrumpi, ac proinde non videtur assignabilis ratio ob quam in vigilia spiritus consumantur, præsertim cum operaciones sensitivæ animæ in ejus perfectionem ordinentur: ergo non possunt conducere ad virium lapsum per spirituum resolutionem. Neque spiritus possunt corrumpi à temperie partium ex eo quod ab ea recipient qualitatem, cum eis incompossibilem, quia cum temperies sit necessaria ad opera partis sentientis, male fecisset natura si illi concessisset vim producendi qualitatem corruptivam, præsertim quod si hoc ita esset, inter dormiendum etiam esset corruptio spirituum potius quam eorum regeneratio.

Aliqui circa hanc rem ita opinati sunt ut affirmant per cogitationem, & imæginationem, & per alias operationes animæ sentientis produci qualitatem quandam realem spirituum corruptivam, hancque produci ab anima mediâ specie expressa, non autem produci mediâ impresa specie spirituum exterorum, ex eo quod hæc est inferioris virtutis, cum ad eam anima non concurrat, sed solum ab objecto producatur: at vero ad actionem speciei expressæ animam concurrere, & sic ab anima mediâ illâ produci qualitatem realem incompossibilem corruptentem spiritus affirmant. Fundamentum hujus opinionis est quia in essentialiter subordinatis, si unum agit in virtute alterius, secundum retinet virtutem primi: sed species & objectum sunt essentialiter subordinata: ergo virtus objecti manet in specie, ac per consequens si objectum producere potest effectum realem, etiam species potest dictam qualitatē realem producere.

Sed contra istum modum dicendi sic argumen-

tor,

tor, imprimit ratione S. Thom. prima: Intentiones non causant transmutationes naturales: sed totum esse specie expressæ est intentionale: ergo non potest causare transmutationes reales.

Secundò sic argumentor, quia vel talis species expressa habet vim producendi prædictam qualitatem realē ex objecto quod repræsentat: & hoc non, primò quia species expressa non producitur ab objecto, sed efficienter ab anima nascitur: ergo non potest ab objecto mendicare virtutem producendi prædictam qualitatem.


Secundò: quia si ab objecto mendicaret species expressa virtutem producendi illam qualitatem corruptivam spirituum, sequitur quod quando objectum non est qualitas activa, species expressa, non habeat talem vim, ac per consequens si aliquis vigilet & imaginetur, & cogitet circa quantitatem, aut quodlibet aliud objectum activitate carens, sequitur quod quantumvis diuturna & intensa sit vigilia, non corruptentur spiritus, neque animal defatigetur, quod est absurdum, & contra experientiam. Deinde non minus hæc qualitas produceretur ab specie impressa, immo potiori ratione quam ab expressa, quia illa immediatior est objecto, ac proindè ab objecto potiori ratione virtutem producendi prædictam qualitatem mendicavit; quod de impressa nullus dixit hucusque.

Deinde neque anima quæ productiva est speciei, expressæ debet habere efficaciam producendi prædictam qualitatem, quia si anima mediā specie producit talem qualitatem, species debet concurre ut instrumentum: sed si concurrit ut instrumentum, non potest species expressa dici causa æquivoca illius effectus, quod est contra præcipuum fundamentum: ergo ab anima mediā specie non potest produci talis qualitas; neque anima & operationes se habent ut causæ partiales, quia in effectu non est quid diversum correspondens utriusque causæ.

Denique neque ista species potest producere qualitatem illam realē, quia hæc perfectior est specie: & licet concederemus species expressas internorum sensuum esse perfectiores qualitate dicta, nihilominus, non constat ex ullo capite humi simodi species per se productivas harum qualitatum incompossibiliū cū forma spirituum inter se: Neque ratio quæ potest sumi ex majori perfectione aliquam vim habere potest, quia Angelus est perfectior homine, & illum non potest producere, & homo est perfectior equo, & illum non potest producere: ergo nulla est ratio ad id afferendum, ac proindè talis modus philosophandi inutilis est. Neque id quod intendit hæc sententia sequitur ex eo quod dicat Aristoteles, *Alterant sensus imaginationes & cogitationes*: nam ibi loquitur de alteratione quæ imaginations & cogitationes sequitur per accidens, per se; quatenus videlicet in quantum imaginations & cogitationes inferunt quasdam passiones animæ motu calidi influentis, ratione cuius corpus quandoque intensè calefit, quandoque frigescit ex discessu spirituum, ac proindè ratione intensioris calefactionis & frigefactionis spiritus dissipantur, hoc tamen non ratione imaginationis & cogitationis per se, sed per accidens, ut dictum habemus.

Sed dicendum nobis est difficile non esse affinare in vigilia causam corruptentem spiritus: nam ratione intensæ imaginationis vel cogitationis caput valde magis calefit, cū autem spiritus sunt corpus tenuissimum & levissimum ad sui cor-

rumpi & dissipari; tunc enim ad cerebrum non solum spiritus in majori quantitate moveatur ( à quibus corruptio sui ipsius non causatur) sed sanguis & vapores calidiores & sicciores à quibus resolutio in vigilia fit, & aliquando à frigiditate cerebri corruptio etiam fit, in majori tamen intensione quam ab ipsa temperie cerebri generantur: nam eadem numero temperie non poterant generari, & corrupti spiritus. Unde fit quod cū moveantur spiritus in majori quantitate ad cerebrum ratione intensæ imaginationis, aut cogitationis, contingere omnes partes corporis debilitari, ex eo quod ab eis discedent spiritus & non possint tam citè regenerari.



## C A P U T X.

*Quæ sint causæ somni & vigiliæ contra naturam, & quo pacto operentur.*

**L**X P R E S S A sententia Galeni est, licet Argenterius eam calumniant videatur, somnum causari à frigiditate, & humiditate, sive seorsim, sive conjunctim; vigiliam verò à calore & siccitate etiam sive seorsim, sive conjunctim. Et ratio horum est quia calor & siccitas faciunt ad motum spiritus ad exteriora, & sic vigilia sequitur; frigus verò & humiditas faciunt & conducunt ad quietem spirituum in internis, & impediunt eorum communicationem. Et ratio ad Galeni placitum probandum desumi debet ex alimentis & medicamentis quæ somnum conciliant quæ sunt frigida & humida, & ex his quæ vigiliam inducunt, quæ sunt calida & siccata. Denique ex ætate & temperamento sumitur ratio, ut potè pueri magis dormiunt qui calidi & humili sunt, senes verò multò minus qui frigidi & sacci sunt; & licet frigiditas conducat ad somnum, quia tamen siccitas magis conduit ad vigiliam in eis, quia maior est, ideo senes magis vigilis quæ somnolenti sunt.

Sed dices: aloës & myrrha inducunt somnum, & tamen sunt calida & siccata: ergo calor & siccitas non conducunt ad vigiliam, vel si conducant, conducent etiam ad somnum.

Respondetur quod licet aloës & myrrha sint calida & siccata, nihilominus causare somnum, quia habent quasdam partes pingues & humidas quæ actione caloris attenuantur, & in vapores convertuntur, petuntque cerebrum, ac proindè impediunt communicationem spirituum & somnum causant: at verò partes siccæ horum medicamentorum non inducunt vigiliam, quia non sunt aptæ ut in vapores mutentur pententes caput, sed potius manent in ventriculo.

Unde fit, ad vigiliam præternaturam primum locum habere calorem, secundum verò siccitatem; ad somnum autem etiam præternaturam primum locum habere frigiditatem, secundum verò humiditatem: cum hoc tamen est verum somnum naturalem posse causari ab humiditate moderata; si verò humiditas sit excessiva sine dubio somnum præternaturam causabit.

Sed dices: videtur quod ab humiditate moderata non fiat somnus naturalis, quia ille dicitur somnus

somnus naturalis qui sit operante naturā, vel per retractionem spirituum ad interiora, vel per elevationem vaporum: sed quae sit ab humiditate non sit nulla ex his causis: ergo non est naturalis.

Respondet somnum ab humiditate moderata causatum dici naturalem, quia non procedit ex morbo, neque adeò excedit, ut lœdat sensibiliter actiones; potest tamen dici quod hic modus continetur sub secundo, quia vapor, ex humectatione alimenti etiam causat naturalem somnum.

Ob eandem rationem dicere debemus frigiditatem moderatam somnum naturalem causare; nam si humiditas moderata eo modo quo diximus, causat somnum naturalem, ita frigiditas eum poterit causare: siquidem non est major ratio unius quam alterius, ut potè ambo si in excessu sint, causant somnum præternaturam: ergo in moderatione causabunt naturalem somnum, quia possunt esse in tam remissa intensione, ut sufficiant ad somnum naturalem, quia in illo non erit lœsio operationum, & non sufficiant ad somnum præter naturam, in quo erit lœsio operationum sensibilis.

Sed difficultius est secundum dubium, scilicet quâ ratione predictæ qualitates conducant ad somnum & vigiliam: Et quidem non solvit universaliter dubitatio, dicendo per solam alterationem factam in organo interiori ab ipsis qualitatibus fieri; ita ut calor & siccitas disponant ad opus, frigus verò & humiditas ad cessationem operis, quia licet hoc valeret quantum ad internas operationes, non verò quantum ad exteriores sensus, nisi habitâ ratione spirituum. Et ita dicendum est calorem & siccitatem causare vigiliam præternaturam, quatenus conducunt ad motum spirituum ad extra, frigiditatem verò & humiditatem conducere ad somnum, quatenus prohibent talē motū, conferuntque ut intus detineantur spiritus.

Sed dices, quia videtur ratione caloris & siccitatis spiritus ad extra non posse moveri, quia imprimis à se non moveantur, sed ab efficiente debent moveri: sed ex eo quod calidores & sicciores reddantur, non semper movet causa efficiens, præsertim quod cùm sit maxima indigentia somni, tinere potest eos natura intrinsecus; ergo non videtur cur ad extra moveantur.

Respondet per calorem & siccitatem spiritus aciores reddi & mordaciores, ac proindè irritare cerebrum ut eos moveat, & non detineat; moveat autem eos versus organa externa, & sic vigilia evenit. Acrimoniam autem hæc non solum causatur in spiritibus genitis, sed in his quæ de novo generantur, quia cùm adsit causa mordacitatem producens, nempè calor & siccitas, in nimia intensione, aut coniunctim aut seorsim, necessariò in spiritibus, qui de novo generantur acrimonia producetur. Neque sufficit calor intensus sine mordacitate ad vigiliam præternaturam inducendam, ut constat in febre diaria, & sàpè in febre putrida, in quibus non est vigilia præternaturam, quia earum calor non fuit sufficiens ad inducendam mordacitatem.

Neque valet dicere quod si omnes spiritus habent qualitatem hanc irritantem, omnes ad extra moventur, ac proindè cerebrum privaretur operatione, cùm destituatur spiritibus, quia licet omnes qualitate irritante gaudent, non tamen omnes simul, sed successive debent expelli ad ex-

tra, sive remanet aliquid interias ad operationes cerebri, præsertim cùm continuò regenerentur, tum etiam quia non omnes spiritus debent æqualiter alterari, ac proindè cerebrum in maxima indigentia eos retinet qui minus irritant.


Frigus autem & humiditas non aliter somnum causant quam impediendo penetrationem & communicationem spirituum ad externa; hoc autem densando & congelationem faciendo in spiritibus, ratione cuius non possunt moveri, similiter vias occluduntur, & ita non possunt communicari spiritus. Deinde etiam frigus somnum causat quatenus corrumpere valet naturalem complexionem & temperiem spirituum: humiditas verò etiam impedit communicationem spirituum quatenus vias valet occludere.

Dices: quia videtur quod calor intensus qui valeat spiritus resolvere, conducere ad somnum, quia non minus deficit communicatio spirituum, ex eo quod resolvantur, quam ab alias causas assignatas; sed per calorem intensissimum possunt resolvi; ergo erit causa somni, quod est expressè contra Petrum Garciam, præcipue cùm ille afferat intensum dolorem esse causam somni præternaturam propter resolutionem spirituum maximam, quæ ratione illius evenit. Potest responderi quod cùm illo calore qui valeat tantam resolutionem facere, non posse vivens vivere, ac proindè non esse locum ut causet somnum per prædictam resolutionem. Et hæc de hac Disputatione.



## DISPUTATIO V.

### *De capitib. dolore.*



### CAPUT PRIMUM.

*De essentia hujus affectionis & partibus, capitib. quæ dolent.*

**D**U M sermonem instituimus de capitib. dolore quem communiter cephalalgiam omnes Medici appellant, sumptuaria denominatione à parte affecta, & symptomate, immorandum nobis non est, neque disputandum in quo ratio doloris consistat, an in distemperie, an in soluta unitate, sed sufficit pro præsenti Disputatione scire dolorem capitib. esse symptoma in actione lœsa, ut testatur Avicenna 1.lib.3. tract.2. cap.1. dum inquit, *Soda* ( id est dolor capitib. ) *est lesio in membris capitib.* Unde dubium non est quin pars affecta in hoc dolore sit caput.

Licet in hac re aliquibus videatur Cephalalgiam esse nomen commune ad omnem dolorem capitib., nihilominus cùm Manardo dicere debemus, cephalalgiam unum esse ex doloribus capitib. difficillimum: Galenus tamen affirmit cephalæ esse gravius symptoma quam cephalalgia: nam ait cephalæ est dolor capitib. diurnus, difficulterque solubilis, qui à parva occasione vehementer habet exacerbationes, unde cephalalgia & cephalæ convenienter in hoc quod in illis

O O 2 facillime

facillimè caput patiatur, differunt tamen quia per cephalam partes multò debiliores redduntur, & diuturnius symptoma est, quam cephalalgia, & magis inveteratum.

Sed restat aliam speciem doloris assignare quam hemicraniam vocant, & Gal. eam definit dicens: *Est dolor dimidiae partis capitinis*, & nihil mirum quod quandoque dimidia, pars capitinis dolet, quandoque altera dimidia, quia dexteram capitinis partem à sinistra distinguit & separat, sūturā per longitudinem ipsius protractā, juxta quam intra capitinis ossa linea medium cerebrum dividens protenditur, ita ut magnam divisionem habeant pars dextra & sinistra, ut ex Anatomia latius patet: quid ergo mirum quod possit dolor communicati uni parti vel dimidiæ, & non aliae dimidiæ, si tanta intercedit divisio, ac per consequens hemicraniam fieri.

Hinc constabit ratio ob quam aliqui cùm tali dolore capitinis laborant, ut neque strepitum, aut vocem possint sine molestia ferre, aliqui verò neque motum, neque luminis splendorem, licet verum sit aliquos ita affici, ut nihil horum ferre possint; tamen cùm aliqui magis offendantur ex sono, alij ex lumine, & ex sono minimè, queritur unde proveniat hæc diversitas, & breviter dicendum esse, quod cùm caput sit vitium illa potentia magis lædetur cuius instrumentum magis débile fit secundum proportionem partis cerebri ad ipsum.

Sed deveniamus jam ad secundum quod inquit quæstio, scilicet quæ sint partes capitinis quæ possunt dolore affici, & dicendum est quod partes capitinis quæ dolore possunt affici, aliae sunt intra calvariam, aliae verò extra calvariam. Cognoscet autem Medicus hanc diversitatem ex oculorum radicibus, nam quando malum & dolor est intra calvariam, ad fundamenta oculorum se extendit, quando verò dolor est extra calvariam, non ita ad oculorum fundamenta extenditur, licet quandoque si dolor sit intensissimus possit contingere, sicut etiam si dolor existat intra calvariam, & remissus sit, non se extendet usque ad oculorum fundamenta.

## C A P V T II.

### *De causis doloris capititis.*

 U M Medici diversas causas doloris capititis assignant, simul signa quibus debent cognosci referunt: Et prind quando ex flatu aut vapore fit dolor capititis, dicitur tensivus, quia sensum tensionis facit: cognoscitur autem ex flatu causari per facilem permutationem ab uno loco in alium, ex eo quod flatus & vapores leves sunt, & sic facilè moventur, & sensum gravitatis ullatenus causant, sed solum distendunt ipsam partem.

Quando verò dolor capititis causatur ex biliosa causa, tunc dolor mordax & acris sentitur cum punctione aliqua & adustione vehementi cum siccitate, stricatura narium, cum siti & vigiliis & citrinitate coloris. Licet autem quando ex pituita falsa fit dolor, aliqua ex his habeat, non tamen omnia; cùm verò dolor à plenitudine procedit, cujuslibet humoris sensum gravitatis inducit, &

dolor gravans dicitur, ad cuius sensationem non solum sufficit in tactu species intentionalis, sed immuratio realis, ac proindè ex diverso modo reali immutandi diversus modus sensationis fit; præsertim cùm etiam qualitates secundæ ut morositas, lentitudo per species, ad quarum sensationem immutatio realis est necessaria simul cum intentionalí, ac proindè ex diverso modo immutationis, & ex diverso objecto diversus dolor causatur, & sic est dolor tensivus, & gravans, quia diverso modo ab his afficitur realiter pars, & objecta sunt diversa. Igitur optimè dixit Galen. quod dolor gravans ostendit multitudinem aliquius humoris, quia licet quælibet pars humoris habeat eandem gravitatem intensivam cum plurima quantitate ejusdem humoris, nihilominus plus ponderat plurima quantitas humoris, ita ut gravitas non sentiatur sine plurima quantitate humoris sufficiente ad inducendum pondus.

Cùm ergo dolor gravans necessariò sit dolor cum materia, & per consequens ab omnibus humoribüs, causari potest, dicendum nobis est quod cæteris paribus, in quantitate majus pondus causari ab humore melancholico quam à cæteris, quia est humor magis terreus, & sic magis gravitat, & pars magis ab eo gravatur. Quando autem à melancholia talis dolor causatur, sunt vigilæ plures ( ratione siccitatis humoris, que maximè ad eas conducit, ut & de somno & vigilia diximus ) alienatio & cogitatio corrupta, & tenebrositas coloris faciei & oculorum.

Deinde cæteris paribus etiam in quantitate, attentâ ipsius ratione sola, secundum locum habet pituita in pondere, ita ut præter melancholiæ, majus pondus fiat à pituita. Cognoscitur autem ab hoc humore fieri, ex pigritia, & tarditate, & obliuione, & plumbeitate coloris in facie, & oculis. Tertium locum habet sanguis, quia post pituitam magis ponderat quam bilis. Cognoscitur autem quod dolor gravans fiat à sanguine, ex rubidine & inflammatione in venis vehementiori. Tandem ultimum locum bilis, quia cæteris minùs ponderat ob suam maximam tenuitatem, & cognoscetur ex eo quod maximam adustionem causat cum cæteris signis *suprà dictis*.

Unde à quolibet ex his humoribus, potest causari major gravitas si sit in majori quantitate quam cæteris, supponendo æqualem sensum in parte; nam pituita licet sit in majori quantitate, nihilominus potest ratione frigiditatis causare hebetudinem in sensu, ac proindè pars non sentiet pondus. Tanquam verum ergo deduci debet ex tota hac doctrina omnem dolorem gravantem supponere materiam, hoc est humorem gravantem & ponderantem, non tamen omnis dolor qui ex materia fit, est gravans, quia dolor causatus ex ventositate & vapore, non est gravans, sed tensivus, & nihilominus supponit materiam, nempe flatus.

Denique notare debemus quod si loquamur de eo quod frequenter accedit in corpore, cùm plus sanguinis generetur ab eo, frequenter dolor magis gravans causatur, quia dicitur in majori quantitate; deinde à pituita, tertio à melancholia, & denique à bile, quia licet hujus sit major quantitas, quia tamen humor valde tenuis est, idèo oportet esse in plurima quantitate, & cæteri

teri omnes in minima, ut ab illo major pondus sentiatur.

## C A P V T I I I .

*Quæ sunt quæ faciunt ut facile incidat quis, in capitis dolorem.*

**N**T E R ea quæ valent dolorem inferre, alia se habent ex parte objecti, alia vero ex parte subjecti: Ea faciunt ut facile quis incidat in dolorem capitis ex parte objecti secundum Avicenn. quæ aromatica sunt, quia nimis vaporosa, ita ut caput repleant & distendant, & dolorem causant: propter eandem rationem vim si in majori quantitate, aut merarius assumatur, capitis dolorem causat, quia vapores plurimos elevat, & in caput mittuntur. Igitur ut uno verbo dicam, omnia illa quæ vaporosa nimis sunt, faciunt ut quis facile incidat in dolorem capitis ex parte objecti.

Eiam ratione indispositionis subjecti potest quis facile incidere in capitis dolorem, ut si caput debile sit, facile recipit extraneum & parum resistit causis potentibus causare dolorem. Deinde propter debilitatem facultatis expultricis, aut defectu viarum per quas debebat fieri expulsio nocivi, similis dolor sit ex parte subjecti. Ac denique aliam causam adducit Gal. ut facile incidat quis in dolorem capitis, nempè sensuum exuberantiam & acutiem, non aliter quam contingit quando os ventriculi sensu acuto laborat, ut neque acetum, aut sinapim, aut aliquid hujusmodi possit citra molestiam ferre.

Sed dices: Id quod est secundum naturam non potest esse causa alicujus præternaturam: sed acutes sensus est secundum naturam, ergo non potest esse causa doloris qui est præternaturam.

Respondet negando antecedens: nam sensatio est secundum naturam, & si haec non adesset, non esset dolor qui est præternaturam. Et in aliis sensibus etiam constat: nam tinnitus aurium cum acuto sensu infert molestiam, & cum hebeti sensu nullatenus: ergo primum antecedens est falsum.

Dices secundum: quia acutes sensus solum potest facere ut perfectius sentiatur objectum, sive haec perfectio consistat in majori distantia percipere objecta, sive in majori intensione; non vero acutes potest facere ut molesta sit sensatio: ergo non potest esse causa ut facile quis incidat in dolorem capitis.

Respondeatur acutiem sensus posse praestare quod sentiatur objectum quod non sentiret ab hebeti sensu, & quod perfectius intensivè sentiatur, tamen si sint duo quorum utrumq; objectū sentiat, unum potest contingere cum molestia dolorifica, alterum minimè ex sola intensionis diversitate; & licet ad dolorem non solum requiratur sensatio, sed quod natura subito & affatim corrumpatur, etiam si ex parte utriusque sit corruptio naturæ æqualis ex eo solum quod alter magis sentit, dolebit magis, unde sufficit intensionis sensatio, non solum ad majorem dolorem, sed etiam ad dolorem absolutè, ut supra dixi.

## C A P U T IV.

*An omnes partes capitis dolore affici possint.*

**H**VIC dubitationi occasionem dedit Galenus 3. lib. *De locis affectis*, cap. 9. ubi docet pericranium & internas membranas cerebri solum dolore affici posse: deinde ipse Gal. in libro *de composit. pharmacorum secundum locos*, affirmat alias partes plures dolore affici, scilicet cerebri arterias, venas, nervos, membranas, & cutem. Ut ergo hujus rei certa & stabilis veritas patefiat, in praesenti idem est quererere an omnes partes capitis dolore affici possint, ac quererere an omnes partes cerebri sentiant: nam cum ad dolorem ita sit necessarius sensus, si hunc habent, sine dubio poterunt partes objectum molestantem & dolorificum sentire.

Circa hanc dubitationem duo sunt in quo omnes unanimiter convenient: Primum est, veram cutem capitis, pericranium, nervos, & duas internas membranas dolore affici posse, quia revera habent sensum, ac proinde jucundum & molestum seu dolorificum objectum percipere posse. Secundum in quo convenient, est ossa non habere sensum, utpote sunt terreae substantiae, & sic dolore affici non posse. Quam veritatem probat experimentum: nam si ossa dividantur, non sentitur dolor secundum illa: ergo ex eo est quia non habent sensum: nam si illum haberent à maximo objecto corrupiente naturam, sine dubio afficerentur. Neque valet dicere habere sensum, sed in praesenti casu secundum ea non sentitur dolor, quia est major dolor ille qui sit ex divisione carnis & periostij, & sic dolor ossis non sentitur, quia ex Hippocr. 2. aphor. text. 46. *Duobus doloribus infestantibus, major obscurat minorem*: Quia si denudetur os carne, & periostio, & dividatur, tunc sine dubio non sentitur dolor: ergo non habent sensum ossa. Quod argumentum idem probat de osse capitis quod cranium dicitur, ita ut neque vim habeat sentiendi, neque dolore affici possit; quod an sit verum postea latè disputabimus.

Sed majorem habet difficultatem explicare an substantia cerebri sentiat. In qua re Fernelius affirmavit substantiam cerebri non sentire, ex eo quod in lethargo & phrenitide, etiamsi sine cerebri inflammatione dolor non sentitur: si autem essent partes sentientes, partes substantiae cerebri sine dubio dolerent, præsertim cum esset maxima distempes in dictis affectionibus & solutio continui. Sed revera fallitur iste Autor; nam ipse fatetur cum omnibus Medicis membranas cerebri esse sensitivas & dolore affici posse: sed in phrenitide membranæ sunt affectæ, & tamen non sentitur dolor: ergo ex eo quod substantia cerebri non sentiat dolorem in dictis affectionibus, non bene infert sensu carere; præsertim cum in lethargicis, quid mirum dolorem non sentiri si attendamus ad profunditatem somni, & in phrenitide debemus idem dicere: nam cum ratione illius mens ægrotet, non est mirum dolorem non sentiri in substantia cerebri, dicente Hipp. 2. aphor. text. 46. *Quicumque aliquæ parte corporis dolente, dolorem non sentiunt, his mens agrosat*. Præter-

quam quod Avicen. aliquem dolorem in lethargicis quandoque reperiri affirmat.

Sed licet suprā dicta ratione Fernelij non probetur optimè substantiam cerebri non sentire, nihilominus pro suo placito confirmando possumus alias adducere rationes, quia si substantia cerebri sensum haberet, ac proinde dolore posset affici, sequitur quod continuo dolore afficeretur, cum semper vapores ex aliis partibus recipiat, qui necessariò caput distendunt.

Secundò quia omne organum debet esse contrariæ qualitatis expers, sicut in humore crystallino nullus color debet esse: cum autem cerebrum sit sedes sensus communis, & debeat judicare de omni sensu, oportet nullius esse particeps.

Tertiò probatur quia natura negavit sensum carni reliquarum viscerum, & solum concessit sensum membranis eorum: ergo non minus in cerebro debet contingere, ita ut ejus substantia, non habeat sensum, & ejus membranæ eo præditæ sint.

Sed nihilominus contraria sententia, scilicet substantiam cerebri habere sensum, licet non acutum, sed remissum, tenenda nobis est cum Gal. qui pluribus in locis id affirmit. Et licet in omnibus possit interpretari locutum fuisse de membranis cerebri quibus est circumvolutus, ob quod hæc pars evidenter non convincit, nihilominus ratione probabili prædicta conclusio potest probari, quia non repugnat ex parte temperamenti ipsius, utpote quantumvis frigidum & humidum sit, non tollit quin aliquo modo participet sensum tactus, licet remissæ, & non ita exactus, ut sunt reliquæ partes: ergo substantia cerebri sensus tactus omnino non est denegandus.

Probatur deinde ex Avicenn. *sen. 1. lib. 3. tract. 2.c. 4.* dum agit de speciebus sodæ factæ ex apostemate, ita ait. *Et quandoque fit in ipsis velaminibus cerebri, & quandoque fit in ipso cerebro & substantia ejus.* Et *cap. 3.* dum agit de speciebus sodæ ex solutione continuitatis, dicit, *Continuitatis solutio quaandoque accidit in velaminibus cerebri, quandoque in substantia ipsius.*

Ad argumenta pro contraria parte posita, non erit difficile satisfacere. Ad primum dicimus non sequi continuo dolore caput affici, licet in illud vapores ab omnibus partibus omittantur, quia ejus sensus non est acutus, sed valde remissus, & sic non sufficit ut semper dolor sentiatur: nam aliquid amplius requiritur ut objectum causet dolorem quam ut sentiatur. Præterea quia eodem modo probat argumentum membranas cerebri non habere sensum, quod est contra commune placitum. Patet: quia cum membranæ habeant acutum sensum, continuo dolore afficerentur ex vaporibus continuo ascendentibus & sic eodem modo debet satisfieri argumento in utraque sententia, dicendo magis requiri ad hoc ut objectum causet dolorem quam ut sentiatur, & sic non sequitur has partes sensu carere ex eo quod non doleant.

Ad secundum dico quod sensus communis non judicat de sensibus externis, sed de sensibilibus & sensationibus eorum, & sic habere sensum tactus, non impedit quod recipiat species ad prædicta cognoscenda, exemplum autem quod adducitur non est verum.


Ad tertium Respondeo in cerebro esse peculiarem rationem quæ non est in aliis visceribus,

nempè expellendi nocivum, & sic ejus substantiae potest concedi sensus, licet non acutus; & licet ad expellendum sensus non sit necessarius, ut patet in omnibus, idè responsio evidenter non convincit.

Denique potest esse dubitatio de venis & arteriis non solum cerebri, sed omnium partium corporis: nam de omnibus eadem est ratio, an habeant sensum & dicendum breviter est venas & arterias sensum, licet non acutum, sed habentem habere, quod non alia ratione potest probari nisi de plenitudine ad vires, ratione sumpta, quia in prædicta plenitudine vasa sentiunt pondus & gravamen humoris: ergo ex eo est quia habent sensum.

Sed dices: sequitur quod si vasa habeant sensum, non solum in febribus intermittentibus, verum etiam in continuis fieri rigorem. Pater: nam si vasa sentiunt, humor transiens per illa non potest non irritare, & sic vasa movebuntur ad expulsionem, & fiet rigor.

Respondetur præter sensationem molesti irritantis requiri ad rigorem motum concussivum localem; talis autem in vasibus non potest reperi, licet habeant fibras mediis quibus contrahuntur & distenduntur & expellunt, non sufficit ad concussivum motum rigoris, quia iste est proprius facultatis animalis, & tantum mediis musculis fit. Vnde infertur sensum omnium partium esse ejusdem speciei, & solum differre secundum magis & minus, ita ut nervi & membranæ intensiore illum habeant quam substantia cerebri & venis & arteriis, & sic de aliis partibus.



## C A P V T V.

*De dolore Capitis per consensum, & an in remota parte possit reperi, non dolente proximâ.*

**E**RUM in primis est dolorem capitum posse esse per propriam passionem illius, & aliquando per consensum, ut ex Galeno, Avicen. & omnibus constat; indè etiam Avicen. *cap. 6.* incipit numerare partes cum quibus caput consentit, & modum consensus; nam aliquando consentit caput, absque eo quod ab alia parte ei communicetur materia, neque vapor, ut continet in tetano & spastino, in quo sine alicuius communicatione caput patitur; aut potest pati ex eo quod materia communicetur, ut humor aut vapor; deinde potest pati ex eo quod communicetur capiti aliqua qualitas ex primis, aut venenosâ per continui alterationem, quod nullo ex capite implicat.

Hoc ergo supposito, inquit Avicenn. quod quando dolet caput per consensum cum ventriculo, dolor incipit in anteriori parte syncipitis, & fortassis declinat ad medium syncipitis, & deinde removetur. Deinde quando caput patitur cum consensu cum hepate, dolor declinat ad latus dextrum, & quando per consensum cum liene, ad latus sinistrum; & quando patitur caput per consensum cum matrice, existit dolor in margine syncipitis; & dolor qui fit causa membranæ, declinat valde ad anteriora.

Sed aliquibus videtur non posse caput dolore affici per consensum cum ventriculo vaporibus ascendentibus ad illud, quia si per aliquam partem debebant communicari, maximè per cesophagum, & per instrumentum olfactū: sed si hoc est ita, non est cur aperto ore, & naribus vapores non exirent & liberatur caput à tali dolore. Sed facilis stat solutio si dicamus nervos habere cavitates & per illos communicari vapores; tum præterea licet non haberent cavitates, vapores possent communicari per aliquid intermedium inter ipsos & aliam partem; deinde, si malum communicetur per arterias ex tunicis ventriculi, facilior est responsio. Deinde quando dolet caput per tensionem nervorum, tunc talis consensus capitinis ex ventriculo, id est, vel cum ventriculo non potest negari, quia tunc non est necessarium ad talem dolorem vapores communicari, sed sufficit tensio in nervis.

Vnde infertur rationem propter quam caput patitur per consensum partium quae supra sunt enumeratae, esse propter restitutionem & communionem prædurarum partium cum capite, sic enim consentit caput cum illis.

Vnde etiam sit quod quando uterus laborat propter multitudinem causæ, tunc dolor veluti tensivus per consensum est in occipite, hoc est in posteriori parte cerebri: nam vi multitudinis distenduntur nervi secundum longitudinem ex eo quod uterus contrahatur; talis autem tensio sit per continuationem cum spinali medulla, quae est exortus nervorum: cum autem spinalis medulla continua sit cum occipite & in ea distensio est, dolet posterior pars capititis; at verò in aliis morbis uteri, ut in febribus, quae patiente utero solent esse continentes, & in ejusdem partis inflammatione, tunc dolores solent finiri in synapsite, hoc est in anteriori cerebri parte, quod expressè à Galeno affirmatur, & adducitur ab eo ratio, quia cum dolor contingat propter communicationem vaporum qui elevantur ad caput per magnas & copiosas arterias, quae sunt in utero & ascendunt per carotidas quarum plures portiones sunt in parte anteriori, & rectâ viā tendunt in illud, ibique finiuntur: sic præterea venæ quae ex utero communionem habent cum cerebro ex jugularibus in sinibus duræ meningis finiuntur; & cum ad eam partem pervenit materia, in illa firmatur, & sic in anteriori parte cerebri sit dolor per consensum in prædictis ute-ri affectibus.

Alterum quod inquirebat quæstio, est utrum dolor possit reperiri per consensum in parte remota, quin doleat proxima, & dicendum breviter nobis est, nullum partem sive remotam, sive proximam posse dolere, quin priùs habeat in se causam doloris, ex Hipp. dicente, *Vbi est dolor, ibi est morbus.*

Secundò dico posse dolere per consensum partem remotam, quin doleat pars proxima: nam quod in vigilia à ventriculo in caput ascendunt vapores causantes dolorem (& idem est de qualibet alia causa) licet transirent per partes proximas, in illis non causatur dolor, quia non firmantur, sed citè transirent, in capite verò firmantur sive propter majorem aptitudinem, sive propter debilitatem facultatis expulsive; & sic in capite causatur dolor quin in partibus proximi causetur non solum tensivus, sed per alterationem à primis qualitatibus.


Similiter quando dolor plevræ extendit usque ad jugulum, experimento constat partes quæ sunt in medio, carere dolore, quod ex eo est quia facile cedunt cause, & sic non est in eis solutio continui; partes autem juxta jugulum existentes resistunt, & sic in eis fit solutio continui, & dolor, quin in proximioribus dolor illus sentitur. Optimè ergo possunt dolore per consensum affici partes remotæ quin proximæ partes tali dolore afficiantur propter rationes dictas.

Sed adverte non esse necessarium quod semper parti remotæ dolenti communicetur materia, aut vapor ut doleat per consensum licet semper sit necessarium quod ea in se sentiat objectum reale per sensum externum: potest enim id fieri sine materia quæ approximatur parti; ita enim contingit in tetano & spasio: nam in istis fit dolor mediæ tensione partium, ratione cuius dolor in parte remota sentitur sine materia aliqua ascenden- te, non tamen quin adsit præsens objectum sensationis. Et hæc de hac Disputatione.



## DISPUTATIO VI.

*De laſione memoriae.*



## CAPUT PRIMUM.

*An actio memoriae possit laedi omni modo.*



U M tripliciter possit laedi actio, aut per diminutionem, aut per ablationem, aut per depravationem, quod in præsenti quæritur, est an operatio memoriae possit omnibus his tribus modis laedi. Circa quod qui asserunt memoriam non esse potentiam activam, neque elicere actum in genere causæ efficientis, sed solum esse potentiam passivam receptivam specierum, (etsi aliquam activitatem memoriae tribuant, & esse conservativam specierum, quod facere docent in genere efficientis.) Consequenter affirmant operationem memoriae posse laedi per diminutionem, si species minus repræsentent; & etiam posse laedi per ablationem, si species deficiant: semper tamen negant laedi posse per depravationem: nam si hoc ita esset, deliraret, quod non esse concedendum affirmant, allatis pluribus Autoritatibus quibus hoc placitum videtur confirmari. Et præcipuum fundamentum actum depravatum negandi, est quia cum in memoria non concedant potentiam activam ex consequenti neque aetum cognitionis in genere efficientis depravare operari non posse: nam alias si aetum cognitionis in genere efficientis haberet, depravare operaretur & deliraret, quod non debet concedi juxta illos.

Sed nobis dicendum est memoriam esse potentiam cognoscitivam elicivam sui actus in genere efficientis, ita ut ei conveniat esse conservativam speciei & cognitionis elicivam. Hæc conclusio præterquam quod habet plures & validissimos patronos, inter quos eam defendit noster Vallesius

Valles. Ratione etiam confirmatur: nam si aliquid esset in memoria, ratione cuius non esset potentia operativa, & ei repugnaret, maximè quia est conservativa specierum: sed intellectus passus etiam conservat species, & simul est potentia operativa, & similiter imaginatio conservat species sensatas, & est operativa, juxta communem consensum: ergo licet memoria sit conservativa specierum, non obstat quominus activa & operativa elicivaque cognitionis sit.

Secundò, quia omnis potentia quæ constituta est per aliquam formam in actu primo, potest elicere actum secundum: sed memoria constituitur in actu primo ad operandum per species: ergo poterit elicere actum secundum, & sic erit operativa elicivaque cognitionis.

Tertiò, quia memoria est potentia vitalis, quæ debet habere actum vitalem: sed conservare species non est actus vitalis, ut constat: ergo aliis actus debet concedi memoriarum quæ vitalis sit: at qui non est aliis nisi cognoscere præteritum ut anteà cognitum; ergo ad memoriam iste actus pertinebit, & potentia operativa erit sine dubio: Adverte ad potentiam vitalem duo requiriri, & quod sit propria animæ secundum aliquem gradum vitæ, & quod oriatur ab ipsa anima tanquam à principio ut propria passio; & cùm memoria totum hoc habeat, videtur esse potentiam activam vitalem.

Dices, non benè sequi ex eo quod sit potentia vitalis, quod elicit actum vitalem: nam etiam intellectus agens est potentia vitalis, & tamen ejus actus solum est productio speciei intelligibilis qui vitalis non est; ergo non benè infertur, memoria est potentia vitalis; ergo necessariò debet elicere actum vitalem. Sed Respondetur dicendo omnem potentiam vitalem elicere actum vitalem: nam non est cur cæteræ potentiarum vitales eliciant suos actus vitales, & non memoria, præcipue cùm nullus dubitet actionem memorandi esse vitalem: ergo & memoria potentia vitalis debet esse cui conveniat elicere actum vitalem.

Præterea, quia non debebat poni potentia aliqua vitalis solum propter receptionem aliquius, alias si memoria potentia activa non est, non est ratio quæ persuadeat species illas debere recipi immediatè in memoria, & non in quantitate, ac proindè non solum memoria conservativa specierum est, sed elicivita actus memorandi. Neque appetit probabile memoriam in genere causæ materialis recipere species, ita ut respectu productionis nullam habeat activitatem, & tamen efficienter conservare illas, ut contrarij Autores affirmant: nam quod tantum se habet ut materia, & non efficienter, non potest ad conservationem concurrere nisi materialiter: sed memoria tantum se habet materialiter & passivè recipiendo, species: ergo illas non potest conservare efficienter, sed materialiter tantum. Neque dicendum est minorem virtutem requiri ad conservandum quam ad producendum, & sic memoriam in genere efficientis conservare, & non producere aliquid effectivè: nam illud quod efficientiam non habet ad productiōnem unius effectus, non potest conservare illum in genere efficientis: sed juxta Autores contrarios memoria nullam efficientiam habet & activitatem circa suam operationem: ergo neque poterit conservare in genere efficientis. Vndè illud quod de intellectu agente adductum fuit, nihil

facit contra nos; nam productio speciei intelligibilis vitalis est.

Dicimus secundò in memoria posse esse actum depravatum & erroneum ac per consequens delirium. Quod probatur, quia in reliquis potentias internis actus depravati reperiuntur, ergo & in memoria: cùm jam probatum sit esse potentiam activam sicut reliqua.

Secundò probatur ratione Vallesij, quia objectum memoriarum est præteritum ut præteritum cum differentia temporis, loci, & personæ: sed potest contingere ut quis recordetur, & tamen quæ erant Petri attribuat Paulo; vel in tempore, ut si quis recordetur vidisse Petrum heri, & verè non fuit heri: sed alio die, heri tamen vidit Paulum, ita ut tunc quod Pauli erat attribuit Petro: Et idem dico de loco, & persona; in quibus omnibus depravatio in memoria contingere potest sicut in aliis potentias internis.

Sed videtur quod in memoria nō possit esse actus erroneous: nam si videat Petrum Romæ, & posteā per actum memoriarum quando vidit Paulum similem Petri, dicit se memorari de Petro viso Romæ, quia tribuit Paulo quod erat Petri, tunc videtur illum actum spectare ad imaginativam componentem illas duas species vel ad rationem judicantem Paulum esse Petrum, non verò memoriarum: nam ejus actus debet esse rei præteritæ, & sic non potest Paulum præsentem cognoscere per proprium actum; neque videtur esse species qua cognoscatur Paulus, ut præteritè cognitus, quia Pauli nulla fuit species in ea conservata.

Respondet Magister, id procedere ex specie quæ repræsentat aliquid simile, ut reverè prius cognitum: tamen contra est, quia similitudo non facit ut illius cuius nunquam fuit species reservata in memoria sit actus ejus, ut anteà cogniti, si revera non fuit anteà cognitus. Solum possumus respondere, dicendo memoriam posse componere sicut imaginativa per simultaneitatem objectorum, & sic in ea dari proprium actum erroneous.

Ultimò dubitari potest utrum detur actio aucta præternaturam in memoria. Quæ dubitatio communis est ad omnes actiones animæ sensitivæ: Et dicendum nobis est actionem auctam tam secundum extensionem, id est, quod amplius quam secundum naturam deberet, quam secundum intensionem esse præternaturam & symptomaticam. Probatur: quia certum est habere unum hominem secundum propriam naturam principium magis accommodatum ad operationem intesiōrem quam alium, eodem modo se habentibus quæ se habent ex parte objecti, & conditionibus: sed hujusmodi intensio major non procedit ex parte animæ, aut facultatis: ergo procedit ex temperamento quod ad actionem magis accommodatum est in uno quam in alio: sed illud temperamentum cerebri quod uni est secundum naturam, alteri potest esse morbosum & contra naturam: ergo intensio quæ uni est secundum naturam, alteri erit morbosæ & symptomatica, ac proindè potest esse actio aucta contra naturam.

Neq; facit contra nostram conclusionem quod illa intensio fiat à facultate & ab anima tanquam à principiis internis, & esse vitalem, quia temperies quæ conductit ad majorem intensionem est huic individuo contra naturam, & morbosæ, & sic actio est contra naturam, ut patet in nutritione quæ

quæ perfectiori modo sit à calore febrili ; simili-  
ter vehementia & magnitudo pulsus sunt præ-  
ternaturam , etiam si cor vitaliter in illis agat ,  
quia à causa morbos nascuntur : undè illa actio  
non est perfectiva secundum intensionem , cùm  
à morbo procedat. Et licet aliqui dicant illam  
actionem auctam esse contra naturam & sympto-  
maticam ex parte principij , quia procedit à mor-  
bo , non tamen esse contra naturam ratione fi-  
nis , difficultatem non solvunt , quia semper  
erit verum dicere esse symptomaticam , & contra  
naturam huic individuo , cùm procedat & se-  
quatur morbum sicut umbra sequitur corpus.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T II.

*An memoria conservet ita species , ut  
aliæ potentiae internæ lædantur  
ratione illarum.*

**V**ALLESIUS in hac difficultate licet concedat quod quando potentiae patiuntur per propriam passionem , unam posse lædi quin alia lædatur : tamen quando per consensum læduntur , affirmat exp̄sè non posse memoriam lædi quin aliæ duæ facultates ad quas species mittit , vel suppeditat , scilicet cogitativa & intellectiva , lædantur , ac proindè memoria potest esse occasio ut aliæ potentiae internæ lædantur. Probatur ex Avic. dicente memoriam esse thesaurum ejus quod pervenit ad æstimativam : ergo læsa memoriā lædatur æstimativa , ad quam suppeditat species , ac per consequens memoria potest conservare species , ut aliæ potentiae internæ lædantur , ratione illarum , illas scilicet ad quas mittit species.

Deindè probat Vallesius ratione : quia potest contingere ut homo non prævideat aliquod malum imminens , eò quod alicujus quid illud portendebat fuerit oblitus : sed hoc non potest contingere , nisi quia ratio privatur suo munere , defectu memoriæ non ministrantis speciem: ergo.

Secundò alio exemplo probatur , quia ex eo quod canis recordetur esse in aliquo loco equum mortuum , statim judicat conveniens ejus mandationem , & actu appetitus movente , moveatur ad illum : ergo ex eo est quia memoria subministrat species æstimativæ , ac per consequens ratione specierum conservatarum in memoria , poterunt lædi aliæ potentiae internæ , quibus ea subministrat species.

Sed relata sententia nobis non probatur ; & imprimis quod imaginativa non lædatur ratione memoriae probatur , quia imaginatio non recipit species à memoria , imò in ea in absentia objectorum species conservantur , ut patet ex Aristotele dicente , *Imaginatur quando volumus* : ergo.

Quod si aliquis dicat imaginari nos quando volumus , quia semper memoria suppeditat species imaginationi , falsum est , quia sequeretur quod species in imaginatione non conservarentur nisi actu operante memoriā ; constat autem imaginationem operari circa memoriae actum : ergo falsa est solutio.

Deindè non lædi æstimativam ex consensu cum memoria , etiam si concedamus æstimativam non habere vim conservandi species , probatur :

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

nam aut æstimativa recipit species ejusdem rationis à memoria cum illis cum quibus hæc opera-  
tur , & hoc non , quia cùm potentiae sint essentia-  
liter diversæ , species quæ repræsentant propria  
objecta cujuslibet , debent etiam specie esse di-  
versæ & essentialiter.

Sed dices: species diversæ rationis specificè re-  
cipit : nam producuntur à termino memoriae , aut  
ab specie memorabili tanquam à causa æquivoca.

Sed hæc solutio falsa apparet , quia imprimis  
à termino memoriae non possunt produci : nam  
cùm species dependeat in conservari ab actione  
illius termini à quo producitur , & alias æstima-  
tiva non conservet species juxta opinionem in  
qua loquimur , sequeretur necessariò quod non  
possit operari æstimativa , aut raro , quin opere-  
tur memoria , quod est falsum.

Deindè neque ab specie memoriae possunt pro-  
duci species in æstimativa , quia species unius po-  
tentiae non producitur ab specie alterius : sed à  
termino actionis alterius , ac proindè vi specie-  
rum quæ in memoria conservantur , aut defec-  
tu illarum , non sequitur læsio in aliis potentias inter-  
nis. Et præcipuum fundamentum est , quia nullæ potentiae interiores dependent in operari à  
memoria , ex eo quod hæc illis species ad ope-  
randum non suppeditat , ac proindè per consensum  
adhuc non possunt pati , ut tenet Vallesius.  
Mirantur tamen plures Vallesium ex eo quod  
affirmet omnes potentias reætrices esse in eadem  
parte cerebri , & nihilominus solum memoriae  
concessit virtutem conservandi species in absen-  
tia objectorum , & non aliis potentias interioribus ,  
quod non est verum , quia etiam imaginativa id facit in absentia objectorum.

Unde ad Rationes Vallesij restat quod satisfa-  
ciamus : & ad primam experientiam dicimus cæ-  
teras potentias non pati per consensum , ac proindè  
ex eo quod deficiant species in memoria , vel  
malè ministrentur , non sequitur læsio in aliis  
interioribus potentias : siquidem non recipiunt  
ab illa species , neque illas eis eas subministrat ,  
ac proindè illud exemplum positum solum potest  
interpretari in bonum sensum , ex eo quod propter  
connexionem actuum prædictarum potentiarum ,  
defectu specierum in memoria ratio non  
cognovit illum , ratione cuius periculum immi-  
net , quia tunc non læditur ratio , quia speciem  
non recipit ab illa quæ erat in memoria : nam  
habet alium producens ratio , & ita patet falsum  
esse existente ablata actione memoriae , reliquas  
lædi per consensum. Eodem modo Respondetur  
ad alterum Vallesij experimentum , negando pati  
per consensum , sed , ut dictum est , per conne-  
ctionem actuum inter dictas potentias.

Sed rogabis : si ipsa cogitativa non ser-  
vet species illius objecti , quando venit in cognitionem  
illius præcedente actu memoriae , à quo  
producuntur quando operatur æstimativa , circa  
alia recordatur. Respondetur produci species in  
hujusmodi potentias internas ab specie expressa  
actus imaginationis , & sic imaginationem tunc  
operari , à cuius specie expressa , & non à memoria  
recipiunt species aliæ potentiae.

## CAPVT III.

An actus memorie possit à quavis distemperie lədi, & quā ratione.

**G**U M ləsio in memoria contingat plures, quia excedit aliqua qualitas, ita ut præternaturam reddit temperiem, quod in præsenti quæritur, est à qua qualitate excedenti actio memorie lədatur. In qua quæstione communiter affirmant Autores, memoriam lədi diminutę, aut ablatę à distemperie frigida. Hæc sententia pluribus autoritatibus Galen, & Avicennæ poterat confirmari, in quibus id expressè afferunt, & dicunt non alia ratione in apoplexia & aliis soporiferis affectionibus memoriam lədi, nisi propter frigidam cerebri distemperiem; id tamen brevitatis gratiā omittō, quia apud Petrum Garciam in hac diffut. cap. prædicto, poterit quis videre. Nulla tamen alia ratione prædicti Autores confirmant hoc placitum, nisi quia frigus torpidas facit actiones si nimis excedat, redditque animal otiosum, & ad actiones pigrum, ut constat de animalibus quæ tempore hyemis in cavitatibus terræ latent: ergo actio memorie torpida fieri potest ratione nimiae frigiditatis, ac proindè diminutionem potest pati ab eo & ablationem si nimia frigiditas sit, ita ut omnimodum torporem inducat.

Sed difficultas est assignare rationem ob quam frigus hujusmodi ləsionem causet. Circa quod Gentilis affirmat memoriam tripli actū perfici: Primus est motus spirituum ad sigillandam speciem memorabilem: secundus est conservatio specierum: tertius est motus spirituum ad excitandam & deferendam speciem imaginativę, & aliis potentii. Hoc supposito, affirmat primum & tertium actum memorie lədi à frigore, quā ratione istius spiritus densatur & inepti ad motum redduntur, ac per consequens memoria in illis duobus actibus ləditur propter spiritum stupefactionem in ordine ad motum à frigiditate causatam; quæ quidem ləsio etiam potest provenire per accidens à nimio calore, quatenus potest resolvere spiritus qui alias moveri debent.

Unde secundus actus memorie, scilicet conservatio specierum, potest lədi vel ab humiditate nimia quæ species retinere nequit, vel à siccitate quæ impedit impressionem ipsarum: unde etiam sequitur memoriam posse aboleri, vel quia species non sigillentur in ipsa, quia spiritus non moventur, vel quia siccitas impedit impressionem specierum, vel quia humiditas facit ut non retinentur, vel quia ad alios sensus ab spiritibus non adducuntur. Hæc pro Gentili, quæ licet probabilia sint, nihilominus examine indigent, & à nobis non debent omni ex parte sustineri.

Et imprimis nobis non probatur primus actus quo perficitur memoria à Gentili enumeratus, nempē actus sigillans speciem memorabilem: nam nomine hujus sigillationis, vel intelligitur quod spiritus determinent memoriam ad operandum cum hac specie potius quācum cum alia: & hoc non, quia spiritus sunt insufficientes ad talem determinationem, ut Disp. de phrenitide patebit. Deinde neque sigillare speciem est quod spiritus

recipient speciem, tānq̄e producant in memoria, quia licet hoc esset verum, tamen prædictus actus memorie, non est cur semper attribuatur tali causæ, cūm etiam ab aliis potentii inferioribus suppeditantur species memoriae.

Deinde quia hoc quod est spiritus producere speciem in memoria, non est actus memorie: nam sicut ex eo quod memoria producat speciem in imaginativa juxta sententiam oppositam, ille actus quo memoria suppeditat species non dicitur imaginatio; sic similiter actus quo species in memoria ab spiritibus producitur, non potest dici actus memorie, ac proindè etiamsi talis actus per frigiditatem lədatur, malè & sine fundamento attribuitur memoriae, quia memoria solum habet actum quo conservat species & suam memorationem vel agnitionem elicere.

Neque valet quod dicas illum non dici actum memorie, sed quod per illum perficiatur memoria, quod valde distinctum est. Tamen contra est, quia Gentilis expressè afferit quod illæ duæ actiones memorie ləduntur à frigore; ergo sentit esse verè actum memorie, & non solum perficere ipsam circa necessitatem motus localis nobis videtur nulla ratione esse necessarium ad quamlibet memoria operationem. Pro quo nota quod duplicitate potest intelligi talis necessitas, vel antequam memoria recipiat species, vel postquam illas recepit. Primo modo est motus spirituum necessarius, quia cūm sint plurimæ potentiae internæ, & non sint inter se coniunctæ, necessariò debet esse motus spirituum deferentium species ab aliis potentii ad memoriam; & etiam quia ipsum agens producens speciem in memoria, cūm exiguae sit activitatis, nequit producere, vel agere usque ad ipsam memoriam, ut contingit in externis. Itaque est necessum quod producat spiritus in parte immediata, & ista pars moveatur ad memoriam cum specie.

Tamen hoc non convineat, quia in opinione afferenti facultates esse in eadem parte cerebri, non est necessarius talis motus, cūm semper sit producens intimè approximatum: neque in alia magis communissima in qua ferè ab omnibus asservatur potentias cerebri in eadem residere parte, licet per aliquam peculiarem dispositionem in una parte magis vigeat una facultas quā in alia: nam in hac sententia ille motus non est necessarius simpliciter ad operationem memoriae, quamquam ad majorem conducat perfectiōnem: siquidem in qualibet parte ubi alia facultas residet exercetur actus memorie, licet non tam perfectè, sicut in potentiori: ergo saltem actio ablata non potest accidere ratione frigoris, vel ratione defectus motus spirituum. Probatur, quia ad operandum in parte in qua sunt spiritus, quæ capax est talis actus, non requiriunt motus spirituum.

Qui tamen afferunt memoriam non esse activam, eodem modo possunt impugnari circa tertium actum. Si verò inquiras quā ratione vi frigoris spiritus reddantur ad motum inerti?

Respondeatur id contingere ratione densitatis: nam cūm spiritus non à se moveantur, sed à virtute recepta, & densitas sit indispositio ad talem receptionem, & non solum densitas, sed ipsum frigus, quatenus malè disponit ad talem motum patrandum.

Deinde, n̄c̄q̄ motus spirituū potest esse necessarius pot-

postquam jam producta est species in memoria, quia circa motum spirituum sunt omnia requisi-  
ta, ut memoria possit operari, & quaelibet alia  
potentia interna: nam ex parte objecti nihil  
deficit; cum supponamus speciem jam esse produ-  
ctam; neque ex parte potentiae, nam praeter  
hanc, & animam, & temperamentum qualitatis  
solùm videtur necessaria qualitas quæ ab spiri-  
tu producitur ad operandum: sed ad hoc ut pro-  
ducatur qualitas ab spiritu intra cerebrum, non  
est necessarius motus localis spirituum, sed suffi-  
citur esse spiritus approximatos: ergo motus  
localis non est simpliciter necessarius, ut memo-  
ria operetur. Solùm ergo videtur necessarius motus  
spirituum in opinione dicentium potentias  
internas omnino esse in diversis locis, ut species  
deferantur ad organa diversarum potentiarum.

Sed queret aliquis, an in opinione afferenti  
memoriā solūm esse potentiam passivam, &  
suppeditare species cæteris potentias, sit læsio in  
memoria defectu motus spirituum. Et dicimus  
adhuc in prædicta opinione non esse necessarium  
motus spirituum, ac per consequens defectu  
eius non lædi, quia cum spiritus sint præsen-  
tes, absque motu locali poterunt producere spe-  
ciam in eis subjectam, in aliis potentias absque  
motu locali eorum.

Unde nobis dicendum est verum esse actionem  
memoriæ lædi à frigore adhuc specie pro-  
ducta in memoria, & in spiritu, sicut potentiae  
sint in eadem exquisita parte cerebri, sive in di-  
versis. Et ratio est quia jam dictum est, quod  
ad hoc ut operetur memoria, requiritur qualita-  
tis illa quæ ab spirituum forma dimanat, quæ  
quidem ad omnem sensitivam operationem esse  
necessariam diximus: sed ratione frigoris produ-  
citur densitas quæ quidem impedit pullulationem  
prædictæ qualitatis: nam licet densitas conduceat  
ad intensiorem operationem cum qualitatibus  
formalibus; solet tamen impedire pullulationem  
qualitatum quæ virtualiter in causa continentur,  
ut in casu posito. Neque existimandum est  
ob hanc rationem omnes aliae potentiae internæ  
lædantur: nam remissè productur talis qualitas  
quod sufficit ad operationem aliatum potentia-  
rum, & non ad memoriam. Similiter cum ad  
memoriā requiratur determinatum tempera-  
mentum cum certo & determinato gradu caloris  
in tanta intensione, crescente frigore tollitur in-  
tensio requisita in calore ad memorandum, &  
sic hac etiam ratione à frigore etiam memoria  
lædetur, non tamen omnes potentiae etiam ob  
hanc rationem debent lædi, quia memoria requiri-  
rit calorem intensem, & sic deficiente aliqua  
intensione, potest deficere requisitum pro  
memoria, & non pro aliis potentias internis. Tandem  
adverte quod aliquando contingit diminu-  
tio memoriae ratione contusionis, vel fracturæ:  
nam & non possunt communicari spiritus, & sic  
novi objecti non potest fieri sensatio; nam ratione  
contusionis aut fracturæ impeditur communica-  
tio, & similiter spiritus in quibus species antiquorum  
objectorum conservabantur, expelluntur ratione  
compressionis, ac proinde contingit quandoque  
oblivio, præcipue si compressio fiat in  
parte posteriori cerebri.

Circa actum conservandi species poterat quis  
dubitare, an etiam posset à frigore impediri(nam  
jam dictum habemus quomodo frigus sit impedi-  
mentum si sit in spiritibus & in substantia cere-

bri,) & dicimus etiam à frigore posse conservatio-  
nem specierum impediti: nam cum conservatio  
specierum dependeat à subjecti dispositione, &  
hæc possit variari per frigus, etiam secundum  
modum substantiæ: nam potest facere subjectum  
ita densum ut species recipi non possint, sicut de  
siccitate dicimus impedire conservationem pro-  
pter duritatem quam inducit in subjecto.

Restat ergo quod dicamus quâ ratione ob hu-  
miditatem & siccitatem, vel species non impi-  
muntur, vel si imprimitur facile delentur. Et  
primò de humiditate dicimus ratione illius spe-  
cies faciliter deleri: nam ratione humiditatis sub-  
stantia cerebri sit adeò mollis, ita ut vi fluxibili-  
tatis, species non possint retineri, & vi siccitatis  
sit ita dura, ut receptioni & impressioni specie-  
rum valde subjectum resistat; quod experimur in  
rebus externis: nam in re nimis dura ut in petra,  
auro, vel argento, sigillum difficulter imprimi-  
tur, & in subjecto molli faciliter imprimitur, ut in  
massa & cera. Verum si nimia sit molles, sta-  
tim figuræ delitescant, ut si ipsa cera liqueatur; at  
verò figura quæ in subjecto duro(licet difficulter)  
fuerunt impressæ, diu durant: sic ergo contin-  
git in memoria rationis humiditatis & siccitatis.

Sed dices: species visibles stante objecto per  
multum tempus conservantur in aqua & in aëre  
quæ valde humida & fluxibilia sunt: ergo fluxi-  
bilitas & humiditas subjecti non facit ut delites-  
cant species.

Respondetur facile diversam esse rationem de  
specie visibili: nam cum hæc dependeat in fieri  
& conservari ab efficienti, ab objecto scilicet,  
durat & perseverat toto tempore quo durat ob-  
jectum: at species memoriae non pendet in con-  
servari ab efficienti, & ideo deficit per indepen-  
dientiam subjecti modo dicto.

Alio modo ad argumentum respondeo dicendo  
quod agens præsens producit denuò novas spe-  
cies in partibus aquæ & aëris advenientibus, se-  
cūs verò in memoria manentibus.

Et licet exemplum positum de figuris & sigillis  
in rebus duris & molibus, omnino, non teneat:  
nam sigillum in rebus externis imprimitur me-  
dio motu locali, quo medio partes quædam certæ  
verbi gratia deprimentur, aliae verò remanent  
eminentes; & propter mollem, vel liqua-  
tionem contingit ut eminentes fluant, & non  
servent situm, ac proinde sigillum delitescat;  
quod non contingit in organo potentiae memo-  
rabilis; tamen exemplum probat & tenet in ali-  
quo: nam sicut in rebus externis vi indispositio-  
nis subjecti, aliqua facile imprimitur, & facile  
delitescant, & aliqua difficile imprimitur, &  
diutius permanent, sic vi alicuius dispositionis in  
organo memoriae, id potest contingere; conti-  
ngit autem rationis humiditatis, & siccitatis, licet  
non ita, sicut in rebus externis ratione motus  
localis.


Ex his deducimus id quod notatu dignum est,  
nempè quod si semel recipiat cerebrum aliquam  
speciem, cámque aliquo tempore conservet sine  
remissione nullâ stante variatione & indisposi-  
tione, est impossibile quod deficiat, quia non  
est major ad eam servandam per spatiū unius  
horæ, quād ad servandam eam semper, stanti-  
bus rebus eodem modo, & sine aliqua varia-  
tione; in cera verò alia currit ratio: nam partes  
successivæ moventur, & sic tandem deficit sigil-  
lum in ea impressum.

Deinde afferunt aliqui Autores actionem memoriae à frigore, tantum per ablationem posse lèdi; ab humiditate verò & siccitate tantum posse lèdi per diminutionem: & probant quia ablato actus memoriae fit per ablationem totalem specierum: sed hoc tantum fit à frigore, quia extinguit species quæ sunt, & alia impedit quæ possunt produci: ergo frigus ablationem facit; humiditas autem & siccitas non in totum tollunt species, sed potius cum humiditate aliquo tempore durant, & siccitas etiam si impressionem impedit per aliquod tempus, tamen non potest resistere illi speciei quæ ab agente efficacissimo productur.

Dicendum tamen nobis est quamlibet ex his qualitatibus posse facere actionem memorie, vel ablatam, vel diminutam. Et primò quod frigus possit facere actionem diminutam probatur, quia frigus non in quolibet gradu lèdit actum memorie: ergo ut lèdat requirit peculiarem intentionem: ergo ut magis lèdat requirit majorem intentionem, & ut minus, minorem: sed ablato est major lèso, ergo cum paulò minori intensione lèdet, & non ablare, ergo diminutè: Præterea quia frigus non solum lèdit impediendo species, sed etiam malè disponendo ad opus; unde nihil facit contra nos quod in oppositum adducitur.

Quod verò à siccitate & humiditate sit actio memorie ablata, probatur, quia tales species petunt in organo memorie peculiarem dispositionem in humiditate & siccitate, & etiam in secunda qualitate: sed non repugnat quod talis secunda qualitas & modus substantiae & aliæ dispositiones evertantur, ita ut totaliter ineptum reddant organum ad conservationem, vel potentiam ad operationem: ergo dabitur in tali casu actio ablata ab humiditate & siccitate sicut à frigore.

Sed rogabit quis, an à calore possit lèdi memoria? Cujus partis discussio in experientia fundamentum habet: nam experimus sèpè sì plus calore præternaturali affectos lèsionem pati in memoria. Sed pro clariori intelligentia adverte dupliciter calorem posse conducere ad lèsionem vel immediatè & per se ratione sui, & hoc modo calor semper ad depravationem conductit, ut Disputatione de deliriis dicemus, vel mediatè, & per accidens; & hoc modo dicimus, calorem conducere ad lèsionem, quatenus medio illo dum præternaturam est dissipantur & resolvuntur spiritus animales qui ad omnem operationem sensitivam sunt valde necessarij: vel in sententia afferenti dari in quolibet parte mixti partes correspondentes clementis, quia ratione caloris præter naturam resolvuntur partes calidæ & humidæ valde ad operandum necessariæ; quo fit ut actiones diminuantur.



## CAPUT IV.

*An actiones lèdantur simul cum memoria; an verò possit una sine alia lèdi.*

 OMNUNIS sententia, & ab omnibus recepta, est posse lèdi unam potentiam quin aliæ lèdantur. Hanc expressè tenent

Galenus & Avicennas pluribus in locis, quos brevitatis gratiâ omitto. Ratio autem quæ communiter adducitur ad id probandum, est quia omnes potentiae indigent ad operandum calore influente & naturali: sed non omnes in eodem gradu; ita ut memoria petat intensiorem calorem quam æstimativa seu ratio, & hæc majorem quam imaginativa, & minorē quam memoria, ac per consequens cum omnes eundem gradum caloris non exposcant, quid minum memoriam, aut quamlibet ex his sine alia lèdi posse: Itaque si lèsio causatur à frigore, priùs lèdetur memoria quam æstimativa & imaginativa: nam priùs debet auferri calor intensus quam remissus: sed memoria intensiorem calorem exposcit ad operandum quam æstimativa & imaginativa: ergo existente frigore præternaturam priùs deficit calor requisitus pro memoria quam pro aliis.

Dum verò lèsio fit à calore, priùs lèdetur imaginatio, deinde æstimativa, & tandem ultimò memoria. Ratio est clara: nam cùm ex his potentiis quæ remissorem calorem exposcit, sit imaginatio, crescente calore illa priùs lèdetur, quæ juxta suam naturam non exposcat illum in majori intensione: sed hæc potentia est imaginatio: ergo per calorem hæc priùs lèdetur: nam calor qui est secundum naturam æstimativa & memoria, potest esse contra naturam imaginativæ: ergo tunc erit lèsa imaginatio, illæsis æstimativæ & memoriae.

Sed nota quod quando memoria sola lèdetur, quasi subitè talis lèsio causatur à frigore, quia si esset à calore, priùs debebant pati cæteræ potentiae, nempè imaginatio & æstimativa quæ minorem calorem exposcent, secundum Vallesium nostrum *tertio de locis, capite secundo*. Quæ quidem sententia etiam est vera in opinione afferentium omnes potentias internas esse in eadem parte cerebri: nam in alia afferente collocari quamlibet potentiam in diversa parte, non est dubium quin potest lèdi una sine alia à quavis qualitate lèsio fiat: nam cùm sint distantes, poterit una distemperari, & alia non.

Sed pro majori intelligentia, & ut cognoscamus clarius à qua causa cerebrum afficitur, advertere oportet lèsionem diverso modo fieri à calore quam à frigore: nam frigus aut totaliter auferit actionem, aut minuit eam; at verò calor primò depravationem facit in actione quam aliter eam lèdat, etiamsi quando nimis augetur possit comminuere actionem, & eam auferre. Ratio hujus à nostro Præceptore clarè adducitur, quia cùm frigus reddat res immobiles, debet causare lèsionem per modum quietis & cessationis: at verò calor qui causat motum, facit lèsionem per se primo consistentem in mutatione, & ex consequenti depravatè. Quam rationem magis perpendit noster Vallesius: nam ait actiones omnium harum facultatum fieri à calore tanquam ab instrumento, non verò à frigore; quando autem frigus augetur, minuitur instrumentum ad actiones, nempè calor, & ita adeò potest crescere frigus ut omnino auferatur actio: at verò aucto instrumento, nempè calore, immoderatè fit actio & sic depravatè; si tamen nimis & immoderatè calor crescat, tunc aut diminuitur actio, aut auferatur, quia instrumentum est eversum,

sum, sive sit, ut ait Gentilis, propter resolutionem calidi innati, sive ob aliam rationem: Unde vera manet conclusio, quod cum memoria maiorem calorem exigat, prius laeditur a frigore quam alia, aliae vero a calore prius laeduntur, quia minorem exposcent.

Sed objicies primò contra nostram conclusiōnem, quia non est unde constet memoriam petere maiorem & intensiōrem calorem ad operandum quam reliquæ potentiae, immo oppositum videtur colligi posse ex eo quod cogitativa potentia perfectiori modo operetur quam memoria, utpote discurrit circa singularia saltim in homine: ergo calor in majori perfectione & intensiōne ei debetur.

Respondetur memoriam intensiōrem exposcerre calorem, idque constare experientiā ipsa: si quidem memoria laeditur a frigore se sola, quin aliae laedantur: sed si cogitativa exposceret intensiōrem calorem, non posset a frigore laedi memoria, quin prius cogitativa laederetur.

Ad illud de perfectiori modo operandi, dicimus memoriam etiam ex S. Thoma quandam habere discursum ex propinquitate ad intellectum. Ulterius quia memorari præteriti ut cogniti per cogitativam & alios sensus, reminisci rerum, maior est perfectio quam actus cogitativæ, ac proinde major est necessarius calor ad memorandum.

Dices secundò contra nos, quia illud cuius temperamentum consistit in sicco, prius laeditur ab humido, quam a frigido: sed temperamentum memoriae magis consistit in sicco: ergo prius laeditur ab humiditate quam a frigiditate.

Respondetur in memoria esse duplē actū, alterum conservativum specierum, & alterum memorandi, seu percipiendi objecta, ut ante cognitione: unde primus actus vetum est, quod consistit in siccitate quia temperies, in qua haec excedat ad id conducit: at vero secundus actus calorem excedentem exposcit; & ita quando dicimus, memoriam prius laedi a frigore, loquimur in ordine ad cognitionem, non in ordine ad retentionem, non enim dicimus in conclusione quod memoria semper habet primò laedi a frigore; sed quod quando contingit laesio a frigore, prius accidit memoriae quam aliis, aliter vero potest in se laedi a qualibet qualitate non facta comparatione cum aliis.

Dices tertiod: quia non videtur laedi prius memoriam a frigore, ex eo quod majori calore indiget ad operandum: nam facilius & prius incidimus in morbos similes quam in dissimiles: ergo si temperamentum requisitum ad actum memoriae est calidum, facilius & prius labefactabitur memoria a calore quam a frigore.

Respondetur diversum quid esse facilius incidere & labefactari morbo aliquo, ac prius illo affici: nos autem quod dicimus, est memoriam prius incidere in morbum frigidum quam ceteræ potentiae, non vero quod facilius incidat in morbum frigidum quam in calidum. Unde deditur Autor, quod si comparentur duæ causæ inter se, una calida, & altera frigida, ad morbos quos possunt producere in cerebro, quælibet sua temperie, prius morbus frigidus & facilius quam calidus sit in cerebro, ceteris partibus ex parte agentis; licet concedamus, facilius alterari cerebrum recipiendo gradum caloris ad quem est in potentia. Ratio ab eo adducitur, quia sanitas habet latitudinem, & sic licet calidum prius age-

ret in organo memoriae, non quilibet gradus caloris laedit memoriam. Itaque dum calidum producebat duos gradus necessarios ad laedendum, frigidum producebat unum sufficiens pro laesione, quod patet in corde, quod etsi calidus sit, citius a frigore quolibet offenditur, quia cum parva ablazione caloris præternaturam manet, & sic de memoria. Possumus respondere pro Magistro huic objectioni tunc loqui de calore in intensione simpliciter necessaria, ut memoria operetur, ita ut cum minore calore non possit operari; tunc enim erit latitudo quoad intensiōrem calorem, & non quoad remissiōrem, & sic prius erit laesio & facilius a frigore quam a calore, ceteris partibus, etiamsi ab agente calido facilius & prius calefiat magis.


Sed hoc ultimum quod à Petro Garcia deducitur mihi non probatur, quia temperies cerebri non minorem latitudinem sanitatis habet in ordine ad intensiōrem calorem recipiendum quam in ordine ad remissiōrem illius quod debetur: ergo, ceteris partibus, applicato agente calido & frigido, non prius laedetur a frigido quam a calido; quia etiamsi frigidum introducat unum gradum suæ qualitatis, & tollat alterum caloris requisiti ad memoriam; cum etiam habeat latitudinem in ordine ad remissiōrem (nam non consistit in indivisibili) sequitur planè non reddi cerebrum præternaturam, neque laedi a frigore, ut dicebat Petrus Garcia, prius quam a calore, sed a fortiori, quod de uno dicimus, debemus dicere de altero.

Dices iterum: ex dictis videtur quod non possit laedi ratio seu cogitativa, quin laedatur imaginatio, vel memoria. Patet: nam si laesio fit a calore, prius laeditur imaginatio; si a frigore, prius laeditur memoria: ergo nunquam se sola ratio laesionem pati potest.

Respondetur, quod si laesio semper continget a calore & a frigore, optimè probabit argumentum; tamen cum ratio etiam possit laedi ab aliis qualitatibus, nempè a siccitate & humiditate, certum est ab his posse laedi cogitativam, quin laedatur imaginatio & memoria.

Dices ultimò: quia ex dictis sequitur implicari contradictionem reperiri in aliquo potentias internas reætrices in summa perfectione; probatur, quia una potentia petit majorem calorem, alia minorem; una intensam siccitatem, alia humiditatem intensam: sed in eadem parte exquisita est impossibile quod in gradibus intensis compatiantur: ergo est impossibile quod omnes potentiae sint secundum totam perfectionem: atqui in Christo inventæ fuerunt: ergo alio modo philosophari debemus. Sed si afferamus quod facultates in diversis cerebri partibus resident, non est dubium quin omnes possunt reperiri secundum totam & omnimodam perfectionem. Ulterius nota quod dum dicimus maiorem calorem requiriti ad memoriam, est intelligendum quod illa intensio caloris necessaria simpliciter ad memorandum intrat in latitudinem aliarum potentiarum, taliter quod cum illa intensione non sunt in statu præternaturali, ita ut laedantur; tamen etiamsi auferatur talis calor, non laedenatur a frigore, laedetur vero necessariò ipsa memoria, quia petit simpliciter illum calorem; etsi aliquis caloris gradus addatur non laedetur memoria, quia eti secundum frigiditatem non habeat plus latitudinis, habet tamen respectu caloris intensivæ. Itaque argumento Responde-

tur naturaliter non posse contingere omnes potentias esse cum summa perfectione, ex ratione data in argumēto, ac proinde in Christo Domino non est imperfēctio, quod non habuisset omnes potentias summè perfectas, quia eas habuit secundum totam perfectionem quam permittit natura humana: Et patet quia si cerebrum ipsius magis siccaretur, sine dubio haberet perfectiorē memoriam; itaque collectivē habuit summam perfectionem, non distributivē. Et hæc de hac Disputatione.



## DISPUTATIO VII.

### De Deliriorum natura.

#### CAPUT PRIMUM.

##### Quid sit Delirium.

**S**UPPONIT quæstio delirium dari, utinam tamen certum non esset, quid verò sit, constat ex Gal. 2. de causis symptomatum, cap. ultimo, dicendo (deliria omnia pravus motus sunt facultatis regentis). In qua definitione motus pravus ponitur loco generis, nomine motus actionem pravam intelligendo: sed quia non omnes pravi motus cuiuscunque facultatis, sunt deliria, idè illa ultima verba facultatis regentis, ponuntur loco differentiæ, ut cognoscamus delirium constitui ex eo quod pravus motus sit facultatis regentis.

Sed ut prædicta definitio clarius manifestetur, notare libet triplex symptoma in actione lœsa reperiri, & datur symptoma in actione diminuta, in actione ablata, & in actione depravata: constat autem delirium non esse symptoma in actione diminuta, quia hæc talis dicitur in ordine ad intensionem debitam statui naturali: sed in nulla intensione est naturale delirium: ergo non ad actionem diminutam spectat, neque ad actionem ablata: nam etiam hæc dicitur respectu entis convenientis; in nullo autem est conveniens delirare, ac per consequens solum restat quod delirium ad actionem depravatam pertineat; ideoque dicitur à Gal. cap. citato, motus pravus facultatis regentis.

Cum ergo quicunque motus pravus facultatis regentis delirium dicatur, tot modis poterit aliquis delirare, quot potest depravatè moveri. Principalissimi verò sunt tres modi, seu spes delirij: prima in entitate, quando scilicet falsò componit, ut quando æger dicit se Regem esse, & ut talis aliquid imperat, & similiter quando dicit se esse Deum, & inde infert non posse comedere, quia Deus alimento non eget, & alia hujusmodi.

Secunda species delirij dicitur in tempore, quia in illa etsi vera dicat æger, ea tamen extra tempus idoneum & occasionem profert, ut si agens de peccatorum confessione, in medio hujus sermonis res jocosas misceret, ita ut licet jocosa vera sint, quia tamen non in tempore idoneo & occasione eas profert, dicitur æger in tempore delirare.

Tertia delirij species est in modo, ut si quis interrogatus de aliqua re, ferocius quam per naturam præberet responsum, aut nimis summissa voce; hoc enim modo errat & delirat æger non in entitate, cùm vera dicat, non in tempore, cùm in occasione & tempore idoneo respondeat; solum ergo delirat in modo, quia non præbet responsam moderatè, & eodem delirio delirabit si præbeat responsum cùm gesticulationibus, etsi verissima dicat.

His omnibus modis dicitur homo delirare & depravatè operari ejus regentem facultatem, quia non ut rationalis est operatur, vel errando in entitate, vel in tempore, miscendo sacra cum jocosis, vel in modo, summissa voce, vel gesticulationibus respondendo.

Sed videtur delirium in modo & in tempore non esse concedendum, quia in potentis cognoscitivis internis non est aliquis modus connaturalis in operando, neque tempus determinatum, ex cuius variatione oriri possit modus præternaturam, vel tempus. Patet: quia non est tempus determinatum in quo potentiae debeat uti his specibus, & non illis, aut rem hanc aut illam apprehendere: sed prædictæ potentiae per naturam possunt res diversas nullam connexionem habentes percipere, dummodo eas concipiatur ut sunt in se; igitur non possunt errare, vel depravatè operari in tempore; neque in modo, cùm in eis non sit assignabilis modus aliquis naturalis operandi. Sed certè hoc argumentum contra deliria brutorum si in eis concederentur, majorem habet apparentiam, in homine verò nullam vim habet: nam homo ut rationalis tenetur rem quamlibet idoneo tempore & occasione proferre: constat, nam homo sanus & rationis compositum confitetur peccata, non miscerit sermonem jocosum: ergo quando vi morbi profana cum divinis assertive permisceret, neque se continet, verè delirat; errat ergo tunc in tempore, non quia hujusmodi res proponantur, quia hoc naturalissimum est, sed quia occasione & tempore non idoneo eas pronunciat. Et idem dico contra modum loquendi: nam etsi potentiae sensitivæ non habeant determinatum modum operandi connaturalem, sed solum prout species proponuntur in hac aut illa intensione operantur, tamen homo ut rationalis tenetur respondere quæstis ut quæsita exposcent, hoc vel illo modo, ac per sequens, si aliquis alicui infirmo rogaret humilietur ut assumeret alimentum, & infirmus obediens responderet iracundè, quod sibi afferat alimentum & comedit, tunc certè non errat in his quæ respondit, sed tantum in modo loquendi, cùm illa iracundia ex eo quod ut rationalis tenebatur non ita ferociter respondere, ac proinde pravè in modo respondendi discurrit, & sic delirat.

Sed dices contra nostram conclusionem, & fortissimè, quia quando aliquis delirans de cibis tractans, dicit Solem esse majorem terrā, affirmamus hoc delirium dici in tempore, & non in objecto, vel in entitate, quia licet vera dicat, non tamen tempore idoneo, non enim errat in conceptione, aut assensu illius propositis, quia concipit rem ut est in se, ut potè ad apprehensionem & conceptionem non est tempus determinatum: ergo solum errat in pronuntiando in eo tempore: sed si hoc est ita, error talis, vel delirium, non debet dici in tempore, sed in objecto &

& entitate, quod est contra conclusionem nostram: ergo. Minor in qua est difficultas probatur, quia ex eo errat in pronuntiando, quia iudicat pro convenienti in illo tempore, vel tunc id pronuntiare: ergo errat in objecto, quia tunc tempus illud conveniens judicat & revera conveniens non est.

Respondet Autor nihil contra conclusionem argumentum probare: nam quando agendo de cibis æger affirmat Solem esse majorem terræ, tunc non errat in objecto, quia dicit quod est verum, & nullus est error in compositione, ac proindè solùm errat, quia propositionem Astrologiae miscit cum tractatione de cibis, & hoc solùm est in tempore delirare. Sed revera argumentum est difficile, quia quando iudicat illud tempus ut conveniens ad prolationem illius quod ad rem non venit, falsò & pravè componit iudicando illud tempus ut conveniens ad talem prolationem, & sic errat in compositione, & in objecto, quia iudicat conveniens quod revera non est. Et sic mihi videtur dicendum in rigore non esse tres diversas species delirij, sed omnes reduci ad malam compositionem, & ad errorem in objecto: solùm ergo poterit concedi diversitas aliqua accidentalis inter prædicta deliria dicta in tempore, in modo, & in compositione, quia diversum accidentaliter est delirare proferendo absolutè, quia falsum est, ut dicere esse Deum, ac delirare non proferendo falsum, sed extra occasionem aliquid proferre, vel ferocius tribuendo responsum.

Solùm restat explicare quid nomine facultatis regentis intelligat Galenus, an imaginatio, vel ejus actus, an estimativa, vel ejus actus, an verè alia facultas præter has dicatur regens. Et videtur quod sit actus imaginationis: nam Gal, semper quod delirium explicit, exemplum posuit in imaginatione, ut quando Theophilus audire putabat tibicines in angulo domûs, qui solùm imaginatione delirabat; cogitativa tamen bene operabatur, quia imperabat illos expelli à cubiculo, ex eo quod disconvenientes illos iudicabat. Similiter alterum exemplum adducitur à Galeno in quo delirabat sola cogitativa, scilicet, quidam delirans, qui vasa per fenestram ejiciebat in quo casu optimam habebat imaginationem, utpotè rectè vasa cognoscebat, delirabat tamen in cogitativa, quia iudicabat conveniens ipsa ejicere, ignorando periculum. Unde hæc sententia in omnibus potentissimis externis cognoscitivis delirium causari affirmat, ac per consequens regentes possunt dici.

Sed nobis dicendum est, per facultatem regentem illam debere intelligi quæ cæteras regit atque gubernat, de ipsarum actibus iudicando, iphis assentiendo, vel dissentiendo, negatione, vel affirmatione prædicando, quia hoc tantum dicitur gubernare & regere. Et immerito inferiores potentiae principes & regentes dicuntur, cùm omnes per aliam superiorem gubernentur: sic ergo intellectus in hominibus qui de aliarum facultatum actibus infert judicium, est facultas regens & in brutis estimativa, quæ suo modo salutem materiale dicit judicium quo vel fugam intendunt, vel prosecutionem insequuntur, quod in sequenti cap. clarius constabit.

## C A P V T II.

*An intellectus verè deliret, & cur ille solus, & in brutis estimativa.*

**I**RCA primum quod inquirit quæstio, an scilicet intellectus verè deliret, viderur quod non, quia intellectus non potest errare: ergo nec delirare. Antecedens probatur, quia intellectus intelligit quod à sensibus internis sibi proponitur bene aut male: ergo tota ratio errorum est formalissimè in sensibus, ac proindè intellectus nequit errare, nec delirare, ex eo quod solùm ille percipit id quod à sensibus naturali modo proponitur. Unde inferunt isti Autores quod quando Theophilus imperabat quod tibicines expellerentur, nullum esse errorem in cogitativa, ex eo quod imperabat expulsionem rei molestantis propositæ ab imaginatione in qua solùm in illo casu fuit error & delirium juxta hos Autores. Et confirmatur, quia nunquam Gal, intellectum delitare dixit: sed solùm posuit exemplum in imaginativa & cogitativa: ergo intellectum delirare non est concedendum.

Nobis tamen dicendum est intellectum verè delirare, ita ut in homine solus ille deliret. Probatur primò ex ipsa definitione, quia delirium est actus depravatus regentis facultatis: sed solus intellectus in hominibus est regens facultas: ergo solùm ille delirat.

Secundò probatur, quia in vertiginosis verè lædatur imaginatio, cùm imaginentur moveri res quæ minimè moventur: ergo verè datur motus depravatus imaginationis, sed nullus dixit tunc dari delirium: ergo actus depravatus imaginationis non est verè delirium. Pater: si esset ubique daretur etiam actus depravatus, daretur delirium: sed in vertigine datur ejus actus depravatus, & non datur delirium: ergo. Unde delirium non dari certum est, si detur motus depravatus alicujus sensus usque dum intellectus assentiat tali actui, iudicando ita esse ut proponitur, vel aliter esse ac proponitur, corrigendo talem actum, & tunc non erit delirium, etiamsi actus alterius facultatis sit depravatus. Hoc patet in vertiginosis in quibus non est delirium, quia etiamsi imaginentur res moveri quæ minimè moventur, tamen ipse intellectus optimè iudicat non esse ita ut per imaginationem proponitur, sed illud advenire ex vi morbi, utpotè vertiginosi possunt cognoscere se ipsos habere talem affectum: Igitur tunc non est delirium, quia intellectus non assentitur actui pravo imaginationis, sed potius ut facultas regens illum corrigit, & sic non est delirium; esset tamen delirium si intellectus tali actui assentiretur ratione alicujus male dispositionis, ut quando quis imaginatur se esse Regem, & intellectus assentiens hunc actui, imperat, quia iudicat hoc esse conveniens. Si tamen intellectus corrigeret actum imaginationis, dicendo se verè non esse Regem, tunc certè non deliraret, etiamsi actum imaginativæ haberet depravatum, ac proindè usque dum intellectus assentiat, vel dissentiat, non datur delirium; ergo intellectus formaliter delirat.

Deinde sic argumentor, quia hæc propositio, ego sum Deus, est erronea, & verè delirium,

& tamen est actus solius intellectus urpotè, prædicamus aliquid de aliquo per veram copulam formalem, quod solum illi competit; ergo intellectus verè delirat, cùm prædictus actus solius intellectus sit secundum copulam, & attributionem formalem in qua est depravatio & error.

Sed huic argumento respondent Contrarij, delirium non consistere in attributione illa & connexione formalis extremorum quam solus intellectus attingit, sed consistere delirium in attributione vel connexione materiali quā extrema diversa proponuntur per modum unius, ut quando quis imaginatur montem aureum, non judicando, hic mons est aureus, quia hoc solius intellectus est proprium munus, ac proinde dicunt delirium formaliter consistere in fundamentali illa, vel materiali connexione quā diversa per modum unius proponuntur, non autem in attributione formalis, quae ad solum intellectum pertinet.

Sed contra istam solutionem argumentor, quia ex eo deliriū formaliter in illa cōexione fundamentali reperitur, quia talis fundamentalis compositione est erronea, & nascitur à morbo: sed similius formalis illa connexio & compositio quam solus tangit intellectus, est erronea, cùm sit vera deceptio, & nascitur à morbo: nam experimus quod si alias non crescat distemperies, non fit illud formale judicium depravatum, sed potius optimum: ergo actus ille intellectus formaliter est delirium, cùm habeat totum quod requiritur ad eum.

Ulterius sic argumentor contra prædictam solutionem, quia etiam illa fundamentalis compositione vel connexione pertinet ad intellectum: ergo intellectus formaliter delirat. Antecedens probatur: nam ad illam potentiam pertinet illa fundamentalis copula, ad quam pertinet adunare quae sunt diversa (quia in hoc apud Contrarios consistit:) sed solus intellectus adunat quae sunt diversa, ut potè solum ille distinguit ea quae sunt unum, quia contrariorum eadem est ratio: ergo adhuc illa fundamentalis compositione, vel connexione est actus intellectus, ac proinde delirium in eo est formalissimè.

Deinde etiam nostra conclusio probatur, quia intellectus habet species reservatas in se, sicut memoria sensitiva habet vim ipsas conjungendi ac separandi: ergo optimè intellectus poterit delirare, quia delirare, non est aliud quam diversas species disparatas conjungere & adunare, ut ex homine & equo fingere hominem equum.

Sed huic objectioni satisfacere conantur Contrarij, dicendo nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensibus, ex Philosopho *Intelligentis est speculari phantasmatum*, ac proinde illum errorem intellectus originem ducere ex sensibus, quia eo modo quo phantasmatum sunt in sensibus, ab intellectu cognoscuntur; unde nullus erit error in ipso qui in sensibus non præcesserit. Sed contra hanc solutionem sic argumentor, quia ex ea sequeretur nullam cognitionem esse in intellectu quae prius non sit in sensibus, quod falsissimum est: nam compositione, divisio & discursus ita sunt in intellectu, ut implicat quod sint in sensibus, ac proinde circa elicientiam horum actuum intellectus solus erroneè & depravatè potest operari.

Unde infero pro majori nostræ conclusionis enodatione, Contrarios falli, ex eo quod affirmanc intellectum nullum modo posse laedi, quia immaterialis est: nam licet verum sit in statu separationis, & etiam pro hoc statu quoad entitatem immaterialem esse, non tamen pro hoc statu immaterialis est, quoad operationem, cùm dependeat à rebus materialibus ad operandum, ut sunt organa, species & phantasmatum: quod etiam patet in sensibus externis qui in probabili operatione ab anima non distinguuntur, & tamen per materiales dispositiones laeduntur à quibus dependent in operari: ergo similiter intellectus potest laisionem pati per materiales dispositiones, quibus dependet in operari, licet quoad entitatem immaterialis sit.

Unde etiam infertur quod quando dicimus proprium esse intellectus speculari phantasmatum, non debet intelligi, ita ut quidquid operatur intellectus prius sit in sensibus, ut *supra* diximus, alias sensus possent syllogicare: solum ergo debet intelligi per speculari phantasmatum, quod nihil potest intellectus operari sine sensu interni concomitantia, nam indiget phantasmatibus, pro hoc statu ad sua opera, & his deficientibus operari nequit; quippe quod conditio necessaria auferitur. Itaque intellectus secum rapit alios sensus veluti violenter, non tamen è contrà, v. g. quando quis dicit & judicat se esse Deum, verè delirat actu intellectus, dum infert, ergo sum Creator, quia hæc illatio est operatio intellectus, & tamen phantasmatum mediis quibus talis actus est elicitus, sunt imaginativa & cogitativa: ergo optimè potest intellectus erroneum actum elicere, etiamsi phantasmatum speculetur, quia potest cum eisdem phantasmatibus erroneè ratione temperie operari sicut in contraria sententia, etiamsi erret imaginativa & producat speciem in aestimativa, poterit cum eadem specie recte operari aestimativa: Vide nostrum Petrum Garciam *disput. 7. de locis affectis, in fine, cap. 4. de speciebus phrenitidis*, ubi hoc liquidè enodavit. Unde deducimus intellectum sumere totam occasionem deliriandi à sensibus, & à vitio organorum, ita ut si non essent sensus, delirium abesset.

Hinc ergo ad argumentum respondeo, quod licet verum sit quod intellectus operatur speculando phantasmatum modo dicto, tamen elicit proprium actum distinctum ab actibus aliarum potentiarum, in quo intellectus potest decipi, & errare & rectitudinem habere, ac proinde ipse verè delirare potest.

Ad alterum quod objiciebatur de Theophilo, dicimus delirium in illo casu consistere in actu illo imperij quo jubebat expelli illud quod reverè non erat, scilicet tibicines pulsantes in angulo domus: verum tamen imaginari ibi sonate tibicines, non est actus depravatus imaginativæ, sed potius naturalissimus, cùm etiam sanis licet diversas species componere, variaque pro libito machinamenta fingere; solum ergo fuit error in eo quod intellectus judicavit ita esse ut proponebatur, & imaginabatur, ac proinde in hoc actu depravatus intellectus formaliter Theophilus delirium consistebat, unde judicare tibicines esse domi, est delirium intellectus, & inferre esse expellendos, est delirium per consensum primi. Idem contingit quando quis imaginatur se esse Regem: nam si huic actui imaginationis intellectus assentiatur, delirat; et si ut talis ali-

quid

quid imperat, dicitur delirium per consensum primi; si vero intellectus corrigat primum imaginationis actum, non delirat, ac proinde solus intellectus in rigore delirare dicetur.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* . \*\*\* \*\*\* . \*\*\*

## C A P U T III.

## De modo quo delirium causetur.

**D**eo intelligentia quæstionis notandum est primò, quod cùm omnis sensatio sit actio vitalis, indiget concursu animæ ad ejus eliciendiam; & rursus cùm omnis sensatio sit materialis, & fiat medio organo materiali rectè disposito, necessariò requirit temperamentum debitum, ut fiat naturali modo. Et licet omnes sensus habeant determinatum objectum circa quod operentur in communi, ut visiva colore, auditiva sonum, &c. tamen ut circa hoc vel illud objectum in particulari eliciantur, sensations harum potentiarum indigent aliquo principio extrinseco prædeterminante, ut sunt species impressæ ab objectis missæ.

Deinde supponendum est quod cùm species impressæ sint naturales imagines suorum objectorum, ita invariabiles in sua entitate manent, ut sit impossibile speciem albi, v. g. repræsentare nigredinem, ex eo quod ex sua essentia sunt imagines suorum objectorum, ac proinde semper quod sit species albi, non potest non repræsentare albedinem, similiter licet objecta contrariantur, species tamen eorum repræsentativæ non contrariantur, ac proinde species albedinis non potest corrumpi ab specie nigredinis: nam si hoc fieret, ita ut quando deliramus, ex vi morbi deliramus, quia una species mutatur in aliam, similiter post morbum verè deliramus, cùm una species posset corruptione mutari in aliam.

Unde fit quod quamvis temperamentum sit necessarium ad operandum, nunquam tamen ejus variatio faciet, quod species albedinis repræsentet nigredinem, conductet tamen temperamenti variatio ad percipiendum magis hoc quam illud objectum; unde evenit quod pluribus speciebus reservatis una ejiciatur, & alia minime, solum ratione temperiei qua proportionatur magis cum hac specie & actu quam cum illo, ac proinde potentiae aliae determinantur ad operandum cum hac temperie, alia vero secūs.

Ex hac doctrina manifesta fiet doctrina quæ communiter dicitur de excitatione specierum, ita ut excitatio hujus speciei, & non alterius, & hujus potentiae, & non alterius ad operandum, nihil aliud sit quam esset emperiem & dispositionem pro hac specie, vel pro hac potentia, & non pro alia, ac proinde excitatio non distinguitur ab ipsa temperie non quod ipsa temperies sit principium efficiens, sed quia sit disposicio quæ organum redditur idoneum ad operandum.

His ita suppositis, quod inquirimus, est quæ ratione aucto calore, vel alia qualitate, quæ valeat distemperare, delirium excitetur, & ratio dubitandi extat in eo quod videatur impossibile hoc fieri: nam delirium consistit in actione erronea, seu depravata facultatis: sed nulla distemperies potest causare errorem, vel depravationem, cùm nulla possit mutare speciem albedi-

nis in aliam, v. g. Et idem dico de qualibet alia: ergo nullo modo distemperies potest esse occasio in sensibus ad errorem, cùm sensus solum percipere possint, quod in specie repræsentatur, & non aliud pro ipso; optime tamen potest minui vel auferri actio vi distemperiei, non vero potentia, cum specie leonis potest percipere equum, ac proinde ratione qualitatis, vel distemperiei, nequit causati delirium.

Et confirmatur in nostra doctrina, quia non apparet cur intellectus incidat in errorem, cùm ipse solum percipiat illud quod in specie repræsentatur à sensibus: unde ergo habet intellectus quod ea quæ à sensibus repræsentantur, judicet in re esse.

His non obstantibus dicendum nobis est primò delirium optimè posse contingere ratione distemperiei maximè conducedentis pro uno actu, vel pro aliquibus determinatis, ita ut potentia non possit cessare à talibus actibus, cùm sufficenter eam determinent.

Secundò afferimus quod multoties adeò est intensa distemperies ut intellectus nullo modo possit elicere actum contrarium quo corrigat actum imaginationis, sed potius assentitur ipsi, & consequenter quampliama fiant deliramenta.

Sed pro explicatione conclusionis supponendum est sensus internos esse ministros intellectus, vel quia nihil percipiunt sensus quod intellectus non percipiat, licet objectum istius magis se extendat, cùm percipiat objectum sensus necessariò, & alia quæ sensus percipere nequeunt, vel quia intellectus aptiori modo percipit illa quæ à sensibus repræsentantur, componendo formaliter varas species, abstrahendo, dividendo, &c.

Secundò supponendum est pro hoc statu nullo modo intellectum posse intelligere aliquod objectum simpliciter, quin tale objectum sensibus possit etiam percipi, quod illis verbis dicitur, proprium est intelligentis speculari phantasmatum.

His ergo suppositis, explicatur assertio; semper quod à sensibus proponitur intellectui aliquod objectum, intellectus cognoscit illud eo modo quo proponitur, quia statim omnium specierum seu phantasmatum producitur species impressa ab intellectu agenti impossibili, & necessariò elicetur actio eo modo quo repræsentabatur objectum in specie impressa, v. g. imaginativa elicet, vel producit expressam speciem tauri, & non quomodo cumque, sed tauri præsentis, quia in sensibus internis hic est naturalis modus cognoscendi, scilicet absentia ut præsentia: Et ratio est quia sensus interni semper cognoscunt objecta, ut sensata per sensus externos, & ut talia præsentia sunt, quia solum res præsentes sensus externi sentiuntur: ergo semper cognoscunt res ut præsentes visas vel auditas, &c. Tunc sic argumentor: Imaginativa naturaliter elicet speciem tauri præsentis, accedit his phantasmatum ad intellectum agentem, & producit speciem impressam in intellectu passibili cum qua specie necessariò tenetur intellectus elicere actum quo cognoscatur taurum præsentem absolute ut in spe repræsentatur: & hoc nullo modo est delireare, sed potius naturaliter operari: Deinde debet intellectus elicere secundum actum contrarium quo judicet talem taurum præsentem non esse, neque visum actualiter per sensum externum, sed illud esse fictum ab imaginatione, & sic judicare debet hic taurus non est præsens verè, sed imaginatus, & ut præsens à phantasia repræsentatus, &

consequenter neque fugam appetit, neque fallitur in judicio, sed potius actum corrigit, qui secundus actus necessariò debet habere concomitantiam actus cōtrarij alterius imaginativæ, id est que antecedenter diximus intellectum ad operandum quasi rapere & trahere potentias internas ipsas ad opus obligando ratione discursus, quia ex eo quod intellectus faciat aliquem discursum, vel syllogismum, optimè potest excitari phantasmatum ut operetur circa simplicia quæ in tali discursu reperiuntur eo modo quo sensus materialis exigit. Et est valde notandum quod etiam inveniatur in intellectu vel imaginativa temperies conducens pro tauro præsenti cognoscendo, non obstat ut possit cum eadem temperie cognosci, hoc esse falsum & taurum absentem esse, quia optimè potest una temperies remissè conducere pro uno actu, & etiam remissè pro opposito, quia tales actus non opponuntur rigorosa contrarietate. Præterquam quod sicut eadem temperies conductit in externis ad calefaciendum remissè, & frigefaciendum etiam remissè in diverso passo, sic eadem temperies potest remissè excitat ad hunc actum, & ad oppositum: Quod p. ad eadem augentur distemperies, & tantum intendatur pro uno objecto, ut nullo modo relinquit facultatem & virtutem potentiarum imaginativarum ad eliciendum contrarium phantasmatum, & intellectivæ potentiarum ad prohibendum secundum actum contrarium quo judicet non ita esse ac proponitur, tunc certum est quod dabitur delirium, & intellectus assentietur actu imaginativæ, & judicabit taurum esse præsentem, & deinde inferet, fugam esse tentandam, aliisque plura ex hoc depravato judicio inferre poterit machinamenta & deliria.

Igitur tota ratio delirij stat in hoc quod intellectus ratione intensæ distemperiei conducentis pro uno actu, nullo modo posse actum contrarium elicere quo primum corrigat, potius assentitur, & non distinguit illa quæ proponuntur ab imaginativa ut visa ab illis quæ verè videntur ab oculis vel percipiuntur ab alio sensu externo, & ut talia verè proponuntur. Sic Theophilus imaginabatur tibicines præsentes & sonantes, & ratione maximæ distemperiei ipsius intellectus non poterat elicere actum contrarium, & judicare non verè sonare, sed imaginativæ sonantes apparere, imò potius judicabat verè sonare, & quod auferrentur, ex eo quod molestabant, quæ de causa delirans appellari meritò debet, cum intellectus assentitur illi quod per imaginationem proponitur.


Sed nota quod qui debilitate facultatis sensitivæ laborant, maximè esse dispositos ad delirium ratione ipsius debilitatis quæ in cerebro patiuntur ægri: Et ratio est quia delirium, ut diximus, consistit in secundo actu intellectus quo assentitur verè rei imaginatae, ut autem delirium non sit, requiritur actus contrarius intellectui quo avertatur & dissentiat de illo quod ab imaginatione proponitur: sed ad hoc ut eliciat actum contrarium requiritur major conatus & novus animæ quæ ad hoc ut assentiat ad id quod per imaginationem proponitur: ergo qui debilitate sensitivæ in cerebro laborant, apti sunt ad delirium ut potè ratione debilitatis facultatis non potest elici actus contrarius, neque poni novus, & major conatus quo actus imaginativæ corrigitur.

Hinc ergo apparet ratio quare ægroti insipientes lineas in pariete, dicunt ibi varia ex-

stere animalia, ut quotidie contingit: nam cùm illæ lineæ in tali sint dispositione & figura, ut cani, v. g. assimilentur, excitatur facile, & ferè per sequelam memoria canis; deinde imaginativa per connexionem actuum imaginatur circa idem objectum ut visum in pariete; & tandem ultimò intellectus per receptionem talis speciei canem ut visum in pariete cognoscit: at cùm ratione debilitatis facultatis non possit novum evanescere apponere, neque elicere actum contrarium, inde est quod assentiat ad id quod per imaginationem proponitur, & deliret.

Sed dices, quia non solum intellectus cognoscit objectum propositum ab imaginativa, sed etiam proponi ab imaginativa, ut potè cognoscit actus aliarum potentiarum: ergo non potest falsò judicare, quod illud propositum ab imaginativa sit visum realiter per oculos, ac proinde non potest efficere actum contrarium in quo delirium consistat.

Respondetur intellectum cognoscere objectum imaginativæ prout imaginativæ, & illud etiam quod ab oculis proponitur; verū ad utrumque peculiarem requirit temperamentum: & cùm istud varietur, & conductat pro actu quo judicet res prout ab oculis, & contrarius elici non possit, idem fert falsum judicium de rebus, & delirat quia efficacius fertur intellectus in res, ut vias quam ut imaginatas ratione temperie ad id conductentis, ita ut non sit temperies conducens ut intellectus eliciat actum contrarium, & sic delirat.



## C A P U T I V .

*De actibus sensuum internorum, & an quilibet possit esse causa delirij.*

**P**ro decisione dubij nota quod sensus interni non dicuntur, quia intra nos existant; nam sensus tactus verè reperitur in partibus internis, & tamen externus est: solum ergo dicuntur interni ex eo quod non primò & immediate recipiant species, sed mediantibus aliis prioribus, ac proinde sensus interni percipiunt objecta mediantibus speciebus impressis productis ab speciebus expressis sensuum externorum.

Hoc ergo ex Philosophis præsupposito, etiam cum ipsis sentiendum nobis est, ponentibus septem sensus internos, ut potè totidem actus interni reperiantur.

Primus actus est qui distinguit objecta sensuum externorum, similiq[ue] percipit sensationes externas, talis est actus *sensus communis*, qui solum potest percipere objecta sensuum externorum, prout realiter præsentia sunt, ex eo quod non conservat species, sed solum operatur quando sensus externi operantur.

Secundus actus est quando per reservatas species cognoscuntur absentia ut præsentia, & hæc dicitur *phantasia*.

Tertius est quando ex speciebus reservatis aliquæ conjunguntur, vel componuntur ( licet non veræ compositione, quia hæc ad intellectum tantum pertinet, sed materialem) ut quando ex specie auri & montis imaginatur mons aurus, & talis dicitur potentia imaginativa; quæ

in probabili opinione non distinguitur à phantasia, potius antecedens; & isti sunt duo actus inadæquati ejusdem potentiae.

Quartus actus est quo res cognoscuntur ut convenientes, aut disconvenientes, & potentia cuius actus est hic, dicitur *estimativa*, ita ut omnes isti quatuor actus hucusque enumerati, communia sint hominibus & brutis.

Quintus actus est quo objecta præterita ut antea cognita cognoscuntur, & dicitur *memoria*, quæ adhuc est communis hominibus, & brutis.

Sextus actus est cognitio plurium singularium per connexionem aut similitudinem quæ vel discursum antecedit, vel cum comitur, & ideo dicitur solius hominis, non ita ut ista potentia quæ *cogitativa* dicitur, attingat formalitatem discursus, quia hoc proprium intellectus, & non sensus; sed quia cùm intellectus nihil possit agere quin à sensibus ministrentur species, hæc potentia habet hoc peculiare ut ei ministret species ad discurrendum, ita ut semper quoad hunc actum, discursum comitetur.

Denique septimus actus est quando nos recordamur rerum præteritarum, non simplici cognitione, ut quando recordamur alicujus objecti simplicis, scilicet de Petro viso, sed indagatione & discursu quodam contemplando præterita ut inveniamus objectum quod cupimus recordari, & iste actus dicitur, reminiscientia, quæ nihil aliud est quā memoria hominis intellectu discurrente, & ratiocinatione quadam memorante: igitur in actu cogitativa & reminiscientia homo à brutis separatur in elicentia talium actuum quem bruta attingere non posunt.

His ergo notatis supponere debemus cum Philosophis tantum dari quatuor sensus internos, scilicet sensus communis, phantasia quæ ab imaginativa non distinguitur; ita ut harum actus sint inadæquati adæquantes unam potentiam: deinde estimativa quæ à cogitativa non distinguitur, sed solum earum actus adæquant, etiam unam potentiam, & denique memoria quæ similiter cùm reminiscientia non segregatur, vel si mavis, dicitur tantum esse unicum sensum internum, his diversis nominibus affectum, penes diversos actus inadæquatos: nam quodlibet ex his dixeris, controversia stat, utrum quilibet ex dictis actibus internis, sit sufficiens causa vel occasio, ut intellectus incidat in delirium.

Aliqui circa hanc rem affirmarunt solum actum imaginationis prout distinguitur ab actu phantasie, & actu estimativæ, seu excitativæ posse esse occasionem, ut intellectus erreret, & deliret; non verò actum phantasie, neque memoria. Et ratio eorum est quia phantasia & memoria neque componunt, neque dividunt: ergo non possunt actus erroneous intellectui suppeditare, à quibus occasionetur ad delirandum. Antecedens patet, quia prædictæ potentiae solum cognoscunt objecta simplicia (ut ex supra dictis constat) ut per speciem representantur: sed circa hoc non potest esse error: nam alias cùm specie leonis cognosceretur canis, quod est absurdum: ergo cùm suppeditent species objectorum intellectui, tales potentiae eo modo quo sunt in se, non posse præbere ei occasionem errandi.

Sed nihilominus nobis dicendum est, ex om-

nibus actibus enumeratis internarum potentiarum posse intellectum sumere occasionem delirandi. Et probatur efficaciter: quia ad delirium non requiritur semper compositione & error, in eo quod concipitur, sed optimè operando intellectus circa subjectam materiam potest delirare in tempore, vel in medio: ergo ex eo quod phantasia & memoria non componant, nec dividant, sed solum subministrent species objectorum simplicium, ut sunt in se, potest sumere intellectus occasionem delirandi, ex eo quod possit eis uti in tempore & occasione non idonea, vel modo non debito, quia illud judicat conveniens, quod totum pertinet ad intellectum, ac proinde prædictæ potentiae possunt esse occasionem delirandi.


Deinde probatur, quia quotidie contingit delirium circa simplicia, ut quando nobis proponitur taurus visus, ita ut si ratione distemperie non subministrentur species intellectui quo hunc actum corrigat, sed potius judicet verè taurum præsentem, sine dubio delirat, sumpta occasione ab illo primo actu quo taurus visus præsens proponitur: sed iste actus est proprium phantasie: ergo ex istius actibus intellectus sumit occasionem delirandi, præcipue cùm phantasia semper proponat intellectui res aliter ac sunt in se, ut potius semper proponit id quod est absens ut præsens: ergo erit occasio delirij, ac proinde ut intellectus non deliret, debet corrigere semper actum phantasie, delirabit tamen semper quod ei assentiatur, & ejus actum non corrigat, & idem argumentum confici potest de memoria.

Deinde probatur & declaratur magis nostra sententia: nam cùm potentiae internæ quæ subministrant species intellectui operentur per species reservatas, & species sint imagines representantes objecta, ut sunt in se, & in se sint diversa, semper ut diversa à potentias representantur, ac proinde intellectus errat & delirat conjugendo & adunando ea quæ sunt diversa, dummodo assentiatur hujusmodi actibus, ac proinde nec imaginatio, neque alia interna potentia sunt vim adunandi, sed solum representandi, & producendi in intellectu species diversorum objectorum ut non in se diversa, ex quibus intellectus adunat quæ sunt diversa, & quæ sunt unum diversificat, ac per consequens nullus sensus interius elicit actu erroneous: sed omnes producent naturalissimo modo species objectorum; & cùm prædictæ species sint imagines representativæ, semper ut sunt in se objecta representantur; ergo à qualibet potentia interna potest sumere intellectus occasionem delirandi, cùm ipse solus sit qui componit & facit unum quæ sunt diversa; licet ut sunt in se objecta à potentias representantur, ita ut si ratione distemperie non possit corriger actuus potentiarum, & judicare verè esse imaginatos, & phantasticos: at quando proponitur taurus præsens, verè deliravit, sumptu occasione ex naturali propositione objecti à potentia naturaliter, & non depravatè operante: omnis ergo potentia solum est occasio delirandi quatenus proponit phantasmata, seu objecta quorum habet species reservatas, & sic objecta prout fuerunt cognita proponuntur, quia ut sic habent species eorum reservatas.

Unde infero quod cùm sensus communis non operetur per reservatas species, sed solum quando

externi sensus actu operantur, nullatenus potest sensus communis in absentia objectorum subministrare species intellectui, ut tribuat occasionem decipiendi; quando autem est objectum praesens, non est necessarius sensus communis, ex eo quod per sensus exteriores efficacissime represententur, nisi dicamus sensum communem necessarium esse, ut producat speciem impressam in potentias interiores.

Similiter possumus dicere ex sensibus externis multoties sumere occasionem delirandi, quando ex similitudine linearum parietis, animal cuius imaginem simulatur, putat ager esse revera, & similiter ex sono auribus percepto, facile decipitur, & dicit tibicines sonare, ut inde constet ad deceptionem intellectus, non concurre aliter sensus omnes quam percipiendo objecta, quorum habent species, in quibus quantum ad representationem in sensibus, nulla deceptio esse potest: sed in intellectu solum non asequent illa objecta esse per sensus proposita, & nihil existere tunc a parte rei eorum quae ponuntur.



## C A P U T V.

*An eadem sit ratio deceptionis in delirantibus & dormientibus.*

**X**PERIEN TIA compertum est inter dormiendum quamplurimas deceptions & errores contingere (qui in somnia dicuntur) cuius assidua rei causam inquirimus, ut exinde magis delirij natura quam in deceptione etiam & errore consistit, magis percaleatur. Et primò certum est deceptionem & errorum inter dormiendum non contingere ex eo quod mutentur species, nam jam capite precedenti impossibile esse diximus: igitur in praesenti aliam causam talium deceptionum assignare debemus.

Et ut altius intelligatur supponendum est insomnium nihil aliud esse quam inter dormiendum rerum absentium ac si praesentes forent apparitio: Et hoc manifestum fit; nam si quis dormiens acu pungatur & dolet, haudquam somniare dicetur ex eo quod objectum molestantis revera praesens est, & sentitur: ergo insomnium solum dicetur rerum absentium ut praesentium apparitio.

Deinde nota quod qui totaliter dormit, nullo modo insomnium habere potest: nam ut hoc detur, aliqua potentia interna debet operari; constat autem in eo qui totaliter dormit, nullam potentiam operari: ergo in illo non dabitur insomnium. Solum ergo dabitur in illo qui non absoluete dormit, sed tantum secundum alias potentias, & secundum aliquos non, sed vigilat. Contingit autem pluries quod in eo qui dormit secundum alias potentias, & vigilet secundum alias (in quo insomniū dari diximus) quod aliquis actus internus optimè operetur in somno, & aliquando perfectius quam in vigilia ratione avocationis spirituum ad cerebrum. Et patet: nam multoties somnians cognoscit se somniare, & dicit in animo suo hoc quod mihi proponitur ut visum, non vere videtur, sed quia dormio mihi appetit ac si vere videretur.

Sed difficultas est unde proveniat quod potentia interna ita ligentur, ut nullum phantasma illis proponatur, ut contingit quando dormiens nullo modo insomniat, aliquando vero non omnino ligari, ex duplice causa oritur juxta Aristotelem. Prima est quod cerebrum non sit obstructum secundum omnes suas partes, ac per consequens una potentia viget, alia vero non. Secunda quia eti omnes partes cerebri sint obstructae, tamen propter efficaciam & intensionem specierum quam proponuntur, obstructio non est obstaculum sufficiens; & patet dum dormiens ad manam vocem vel clangorem expergefit ratione intentionis speciei, etiamsi auditiva potentia dormiat, & maximè obstructa sit. Igitur è contrario, tunc non erit insomnium quando ita remissa proponitur species quod non valeat immutare consolitam facultatem, vel quando ita magna est obstructio, ut sit obstaculum in omnibus partibus cerebri ad communicationem speciei mediantibus spiritibus: similiter ligatio potentiarum, ita ut non sit insomnium, pendet ex crassitate & multitudine vaporis ligante omnes sensus, ita ut non possint operari, constat autem ad insomnium aliquam saltem potentiam vigilare debere: ergo.

Sed quod difficilius est, unde proveniat quod excitatis speciebus inter dormiendum, circa illas detur error & deceptio, aut non, juxta quod Aristoteles in somniis reddit causam dicendo ex eo contingere errorem & deceptionem circa dictas, quia dormiens ignoret se dormire, ac proinde non cognoscit illud quod proponitur, est ratione somni & non revera, aliter enim contingere si dormiens cognosceret se dormire, ac proinde illud quod proponitur non esse revera, sed solum esse phantasticum, & apparet unde decipitur circa dicta objecta proposita, quia ignorat se dormire, & per consequens quod non est judicat, ac si revera esset.

Deinde haec doctrina exemplo quodam magis declaratur: nam si quis apponens digitum super oculum, objectum unum in re apparet ut duo & ex alia parte cum cognoscat hoc evenire ratione appositionis digitum, non decipitur, sed revera cognoscit esse unum, licet duo appareant; quod si ignorasset digitum appositum esse supra oculum, sine dubio revera falleretur judicando duo quae revera est unum: sic ergo inter dormiendum ex eo contingit deceptio, quia ignorant se dormire, ac proinde quod phantasticum est, ac si revera esset judicant; aliter tamen contingere, si cognoscerent se dormire, ac proinde objectum illud esse phantasticum & non revera, ac proinde deceptio in dormientibus contingit, quia eti phantasia proponat aliquam speciem intellectui inter dormiendum, nequit tamen commutare intellectum cum actu opposito ratione vaporum, vel aliorum obstruentium, & ita intellectus necessario assentitur, eo quod proponitur eo modo quo proponitur, ut potest actu contrarium elicere nequit ob rationem dictam.

Ex quibus omnibus ratio deceptionis in delirantibus magis patet: nam sicut in dormientibus deceptio contingit, quia multoties ignorant se dormire, ac proinde nequeunt elicere contrarium actu, sed judicant illa objecta esse revera, & non fantastica, & per somnum proposita, ita qui delirant, ratione morbi & intemperie non potest ad se trahere phantasiam ad eliciendum actu contrarium ab illo cui primò proponitur, ac proinde assentitur primò, & decipitur, unde eadem

eadem ratio deceptionis est in delirantibus & dormientibus: nam si delirans cognosceret tale phantasma ratione morbi ab imaginativa esse excitatum, nullatenus deliraret; delirat ergo quia ratione distemperiei, non potest ad se trahere phantasiam ut eliciat hujusmodi actum.

Unde manifestum fit, non esse necessarium ad deceptionem quæ contingit in delirantibus, & in somniantibus quod detur actus aliquis erroris sensus antecedenter ad intellectum, quia cognoscerephantasiam verbi gratiæ, taurum praesentem per speciem ejus reservatam, nullus est error, sed potius naturalissimus & rectissimus modus cognoscendi in tali potentia, & oppositus prorsus impossibilis; est tamen ad praedictam deceptionem ablatio, vel diminutio in aliquibus actibus sensuum internorum, scilicet quod imaginativa non possit operari actu opposito vel diminutè circa illum operetur & sic vel non comitetur, vel tantum diminutè intellectum insequatur.

nam hujusmodi animal ita aquam abhorret, ut ad ipsius presentiam pertimescit, obstupescit, & maximus anxietudinibus afficitur, adeò ut velociter ipsam fugere judiceret ut conveniens, etiam si ex alia parte aqua nimis indigeant, quando inten-sissima siti affligatur, ita ut absente aqua ipsam magnoperè desideret, & eam habere cupiat ipsaque inventa, & statim ex vi morbi respire cogitur: ergo in tali actu estimativa verè delirat, cum verè judicet inconveniens id quod reverè conveniens est, & quod ad satiendam simili amplecti tenebatur. Eodem etiam modo contingere delirium, si ovis lupum aspiciens, ipsum ut amicum judicaret, & ad suam societatem se conferret: nam quis dubitaret tunc eum actum erroneum elicere, & verè decipi, cum estimativa quæ facultas regens est, in brutis omnibus vi distemperiei actum imaginativæ corrigerem non valuit. Quomodo autem in hydrophobia seu rabie id contingat, in proprio loco latè disputabitur: sufficiat nunc manere stabilitum in brutorum estimativa propria reperiri deliria.

## C A P U T VI.

### *Utrum in brutis dentur deliria.*

**E**R T I S S I M U M in hoc dubio impri-mis est quod si in brutis daretur intellectus, sine dubio in eis delirium esset concedendum: solum ergo inquirimus depositum intellectus negatione, an in eis delirium in alia interna potentia concedatur.

Circa quod sit prima conclusio, quod si in brutis daretur delirium, solum secundum potentiam estimativam contingere posse: Et probatur, quia ex eo in hominibus solo intellectui delirium tribuitur, quia ipse solus est facultas negans, vel judicans de aliis potentiarum actibus, assentiendo, vel dissentiendo, sed similiter in brutis potentia estimativa est potentia superior & regens, & de ceterorum sensuum actibus judicans convenientiam, aut inconvenientiam per speciem insensatam quæ in specie emissâ ab imaginativa, & aliis sensibus eminenter continetur & deducitur: ergo estimativa in brutis est facultas regens, ac proinde ipsi soli in brutis delirium debet imputari.

Sit secunda conclusio: In brutis dantur vera deliria quod experiens ad sensum manifestissimis comprobatur: nam quotidie bruta ex vi morbi mores consuetos & naturales in alios in-suetos & præternaturales mutant: ergo in eis datur delirium. Patet quia delirare nihil aliud est quam vi morbi elicere actus depravatos & erroneos, quos facultas regens emendare non potest: sed totum hoc contingit in brutis cum ex vi morbi estimativa judicat conveniens illud, quod reverè non est, ita ut non possit estimativa brutorum corrigerem prædictum actum: ergo. Minor probatur. In cane rabie affecto qui dominum quem anteà blanditiis & affectus signis afficer solebat, nunc ut inimicum dilaniare cupit, ipsumque mordendum & dilacerandum invadere, conveniens judicat: ergo hujusmodi canis verè delirat, cum non adstante ullo morbo id haudquaquam ficeret.

Probatur hæc conclusio secundâ experientiâ in eodem cane rabie affecto, vel hydrophobiâ:

## C A P U T VII.

### *An dentur deliria solius intellectus.*

**P**RIMÒ certum in hoc dubio est quod cum species intelligibiles sint spirituales, nullatenus pendent ab organi dispositione ad sui conservationem; & cum alias non recipiantur in subjecto corruptibili, ut potè in intellectu, & ex alia parte careant contrario, nullum est caput quare conservationem specierum rerum absentium in intellectu denegemus.

Dubium ergo est an dentur deliria solius intellectus, ita ut sine dependentia à sensibus delirare solus poterit. Et videtur quod sic, quia aut intellectus laeditur per consensum cum sensuum lafione, aut laeditur sine illis: si hoc secundum fiat, habemus intentum: si primum, sequeretur quod semper quando laeditur sensus internus, laederetur intellectus, quod est falsum. Quod sequatur probo, quia non datur in hac opinione alia lafio in intellectu nisi per consensum ex sensuum lafione: ergo semper quod sensus errat, necessariò debet esse deceptio in intellectu: sed contrarium est verum, cum constet in vertigine laedi imaginativam omnino, illa lafio intellectu: ergo optimè poterit intellectus se solus delirare, cum non semper deliret per consensum ex lafione sensuum.

Nihilominus dicendum nobis est, omnia deliria suam originem accipere à sensibus; cum hoc tamen est verum alia deliria dari per naturalem sequelam, quæ solius intellectus possunt dici, licet tanquam ex prima radice & de primo ad ultimum à sensibus dependeant.

Primam partem conclusionis probatur sic: quia intellectus est potentia spiritualis nullo modo à materialibus dispositionibus dependens: ergo non potest habere in se principium ad errandum. Consequentia patet, quia si in se haberet tale principium, sequeretur quod anima in statu separationis posset delirare, quod est absurdum; ergo intellectus ad delirandum necesse

sariò sumit occasionem ab aliquo materiali à quo dependeat pro hoc statu ; sed à nullo magis quam à sensibus dependentiam patitur , cùm si ne eorum ministratio intellectus non possit operari : ergo ab ipsis sumit occasionem ad delirandum , ac proindè nullum est delirium solius intellectus , ità ut nullo modo originem ducat à sensibus.

Secundam partem conclusionis probo , quia intellectus ex uno errore , alterum inferre assuevit ; ergo dabatur delirium , quod magis ipsi intellectui tribuatur , etiamsi de primo ad ultimum à sensibus sumat originem. Antecedens probatur : dum ex delirio quo judicat se esse Deum , infert se alimento non indigere , quod est secundum delirium , quasi per sequelam cum primo , ut anteā diximus , quod sit per species insensatas , cùm discursus vel illatio à sensibus nunquam percipiatur : ergo dabatur tale delirium quasi per sequelam quod magis tribuatur ipsi intellectui , cùm ejus nullæ præcedant species in sensibus , utpotè in illatione consistit & discursu qui à sensibus non percipitur , licet semper verum sit ut à prima radice à sensibus originem deducere.

Undè ad argumentum Respondetur non bene inferre ex eo quod intellectus aliquando patiatur per consensum , quod semper pati debeat à sensibus ; oppositum enim manet probatum : Et ratio est quia tunc intellectus non potest corrigerem actum erroneous , quando adeò crevit distemperies in sensibus , ut intellectum ad contrarium actum comitari nequeant ; quando vero adeò eversa non fuerit naturalis dispositio , non est dubium quod sensus comitabitur intellectum , & actum contrarium corrigentem elicet : ergo tunc non operabitur per consensum intellectus , sed potius contrarium elicit actum ; semper tamen est verum occasionem sumere ex sensibus ad delirandum , modo suprà dicto.

Undè deducimus quod ratione habitus oppositi , intellectus facillimè corrigit actum erroneous , verbi gratiâ , homo vertiginosus ex eo quod habeat habitum quo cognovit implicare naturaliter totam dominum in gyrum moveri judicat apparentem esse tale motum , quod puer non faceret per habitus carentiam .

## C A P V T VIII.

*Vtrum lœsa imaginatione lœdatur necessariò aliquis sensus externus cum ipso.*

**E**GREGIE noster Petrus Garcia contra Vegam asserentem non posse lœdi imaginationem , quin priùs sensus externus lœdatur arguit. Ad intelligentiam tamen questionis debemus prænotare eos concessisse deliria in imaginatione quæ à nobis negantur , & solo intellectui conceduntur , ità ut nos vocemus errores non deliria actus imaginationis depravatos , utpotè quod communius est , error ad delirium : nam error cuiuscunque internæ facultati potest competere , delirium autem debet esse error & deceptio solius facultatis regentis.

Hoc ergo supposito quæstio habet duplum sensum : Primum , an ut erreret imaginativa neces-

sarium sit quod error antecedat in aliquo sensu externo : secundum , an ut imaginativa erret , debet communicare species ejusdem objecti sensui externo.

Et nobis dicendum est in utroque sensu non esse necessarium ut imaginativa erret , neque quod antecedat error in aliquo sensu externo , neque quod imaginativa producat speciem illius in eo. Et probatur efficaciter , quia omnibus imaginatio ut à causa adæquata fit à potentia , specie & temperamento : sed hæc omnia sunt in imaginatione in absentia objectorum , cùm operetur per reservatas species : ergo imaginatio operatur , quin præcedat sensatio exterior , cùm nullus sensus externus circa objecta absentia possit sensationem elicere.

Secundò efficacius probatur , quia imaginatio potest percipere objecta quæ à sensibus externis percipi nequeunt : ergo tunc operabitur quin præcedat aliqua sensatio exterior. Consequētia est evidens. Antecedens probatur , quia sensations sensuum externorum ab ipsis ullatenus percipiuntur , juxta omnes Philosophos , scilicet auditio , visio , &c. Sed hujusmodi ab imaginatione percipiuntur , ergo quando imaginatur circa ipsas , nullus actus sensus exterioris præcedere potest.

Undè nihil valet quod à Philosopho adduci solet , scilicet imaginationem operari non posse quin aliquis sensus sit in actu : nam hoc debet intelligi non quod actualiter sensus externus operetur , sed ita debet intelligi ut non possit imaginatio operari circa aliquod objectum , quin aliquis sensus externus circa illum operatus sit , quod cum nostra conclusione ullatenus contrariatur. Nam per actum sensuum externorum recipit species imaginatio , eisque in absentia objectorum conservat , ut subinde sine actuali sensatione externa imaginatio operetur.

Quod autem per actum imaginationis nihil producatur in potentias externis quo possint simul cum illa operari , probatur , quia species sensuum externorum à nullo agente produci possunt quod non sit eorum sensibile proprium , vel commune : sed imaginatione nihil est quod sit objectum visus , vel tactus , vel alterius sensus , cùm nullus dixerit Philosophus , oportet imaginarem videre realiter , aut audire , sicut dixit , oportet intelligentem speculari phantasmatum : ergo quando imaginatio operatur , non potest ex vi illius actus produci aliquid in potentias externis , ratione cœjus sensations externæ necessariò simul fiant.

Sed huic rationi Respondet Vega quod vi imaginatio moventur vapores & spiritus ad organa sensuum externorum , & in illis deferri imagines objectorum , ac proindè potentias externæ sentiunt objecta similia ac imaginatio : & rursus externi sensus mittunt speciem illius rei in imaginativa , & rursus imaginativa immitatur , & hæc est ratio ( ait Vega ) quare delirantes dormientes & phrenitide affecti falluntur : nam cùm delirantes , dormientes & phrenetici concipiunt quod verè absens est , ut præsens , hoc haud quaquam fieri posset , quin imaginatio miserit vapores & spiritus in quibus esse species objecti in potentias externis , à quibus rursus species rei præsentis in imaginativa produceretur ; & indè deceptio in delirantibus , & dormientibus , & phreneticis evenit.

Sed hæc doctrina falsa est : nam quamvis concedamus species objectorum in spiritibus conservari, debet intelligi de speciebus deservientibus sensibus internis, non autem externis, nec sensui communi, quia hi solum possunt rem præsentem percipere. Deinde quia species quibus operatur imaginativa, sunt diversæ naturæ ab illis quibus sensus externi operantur : ergo mediis illi externi sensus non possunt sensationes suas elicere. Præterquam quod non assignatur causa quare vi imaginationis moveantur spiritus versus organa sensuum externorum. Et denique quia idem contingere quando in vigilia imaginamur circa objectum gustabile : nam deberemus sensu externo gustus eum percipere, quod ridiculum videtur.

Neque ratio adducta à Vega aliquid valet, quia non solum sensus externi percipiunt objecta ut præsentia, sed & intellectus, & imaginativa, inter quos hæc est differentia : nam sensus externi possunt percipere objecta nisi quando actualiter sunt, & ita semper ut præsentia percipit ea, imaginatio autem cum reservat easdem species in absentia objectorum, percipit illa ac si essent præsentia : nam cum imaginatio non tantum percipiat objecta sensuum externorum, verum & ipsas sensationes, indè est quod non tantum imaginatur Petrum visum, sed etiam visionem illius, ac proindè imaginatur Petrum, ut actualiter visum, semper ergo imaginatio circa præsens versatur, non tamen eodem modo, ac externi sensus ad suam sensationem actuale objectum petunt, ex eo quod per species conservatas non operantur sicut imaginatio.

Unde fit quod delirium non resultet eo modo quo ait Vega, sed tunc contingit quando imaginatio versatur, verbi gratia circa taurum præsentem & intellectus assentitur imaginationi, ex eo quod ex vi morbi & distemperi non excitantur species in intellectu, ad corrugendum hujusmodi phantasma ; sic & eodem modo in somnianibus & phreneticis contingit.

Denique ultimò dicendum est, quod licet verum dictum sit non esse necessarium ad errorem imaginationis quod lèdatur actio sensus externi; cum hoc tamen bene stat quod multoties à sensibus externis sumimus occasionem errandi, ut quando delirat æger sumtâ occasione ex lineis existentibus in pariete ab similitudinem cum aliquo animali, & affirmat ibi esse tale animal, cum quo lineæ habent similitudinem. Similiter ex vaporibus aliquibus qui ante oculos ponuntur, judicamus muscas ante illos evolare; & ex saltu aurum, multoties æger judicat tibicines sonare, & aliis quampluribus exemplis dictum clarissime demonstratur.

sensu communij, deinde expressa sensus communis mittit impressam in imaginatione; rursus expressa imaginationis mittit impressā in estimativa; rursus expressa estimativa producit impressā in memoria: & denique phantasma quod à memoria elicetur, cum sit materiale, & non possit produce re speciem intelligibilem in intellectu passibili, elevatur ab intellectu agente qui spiritualis est, ita ut ipse sit causa principalis producens in intellectu passibili speciem intelligibilem; phantasma autem solum se habere in hac productione tanquam instrumentum predeterminans intellectum agentem ad producendam speciem intelligibilem hujus objecti potius quam illius, ita ut in effectu nihil sit quod instrumento correspondat, sicut in substantiæ productione nihil est quod correspondeat accidentibus qui ut instrumenta se habent.

His ergo suppositis, quæstio est utrum si imaginativa verbi gratiâ erret, ita ut percipiat dominum super infirmum cadentem, an necessariò ex hoc errore sequatur error in estimativa, & appetitu & in memoria, & intellectu, quæ omnes potentiae recipiunt illam speciem vitiatam ab imaginatione. Cui dubio Petrus Garcia satisfacit, dicendo lèsa primâ potentiam à qua reliquæ recipiunt species, non esse necessarium reliquias lèdi. Quod probat: nam quandoque sola delirat imaginativa, ut contingit in Theophilo imaginante tibicines sonare in angulo domûs; quandoque vero solus intellectus, ut in phrenetico vase per fenestram dejicientem, qui vase optimè ibi existere cognoscebat, & tamen etiam ratio erat infirma, quia non discurrebat eorum fractio nem esse manifestam: ergo non omnes potentiae lèduntur necessariò, ex eo quod prima à qua recipiunt species, lèdatur. Et objiciens contra Petrum Garciam quod imaginativa mittit species in estimativa, ac proindè si illa erroneè operetur ratione specierum depravatarum, cum in estimativam eadem in specie species mittantur, videtur necessariò etiam depravatè operari debere.

Respondet ipse Petrus Garcia, quod etiam si easdem species mittat imaginativa solo numero diversis ( quod plurimi negant, unde solutum erat argumentum ) in estimativa & reliquas potentias, non errabit necessariò estimativa, & reliquæ: nam cum hujusmodi potentia sint diversæ, utuntur speciebus sub diversis rationibus repræsentantibus objecta: fieri ergo potest ut organum estimativa sit optimè dispositum ad operandum sub illa ratione sibi debita, etiam si prior potentia ut imaginativa, aut ejus actus sit erroneus. Et exemplo Theophili hoc explicat: nam in eo actus imaginationis erat erroneus, quia tibicines percipiebat, & reverâ non erant, & nihilominus ratio non erat lèsa, quia optimè discurrebat expulsionē eorū imperando, quia etat illi molesti. Hæc Petrus Garcia in hac quæstione.

Sed nobis primò dicendum est, quod si ad vires sensitivas attendamus, hoc ipso quod imaginatio lèditur, debet lèdi estimativa; hoc autem debet intelligi quando imaginatio errat circa aliquod objectum circa quod estimativa potest elicere rationem convenientiæ aut disconvenien tiæ, ut quando imaginatur taurum præsentem vel aliud simile: nam si errat circa objectum aliquod circa quod estimativa non potest elicere rationem convenientiæ, aut disconvenientiæ, ut si erret circa existentiam Petri, certum est estimati vam

## C A P U T I X.

*Utrum lèsa primâ potentiam à qua reliquæ recipiunt species, lèdantur omnes necessariò.*

Der intelligentia totius dubij supponendum cum Philosophis est, objecta mittere species in potentias externas; deinde species expressa externorum sensuum mittit impressam in

tivam non laedi, cum circa illud objectum non possit operari. Quod autem si aestimativa possit operari, laedatur hoc ipso quod imaginativa laeditur, si ad vires sensitivas tantum inspiciamus, probatur, quia aestimativa non est potentia libera, sed necessaria, ita ut producta in ea specie non possit non operari cum illa, si alias organum habeat dispositionem requisitam ad operandum: ergo si imaginativa depravata operetur, ita ut verbi gratia, imaginetur taurum praesentem, cum hujusmodi species producatur in aestimativa, necessario elicit actum inconvenientiae & fugae, attentis solum sensitivis viribus (nam si ratio colligat taurum esse tantum apparentem, non eliciat fugam aestimativa) sed hujusmodi actus aestimativa erit depravatus, quia est fuga illius, quod revera non est: ergo necessario laeditur. Idem contingit in Theophilo: nam etiam actus aestimativa quo percipit tibicines ut inconvenientes, est depravatus, quia percipit quod revera non est, ut inconveniens, & eadem deceptio in aestimativa contingit in delirantibus & dormientibus: nam fugiunt objectum dummodo actus contrarius non elicitur per discursum quo intellectus judicat hujusmodi objectum phantasticum, & non verum esse.


Ex hoc planè constat rationem adductam à Petro Garcia claudicare: nam quò melior est dispositio in aestimativa ad recte operandum sub peculiari ratione aestimativa, melius & conformius elicit actum conforme sensationi imaginationis depravata: nam si recte disposita est aestimativa attentis viribus sensitivis, hoc ipso quod tauri praesentis habet speciem, cum potentia libera non sit, nec discursiva, necessario tenetur elicere actum inconvenientiae & fugae. Et licet talis actus sit naturalissimus aestimativa, erroneus tamen & depravatus dicitur quasi per sequelam, vel per consensum, vel erroris imaginationis, quia revera aestimativa eti naturalissime operetur, elicit actum inconvenientiae circa objectum quod revera inconveniens non est, ac proinde erroneus per sequelam tantum, meo iudicio, potest nuncupari.

Sit secunda conclusio, quod si ad vires intellectivas respiciamus, non hoc ipso quod laeditur imaginatio, debet laedi aestimativa, neque intellectus. Probatur efficaciter ex doctrina communis Philosophorum: nam in vertigine, licet vertiginosus imaginetur totam domum in gyrum moveri, ullatenus timet, nec actum fugae elicit, solum præcisè quia intellectus judicat, & cognoscit motus domus in gyrum, solum esse imaginatum & phantasticum, & sic nec timet, neque elicit actum fugae, ac per consequens ratione intellectus discurrentis & contrarium actum elicentis suspenditur actus aestimativa potentiae: ergo si ad vires intellectivas attendamus, laesa imaginatione non est necessarium laedi aestimativam, quia istius actus suspenditur ratione & intellectu cognoscente quod illud quod proponitur, solum est phantasticum & imaginatum, unde quando intellectus non corrigit actum imaginationis, statim depravata operatur aestimativa quia solum tunc operatur attentis viribus sensitivis, & similiter intellectus depravata dicitur operati, & delirare, quia non corrigit hujusmodi imaginationis actum, sed potius ei assentitur. In brutis autem cum non sit ratio, nec discursus ratione cuius eliciatur actus contrarius quo sus-

penditur actus aestimativa, id est semper quod laeditur imaginativa, aestimativa debet laedi, nisi in illis sit aliis actus, ratione cuius cognoescant canem verbi gratia revera non esse, quod ad aestimativam eorum etiam debet pertinere, cum in illis sit potentia regens, qui actus *instinctus* à pluribus nuncupatur: dum ergo hujusmodi actus instinctivus in brutis non sit, necessario erit delirium in eorum aestimativa, quoties imaginativa eorum depravata & erronea operatur.

In homine autem planè constat aestimativam suspendere suum actum fugae, aut prosecutionis, ex eo quod intellectus cognoscat objectum propositum tantum esse phantasticum: nam fuga vel prosecutio debet esse circa objectum delectabile, aut terribile; quia ratione talia sunt: sed objectum terribile fictum nequit timeri neque deletabile fictum nequit prosequi, & hoc ratione, intellectus discurrentis cognoscitur, inde est quod aestimativa non operatur depravata, sed suspendat suum actum quoties in intellectu est actus corrigens actum imaginationis & judicans non ita revera esse.

Denique infertur, quod etiam si memoria recipiat species ab imaginatione, non sequitur in ea error, quamvis imaginativa depravata operetur ex vi speciei productæ ab imaginativa, quia objectum naturalissimum memoria est præteritum, ut antea cognitum, quomodolibet, aut à quavis occasione cognoscatur, essetque potius laeso in memoria non recordari illius: unde recordari objecti quod videtur, aut per imaginationem concepit, etiamsi sit illa conceptio erronea, naturalis tamen operatio memorie est, & nullo modo delirium aut error. Solum ergo potest errare in tempore, aut loco, aut quando attribuitur aliquid Petro quod videt in Paulo.



## C A P V T X.

*Vtrum mutatio temperamenti in solis primis qualitatibus ad delirium sufficiat.*

**S**UPPONIMUS in praesenti dubio cum omnibus Philosophis, qualitates primas simpliciter, esse necessarias ad operandum, ita ut ex earum variatione mutationem in actionibus experiamur. Et ratio est, nam cum potentiae sensitivæ & ipsa anima non suscipiant magis & minus, hinc est quod sint in sua entitate invariables; unde variatio in actione ad temperamenti variationem est reducenda; experimur enim in phreneticis, immutatis potentiarum & speciebus tam miram varietatem symptomatum, quæ solam temperamenti variationem insequuntur. Igitur quod inquirimus est an sola variatio primarum qualitatum ad delirium sufficiat, an autem sit necessaria productio alicuius secundæ qualitatis quæ sit immediata origo delirij.

Circa quod Petrus Garcia originē immediatam delirij esse aliquā secundem qualitatem & non variationem primarum asserit. Quod probat quia à qualibet disteperie, aut febre ejusdem intentionis evertitur eodem modo temperamentū primarum qualitatū, sed non per quamlibet distemperiem, aut febrem causatur delirium, imò potius experimur

marum cum remissiori calore esse in aliquibus delirium, & in aliis cum intensiori, minimè ergo delirium non nascitur immediatè ex mutatione primarum qualitatum: nam quò major calor esset, & intensior effectus, intensior modo præstari debet; constat autem experientiâ contrarium: ergo hujusmodi effectus, scilicet delirium, non immediatè à primis qualitatibus, sed à secunda originatur.

Sed hæc Petri Garciae doctrina nobis non probatur: imprimis quia sine necessitate multiplicat entites, & quia istius prædicti effectus assignat causam occultam & quem nullo modo probare potest. Deinde quia sequeretur ex ea tot esse ponendas mutationes in qualitatibus secundis, quot sunt genera deliriorum, vel ut melius loquar, quot sunt species deliriorum, quod omnino absurdum videtur.

Rursus urgentius sic argumentor: quia hæc secunda qualitas debet nasci à primis, ac proindè debet esse similis qualitatibus secundis quæ à primis in externis producuntur: sed qualitates secundæ quæ à calore (de quo solum à Gal. dicitur delirium causare) producuntur, sunt tenuitas & raritas, quæ sunt dispositiones ad optimū ingenium, ex Gal. ipso: ergo hujusmodi secundæ qualitates ullaenam possunt esse originem immediatā delirij.


Rursus quia tempesies primarum qualitatum non minus requiritur ad actiones, quam tempesies secundarum: ergo depravatio in actione non minus fieri ex variatione primarum quam secundarum. Et confirmatur, quia ad diminutionem actionum sufficit sola variatio in primis qualitatibus; ergo ad depravationem actionis etiam sufficiet.

Tandem ad hominem sic argumentor, quia juxta Petrum Garciam, delirium potest causari ex inordinato motu spirituum, seclusâ quâvis alia intemperie, & exemplo in somniorum comprobatur, ex eo quod absque mutatione in aliqua secunda qualitate sœpè fiant: ergo si solus motus spirituum est sola causa adæquata delirandi, sine tempesie vitiola, frustrâ constituit mutationem in secunda qualitate ut causam immediatā delirandi.

Nobis igitur dicendum est, solam variationem in qualitatibus primis ad delirium facere. Hæc conclusio præterquam est expressa Gal. ad solum calorem deliria reducens, ut constat ex 2. lib. de cansis sympt. & 4. de præfig. ex puls. Ratione etiam comprobatur, quia primæ qualitates sunt simpli- citer necessaria ad operandum: ergo existente in eis variatione, depravatè vel diminutè actio fieri, ac proindè delirium ad solam variationem primarum debet reduci, præcipue cum hac ratione uou possint resultare sine variatione in primis.

Unde ad rationem Petri Garciae facile Resp. dicendo quod cum latitudo sanitatis ex Gal. non constet in indivisibili, sed magnam latitudinem habeat, inde est quod non lœdantur in omnibus actiones ab eadem intentione caloris, ac proindè unus poterit delirare cum remissori calore, quia poterit respectu illius obnoxius esse, & aliter cum multo majori calore non delirabit, quia potest non esse tam obnoxius; nam in homine debili ex remissori calore sequetur lœsio quam in homine robusto cum intensiori non sequetur, quia sanitas vel latitudo ejus in illo est multo minor quam in isto, & sic remissus calor uni est nocivus & præternaturam, & alteri non. Præterea quia idem argumentum militat in sua operatione, te-

netürque eodem modo argumentum solvere: nam cum illa secunda qualitas nascatur ex mutatione primarum, cum resultat aliquando à remissori calore, ita ut sit delirium, & non resultat ab intensiori, cum quotidie sine delirio inveniatur; aliter enim non potest satisfacere argumento nisi dicendo, in uno esse latitudinem sanitatis majorem quam in alio, & per consequens in uno à remissori calore resultare secundam qualitatem delirium immediatè causantem, & in alio ab intensiori non resultare, quia majorem sanitatis habet latitudinem.



## C A P V T X I.

*Vtrum omnes primæ qualitates ad delirium conducant.*

**V**T præsens dubium intelligatur, notare oportet quod suprà diximus, nempe ad delirium duo requiri, & quod excitentur species efficaciter moventes potentias internas retentrices, & quod totaliter contrarius imaginationi ut cum intellectu operetur ad actum vel discursum contrarium efficiendum, quod est suo modo diminuere vim sensuum internorum. Dubium ergo non est an diminutio actionum, aut ablatio à frigore & humiditate fieri posset: nam certum est hujusmodi qualitates ad diminutionem aut ablationem actionis conducere, ut infra ostendam, & fortassis fortius quam calor & siccitas. Dubium ergo est utrum vi omnium quatuor primarum qualitatum ita excitentur efficaciter species ad unum actum in sensibus internis, ut omnino minuantur aut auferatur excitatio specierum in potentia interna, ad alterum actum contrarium quod requiri ad delirium diximus, quod an fiat à solo calore & siccitate, an autem à frigiditate & humiditate possit causari, est præsens dubium.

Circa quod videtur id posse etiam fieri à frigiditate & humiditate, quia non est repugnantia cur non possint prædictæ qualitates ita conduce-re & attemperate pro uno actu elicendo, ut diminuant vim ad contraria phantasmatu excitanda: ergo.

Secundò probatur à simili in actionibus naturalibus: nam hæc depravatè sunt per frigus intensem, constat in coctione ventriculi, ita ut si nimis frigidus sit, alimentum mutat in acidam qualitatem, atque actio depravata, quia terminatur in alienam qualitatem: ergo similiter continere poterit in actionibus sensuum internorum, ac proindè vi prædictarum qualitatum delirium sequetur. Idem constat in hydrope in quo ob frigidam jecoris distemperiem loco sanguinis generantur aqua, & crudii humores, & flatus.

Deinde efficacius argumentum fit ex fame canina: nam in ea ex eo quod os ventriculi nimis frigidum sit, excitatur vehemens sensatio quam pro natura debetur, ob cuius molestiam tantam alimenti copiam appetunt, ut nunquam satietur appetitus, quia semper adest intensa sensatio objecti excitantis famem: ergo similiter quælibet sensatio interior potest ita intēdi ratione frigiditatis, ut contrariū actu nō exciter, ac per consequē ratione hujus qualitatis deliriū erit eveniet.

Sed contraria sententia, videlicet quod tantum ratione caloris & siccitatis præternaturam deliri-

rium causetur, & non ratione frigiditatis, & humiditatis, nobis tenenda est, eamque tenet Galen. Avicen. & Hippocrates quampluribus in locis. Et probatur in primis quod ratione siccitatis delirium eveniat, quia in melancholicis, in quibus nulla alia distempories praeter sicciam invenitur, quamplurima experimur deliria & quod à siccitate proveniant, ex curatione deducitur; nam remediis humidis prohibentur, ergo ratione intensa siccitatis deliria causari possunt.

Quod autem frigiditas & humiditas non possint delirium causare, à priori manifestari non potest, sed ratione à posteriori deducta, & hæc est: nam ea quæ conducunt ad somnum conciliandum, nequeunt conducere ad delirium; si quidem delirare, vigilare est: sed frigiditas & humiditas conducunt pro somno conciliando: ergo ratione prædictarum qualitatum delirium non potest sequi, cum potius ad cessationem actionis conducant; calor autem & siccitas maximè ad vigiliam conducunt, & sic ratione harum qualitatum potest excitari species in imaginativa verbi gratiâ, ità intensè, ut solum illud objectum repræsentetur, cuius species est, & sic non possit subministrare intellectui speciem contrariam ad correctionem illius actus, ac proinde delirabit ratione caloris & siccitatis conducentis pro excitatione hujus speciei intensissimæ, & non alterius: frigiditas autem & humiditas torpidas reddunt potentias internas ad operandum, & nullo modo excitant potentias ad operandum, ità ut semper minuant ex propria natura principia sentiendi, ac proinde non possunt conducere ad excitationem intensissimam speciei aliquius objecti, ità ut non possit subministrare species objecti contrarij ratione earum, unde ratione ipsarum delirium fieri nequit.

Ad primam rationem constat jam quomodo frigiditas & humiditas ad operandum non excitent, cum ex nativa conditione in somnum inclinent, qui cessatio actionis est. Et licet sensatio quælibet quatenus est actio corporea petat temperiem mixtam, ut fiat, & sic pendeat à quatuor primis qualitatibus, absolute tamen esset actio aucta, & ut excitat efficaciter potentiam ad operandum, solum pendet ab augmentatione caloris & siccitatis: id patet in coctione, quæ eti si sit actio mixta, & sic præsupponat quatuor primarum qualitatum temperiem, tamen ut coctione in opinione Philosophi à solo calore efficitur, ergo similiter omnes sensationes.

Ad secundum Resp. nos non negare ratione frigiditatis fieri posse actionem aliquam depravatam, ut contingit in acida cruditate ventriculi, sed solum dicimus, quod sensus interni à frigore & humiditate præternaturali nequeunt excitari efficacius ad operandum, quia ratione earum inducitur dispositio repugnans ad sensationem, & maximè conducens ad non operandum: ob quod dicimus torpidas reddere potentias internas talem temperiem, & ineptas ad sentiendum.

Ad aliud de fame canina Respondemus frigiditatem in ore ventriculi existentem esse occasionem ut ponatur objectum irritans & valde molestans, non tamen esse occasionem ut melius sentiatur, ac proinde antequam frigiditas intensa constituitur, excitatur fames intensa, quia fit inanitione succi alimentosi, ad cujus defectum oritur qualitas illa dolorifica.

Sed inquietur aliquis, an quando ratione calo-

ris sit depravatio in aliqua facultate, & postea crescens diminuit vim potentiarum sentientium, tunc cesseret delirium quod primò causatum fuit ratione caloris, non ita intensi, ita ut postea sit diminutio sola in ceteris omnibus actionibus.

Resp. delirium non cessare, imò crescere quantum ad errorem, licet non crescat in intensione actionis: Et ratio est quia si calor excitat vim specierum & potentiarum ad opus, quod plus crescit, determinat efficacius potentias: & ex alia parte diminuit magis phantasie opus ad actum contrarium: ergo non est unde cesseret delirium interim ut vis sentiendi non ita minuitur, ut percipere nequeat objectum propositum: sentiet itaque remissius objectum, sed depravatè quia actio erronea, aut falsus assensus non requirit actum intensem, cum non sit actio aucta, sed erroneum & falsum judicium. Quod experimento monstratur in delirantibus morti jam proximis in quibus eti extinguitur virtus, & potentiae labescant, delirant nihilominus, & magis hærent assensui.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\*

## C A P U T X I I .

*Utrum distempories lœdens unam potentiam, lœdat omnes potentias necessariò.*

**L**ISET in alio superiori capite dictū sit, quod lœsa unâ potentia inferiori internâ, non omnes necessariò lœduntur, nihilominus præsens dubium habet locum: nam cum error in potentia interna possit fieri sine distemporie, ut contingit in verginosis, in quorum imaginativa potentia est error, non ratione intemperie, sed ratione spirituum, & vaporum qui moventur, ratione quorum rem in gyrum moveri percipient, & similiter potest fieri cum distemporie. Quod quæritur in praesenti est, utrum distempories lœdens unam potentiam, necessariò sit sufficiēs ad lœsionem omnium superiorum, verbi gratiâ, utrum distempories, vel idem gradus caloris qui valet lœdere imaginativam, etiam necessariò lœdere valeat æstimativam, & memoria. Ad quod præsupponere necessariò debemus omnes potentias internas esse in eodem loco: nam si distantes sint, certum est unam sine alia lœdi posse ob loci distantiam, ex eo quod possit distemperari pars anterior cerebri, & non posterior, in qua plures ponunt memoriam.

Ad præsentem ergo quæstionem supponendum est omnes in eodem loco residere, & adhuc etiam habet locum in communi opinione ponentium tantum unicum sensum internum elicientem plures actus inadæquatos diversos, in qua inquirimus an idem gradus caloris qui conductus ad lœsionem actus imaginationis, necessariò conductus ad lœsiorem actus æstimativæ & memorie.

His positis, sit nostra conclusio, quod idem gradus caloris qui valet lœdere imaginativam, vel ejus actum, non necessariò lœdit æstimativam, & memoriam, vel harum actus. Itaque licet omnes potentias mixtam temperiem expostulent ad operandum, nihilominus calor debet esse in omnibus excedens, sed non æqualiter, quia imaginatio minorem, æstimativa majorem, & adhuc majorem memoriam, ita ut prius lœdatur imaginatio, deinde æstimativa, & denique memoria: nam calor qui est præter naturam imaginationi, & in ea causat lœsionem, fit naturalis æstimativæ, & in ea non causat lœsionem, ex eo quod æstimativa majorem calorem expostulata perfecte

perfectè operandum : Et denique calor qui præternaturam est æstimativa causans in ea læsionem, est secundum naturam memoriae, quia majorem calorom expostulat ad operandum ac proindè prius læditur imaginatio, deinde æstimativa, & postea memoria. At verò in diminutione actionis prius læditur memoria, deinde æstimativa, & denique imaginatio. Et ratio est evidens: nam diminutio in diuersis potentiis evenit penes remissionem caloris, qui dispositio naturalis ad operandum est, ut dicemus *infrā*: sed prius debet remitti calor intensior: ergo prius debet deficere & diminui actio ad quam calor intensior conductit, hæc est memoriae actio, & postea æstimativa, & denique imaginativa actio: ergo prius debet iniungi memoria, deinde æstimativa, & denique imaginativa, quia cum hæc non exposcat tam intensum calorem, posterior totaliter quod remissius est.

Sed quod habet majorem difficultatem à qua pendet totius nostræ conclusionis fundamentum, est scire unde constet quod imaginatio vel ejus actus requirat minorem calorem, & deinde æstimativa, & denique majorem adhuc memoria. Respondeo ex eo constare quod actus æstimativa & memoriae sunt perfectiores, quia actus unius est attingere convenientiam, aut inconvenientiam, & alterius versari circa præteritum ut antea cognitum qui modi operandi, sine dubio sunt perfectiores quam modus operandi imaginativa potentia qui solum objecta simpliciter apprehendit, & quod magis potest facere est materialiter componere, hoc est simultaneæ species duorum objectorum percipere, ut speciem montis & auri adunare, vel simul apprehendere, ita ut imaginetur montem aureum. Totum quod minorem perfectionem in modo operandi arguit quam æstimativa, & memoria, ad quarum actionem major promptitudo & agilitas & vivacitatis requiruntur, quæ omnia intensorem calorem exposcent, ac proindè intensior calor requiritur in æstimativa, deinde in memoria, quam in imaginativa. Unde sit quod quia in actu reminiscencia & memoria reperiatur aliqua major perfectio quam actu æstimativa, ut potè reminiscencia, sit cum celeriori inquisitione & majori indagatione, indè est quod intensior calor ponatur in memoria, & reminiscencia quam in æstimativa.


Cum hoc tamen non negamus memoriam requirere siccitatem intensam, ac proindè ab humiditate posse lædi: Et ita quando dixit Galenum quod ubi graviter offensa est memoria, indicat frigidam intemperiem, tunc loquebatur de gravi offensa subito facta: in qua hypothesi intulit læsionem à frigore oriri, non quia non sensisset eam ab humiditate læsionem magnam in memoria sequi posse, ita ut si læsio sensus interni ab humiditate proveniat, prius læditur memoria; habet enim memoria duos actus, alterum vitale & memorativum, præteriorum, alterum conservativum specierum in absentia sensibilium: ex quibus primus requirit magnum calorem, secundus magnam siccitatem; unde quando memoria nimis infrigidatur, læditur quantum vitale memorandi, licet non quantum ad secundum conservandi species in absentia: undè tunc non memoratur quia deficient species; sed non memoratur, quia deficit dispositio requisita in organo ad eliciendum actum vitalem memorandi. Ob nimiam au-

tem humiditatem læditur secundus actus, scilicet conservatio & retentio specierum, & sic non memoratur defectu ipsarum, licet sit requifita dispositio ad eliciendum actum vitalem memorandi. Itaque secundum divum Thomam siccitas maximè ad retentionem specierum conductit, & humiditas contrarium efficit: nam ratione istius evanescunt species objectorum præteriorum, unde qui in ipso morbo memorantur, quando provenit ex nimia humiditate, solum est ratione specierum adquisitarum de novo: nam antiquæ jam fuerunt deperditæ.

Sed dices: videtur quod species non possint evanescere, & ita ratione nimia humiditas non ladi memoriam, quia evanescunt species: nam species non habent contrarium à quo possint corrupti; neque dependent in conservari ab agente à quo fuerunt productæ, cum in ejus absentia conserventur: non est ergo cur evanescant.

Respondetur species deficere ad deficientiam subjecti in quo conservantur: cum autem ratione nimia humiditas aptius ad resolutionem reddatur, inde est quod simul cum humiditate deperduntur species, & ita hoc verum esse constat, ut si deficient per solam causæ materialis deficientiam, non minus deficient per humiditatis excessum, quam alterius cuiuslibet qualitatis, cum per quamlibet possit organum distemperari, & male disponi. Eodem modo quo sigillum impressum in cera per ejus laxationem deletur, sic ratione humiditatis laxatur pars cerebri, ubi species imprimitur, ac per consequens deletur, & sic deficit ad defectum subjecti.

Unde etiam inferimus quod qui nimia siccitate laborant, non benè memorantur, non quia maxima siccitas non conduceat ad retentionem specierum, sed quia non est dispositio conducens ad earum receptionem, & sic non memorantur: nam ratione siccitatis densitas & opacitas causatur, ratione cuius species non possunt imprimi.



## C A P U T XIII.

*Quomodo ab eadem temperie percipiuntur actus interni.*

**E**X Capite præcedenti ratio dubitandi in præsenti nascitur: nam si imaginativa non petit eandem temperiem cum æstimativa, neque hæc cum memoria; jam enim diximus actum imaginativa ad perfectè operandum minorem calorem petere, deinde majorem æstimativa, & tandem memoria majorem, videtur difficultum quomodo in eodem homine inveniatur imaginativa perfectè operans, & æstimativa & memoria, optimè elientes suos actus, ita ut in omnibus potentiis internis neque depravatio, diminutio aut ablatio reperiatur; hoc enim experientia in pluribus hominibus constat. Quod in nostra doctrina videtur difficile: nam gradus qui conduceat pro operari optimæ memoriae, est præternaturalis æstimativa, & gradus caloris qui conduceat pro operatione æstimativa, est præternaturalis imaginativa: ergo videtur ab una & eadem temperie omnes potentias internas non posse operari; contrarium autem in pluribus hominibus experimur.


Nihilominus dicendum nobis est quod sive imaginatio & aestimativa, & memoria sint actus inadæquati ejusdem potentiae, sive sint actus adæquati diversas potentias constituentes, dummodo sint in eadem cerebri parte, possunt omnes dari perfecti, hoc est non laesi, licet petant diversam intensionem caloris, ut diximus. Fundamentum hujus assertionis desumitur ex Galen. in toto lib. de sanitat. tuenda, ubi ait, sanitatem nostram non consistere in indivisibili, sed maximam habere latitudinem, & non per quamlibet remissionem, vel intensionem temperie deficere: ergo similiter licet aestimativa & memoria ad operandum requirant majorem intensiorem caloris quam imaginativa, nihilominus latitudo imaginativa potest extendi in sua temperie ad temperiem cum qua sine laesione possit operari aestimativa & memoria: nam si verbi gratia, imaginativa requirat unum gradum caloris ad operandum, & aestimativa & memoria exposcant duos gradus caloris, potest latitudo intra quam imaginativa sine laesione operatur se extendi usque ad duos gradus caloris; quo fit ut etiam cum illis aestimativa & memoria sine laesione operentur, quia illud maximum ad quod imaginativa potest se extendere ut sine laesione operetur, respectu aestimativa & memoriae est minimum sub quo possunt operari, ac proinde licet diversam intensionem caloris petant ratione latitudinis, possunt ita operari ut sine laesione actio omnium fiat, non quod perfectissime fiant omnes actiones, ita ut non possint fieri perfectiori modo: nam certum est quod cum majori calore perfectius operarentur aestimativa & memoria, & cum minori imaginativa, ac proinde tantum quæstio procedit, quod etiamsi petant diversam intensionem caloris, nihilominus sine laesione aliqua in pluribus hominibus ab eadem temperie omnes fieri possunt.

Unde fit quod in maximo caloris sub quo memoria laeditur, necessariò laeditur imaginatio, aut aestimativa, quia latitudo sanitatis in memoria ad plus se extendit quam latitudo imaginativa & aestimativa, ex eo quod minimum memoriae sub quo incipit, est maximum imaginativa: ergo maximum sub quo laeditur memoria, erit laedens necessariò omnes potentias inferiores, utpote latitudo sanitatis in eis non extenditur ad maximum sub quo laeditur memoria. Unde etiam fit quod minimum sub quo incipit imaginatio non est perfectio sub quo memoria, aut aestimativa possint operari: nam ubi non est maximum sub quo imaginatio potest operari, non est minimum sub quo aestimativa & memoria operari possint: unde etiam fit quod à frigore diminuente calorem necessarium pro imaginatione, necessariò laeditur aestimativa & memoria: nam si haec intensiorem calorem requirunt quam illa, calor qui remittitur in imaginatione, jam supponet calorem remissum in intensione majori requisita pro aestimativa & memoria, ex eo quod prius aufertur calor intensior, & ultimò remissor, ac proinde quod à frigore laedente imaginationem etiam aestimativa & memoria laedantur.

Et confirmatur nostra assertio à paritate de facultatibus naturalibus: nam in qualibet parte videmus coctionem optimè fieri tractione & retentione sine laesione aliqua in ea vigere, & nihilominus coctio peccat calorem excedentem

& retentio siccitatem, & attractio etiam requirit calor excessum, & nihilominus prædictæ actiones fiunt ab eodem temperamento existente in eadem parte, ex eo quod sanitatis latitudo, non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet; ergo similiter in cerebro licet inveniatur imaginatio requiriens humiditatem, & minorem calorem, & memoria & aestimativa requirentes majorem calorem, & siccitatem majorem, & in aliquo excessu requirunt memoria, nihilominus omnes istæ actiones possunt fieri ab eodem temperamento sine aliqua laesione propter latitudinem sanitatis. Cum quo stat imaginacionem perfectiorem esse in anteriori parte cerebri, memoriam in posteriori, & cogitativam in media, quia pars posterior siccior putatur, & sic in ea memoria est perfectior, & anterior est humidior, & sic in ea imaginatio, ob quod in memoriae laesione, posterior pars, & in imaginacionis laesione, anterior laedatur.

Unde etiam fit quod retentio specierum fit melius à cerebro secco quam ab humido: nam experimur quod corpora quæ difficulter impressionem patiuntur ut lapis, melius retinent ipsam impressionem, & corpora quæ faciliter impressionem patiuntur ut aqua, citò ab eis species & impressiones evanescere; & quia memoria nihil aliud est quam benè conservare semel acceptam speciem, & eam retinere, idem est quod illi qui fiunt tardi ad recipiendum, retinent optimè recepta, & sic optimè memorantur, & illi qui faciliter se habent ad recipiendum, male memorantur, quia in ipsis facile deletur species, ac proinde qui siccitatem in excessu aliquo habent in cerebro, memoriā pollent, qui verò humiditatem, licet faciliter recipient, non benè memores, quia facile species in eis deletur.



## CAPVT XIV.

*An species objectorum conserventur in spiritibus in eorum absentia, ita ut sint causa delirandi.*

**I**TULUS questionis duplex dubium involuit: primum, utrum species in absentia objectorum conserventur in spiritibus: secundum, utrum spiritus sint causa delirandi. Et quantum ad primum videtur quod species non conserventur in spiritibus, imò neque recipiantur. Et ratio est quia possunt species per continui alterationem mediis partibus usque ad organum deferri: ergo impertinentes sunt spiritus ut medium productionis earum. Comprobatur hoc experimento, quia in eodem instanti in quo sentitur calor, in pede, operatur circa illum phantasia: sed si mediis spiritibus illa species deferatur, phantasia tam citò non sentiret objectum tangible, quia tam citò vel pro illo instanti spiritus non poterant moveri ad cerebrum, utpote in eodem instanti non poterant esse continui cum pede, & cum cerebro, ergo spiritus non possunt recipere species, ita ut se habeant ut medium ut deferantur species.

Et confirmatur, quia sensus communis mitis Speciem

speciem in phantasiam, & hæc in imaginationem, hæc in estimativam, & hæc in memoriam, & tandem producitur phantasma in intellectu: ergo impertinenter se habent spiritus ut medium ad delationem specierum, cum delatio commodiū fiat per missionem unius sensus interni in alium, præcipue cum omnes potentiae sint in eadem parte cerebri, vel si in diversis, cum cerebrum sit continuum & capax specierum, per illud veluti per medium poterunt communicari sine spirituum necessitate.

Sed nobis dicendum est, species verè conservari in spiritibus, in absentia objectorum, sicut conservantur in potentiis. Hæc sententia præterquam quod est expressa S. Thomæ, Fracastorij, & aliorum, ratione probatur. Primo nam spiritus sunt corpora valde necessaria ad sensum & motum, & valde penetrantia intimas corporis partes, ita ut in cerebro maximè abundant: ergo sine ratione virtus conservandi species eis denegatur. Et confirmatur, quia partes solidæ & opacæ sunt capaces recipiendi & conservandi species; ergo multò magis spiritus qui corpora lucida & non opaca sunt, maximè affines nostræ naturæ, ac per consequens magis apti ad receptionem specierum.

Rursus probatur, quia constat densato nervo eo ipso reddi incapaci recipiendi spiritum & influxum à cerebro, & speciem tangibilem, ac proinde opaca corpora non sunt apta ad recipientias species: sed spiritus sunt corpora diaphana fulgentissima; ergo potiori ratione poterunt species conservare, & recipere in absentia objectorum, ita ut ab eis dependeant in conservari tantum à subiecto.

Unde argumentum suprà positum nihil probat: nam nos non dicimus spiritus solum se habere ut medium per quod species communicantur: sed solum dicimus spiritus simul cum partibus se habere ut medium, ratione cuius speciem fit delatio, & sic communicatio fit per partes & spiritus.

Sed difficilium est secundum dubium, utrum scilicet ex solo vario motu spirituum varium sit delirium, quin ex parte cerebri sit alia occasio delirandi. Et partem affirmativam defendendam assumimus: & ratio est quia ex tumultuosa motione spirituum potest impediti productio influxus requisiti ad rectum discursum, & inde delirare: nam major virtus requiritur in cerebro ad cognoscendum illud quod proponitur, revera non esse, sed tantum phantasticum, quam ad percipiendum objectum simpliciter, ut per primum actum proponitur: sed ratione tumultuosi motus spirituum potest deficere major virtus durante minori; ergo erit in tali casu perceptio objecti, & non erit actus contrarius quo intellectus judicet illud objectum tantum esse imaginatum, ac proinde ratione tumultuosi motus spirituum, erit delirium, quia ratione illius non erit actus contrarius corrigens primum, ut potè deficiet influxus requisitus ad hunc actum perfectiorem alio eliciendum. Quod clarius patet si ponamus per variū motū spirituum posse cerebrum debilitari, quod non est difficile: nam per motum possunt separari à substantia cerebri, & sic solum manebit influxus ad sensationem remissam, & non ad intensam, & deficiet ad actum perfectiorem, & non ad minus perfectum, ac per consequens ratione motus varij & inordinati spi-

rituum possunt ita resolvi & deficere, ut tantum remaneat influxus ad sensationem remissam & ad operationem minus perfectam, & sic solum erit sensatio & perceptio simplex objectorum, quin sit actus contrarius corrigens, ac proinde delirium ex inordinato motu spirituum præcisè causati potest.

Et eadem est ratio quare in dormientibus sit deceptio, & non in vigilantibus: nam ratione obstructionis à vaporibus causata, remissus communicatur influxus, & sic solum percipit objecta simpliciter, quin possit elicere actum contrarium intellectus, ex eo quod non sit influxus sufficiens communicatus ad id.

Deinde alio modo contingit delirium per motum inordinatum, quia scilicet simul proponuntur varia & quamplurima objecta & simulacra rerum, ita ut diminuat vis animæ ad actum propositum, ut facillimè erret circa assensum aliquujus objecti propositi, nam ad assentendum objecto proposito, minor virtus requiritur quam ad actum contrarium corrigentem eliciendum. Et ratio est quia unus actus movet ad alium, & sic facilis assentitur anima ad actum ad quem inclinat quam ad oppositum: nam si per species imaginationis, aut phantasie proponitur Petrus ut visus, facilis est judicare ita esse quam actum contrarium primum corrigentem elicere, quo anima judicet revera Petrum non videri, sed per imaginationem proponi ratione specierum referatarum; unde fit quod quantumvis multitudo specierum in cerebro producentur, dum animæ virtus non diminuitur, non est sufficiens ad delirandum, ut in benè valentibus contingit, in quibus licet quamplurima objecta proponantur, quia tamen virtus animæ non diminuitur, corriget omnes propositiones objectorum, qua ab imaginatione fiunt, sive non delirat. Diminuitur autem animæ virtus ratione intemperie, & defectu influxus communicati mediis spiritibus maximè ad operandum requisiti: nam non solum optima tempes requiritur ad recte operandum, sed communicatio influxus, & sic virtus diminuitur tam per intemperiem quam per defectum influxus, ac proinde tam ratione illius quam istius delirare possumus.

Sed dices, sequitur ex praedicta doctrina quod non detur delirium magis circa hoc quam circa illud objectum. Patet, quia defectus influxus est communis causa & laesio communis omnibus sensibus internis.

Respondetur quod licet defectus influxus sit laesio communis, tamen delirium fit circa objectum cuius sint species magis juvantes, & magis fecundantes potentiam internam: nam fieri assensus hujusmodi objecto proposito penes eo quod defectu influxus diminuitur vis animæ, ita ut circa objectum vivaci modo propositum non possit fieri contrarius actus corrigens, & sic ratione defectus influxus fieri delirium respectu hujus quam illius objecti, modo dicto & assignato.

Sed iterum dices: nam sequitur ex dictis, aut omnem delirantem esse vertiginosum, aut è contraria in opinione dicentium vertiginem causari ex inordinato motu spirituum modificantem species objectorum. Sequela probatur: nam si delirium potest causari ex inordinato motu spirituum, aut major motus requiritur ad delirandum, quam ad vertiginem, & sic omnis delirans vertigino-

sus erit vel major motus requiritur ad vertiginem, & sic omnis vertiginosus erit delirans; at qui contrarium experimur, ut potè quamplurimi sunt vertiginosi qui nullatenus delirant: ergo.

Respondeatur quod cùm delirium non solum penes inordinatum motum spirituum evenire possit, sed etiam per intemperiem, inde est quod non semper quod est delirans, sit vertigo; nam frequenter ratione intemperiei deliramus, & sic sufficienter erit solutum argumentum. Sed nihilominus videtur quod semper quod delirium ex inordinato motu spirituum causatur, etiam reperiatur vertigo, & è contrà semper quod reperiatur vertigo, reperiri debeat delirium, ex inordinato spirituum motu causato, & sic ad hoc debemus respondere, & dicimus, quod ad vertiginem minorem commotionem spirituum requiri quād ad delirium, sive plures vertiginosos non delirantes vidimus, & sic potest esse commotio quæ conduceat & sufficiat ad vertiginem, & non sufficiat ad delirium; neque inde sequitur quod saltem semper quod sit delirium causatum ex tumultuosa spirituum commotione erit vertigo; nam contingere potest, quod spiritus qui agitantur non habeant species reservatas objecti visibilis, aut quod eas habeant remissiores quād sunt in interno sensu, & idē quāvis varie agitantur, non erit vertigo, & erit delirium.

Unde quando dicimus delirium causari ex debilitate præcisè, & non ita debet intelligi, ut ratione debilitatis formaliter fiat omne quod requiritur ad delirium: nam ad delirium & requiritur actus positivus quo eliciatur sensatio aliquius objecti, & requiritur defectus contrarij actus corrigentis primum: Unde debilitas facultatis non facit quod primus actus fiat; nam debilitas potius ad diminutionem & ad non esse actionis conductit: sed facit debilitas quod contrarius actus quo corrigi debebat primus, non fiat, neque eliciatur, & sic debilitas causa occasionalis delirij potest & debet dici, & non totalis, ita ut se ipsa ceteris seclusis, delirium ponatur: nam ad delirium, & est necessarius actus positivus sensus interni, & actus primus intellectus quo percipit id quod à sensibus proponitur ad quod debilitas non concurreat, & est necessarius defectus alterius actus contrarij intellectus corrigentis ad quod debilitas occasionaliter se habet; nam ratione illius actus contrarius corrigens non elicitur.

Denique infero quod licet humida aut frigida distempories debilitent facultatem, nihilominus ad delirium non conducunt, quia non tantum debilitant, sed etiam impediunt vim sentientem omnino, ac proinde non conducunt ad delirandum, cùm potius ad non operandum conducant. Contrarium autem in calore & siccitate reperitur quæ ita debilitant facultatem, ut non impediant vim sensitivam, sed potius per operari & sentiri maximè conducent, ac proinde per distemperiem prædictarum qualitatum delirium contingere potest, non verò ratione humiditatis, aut frigiditatis, ut suprà latè insinuavimus.

## CAPUT VLTIMVM.

*Utrum ex diversa natura delirij, diversa causa cognoscatur.*

**D**UBIUM præsens præ ceteris necessarium est, ut potè in cognitionem humoris causantis delirium ordinatur, quod ad curationem, & remedium applicationem maximam utilitatem conferre nemo dubitat. Igitur dubium est, an ex diversa natura delirij cognoscamus diversam & determinatam ejus causam certè, ita ut quilibet humor ex quatuor habeat determinatum modum delirandi distinctum à quolibet alio humore.

Circa quod sententia est expressa omnium Medicorum affirmantium quod ex diversa natura delirij diversitas causæ vel humoris eum causantis cognoscatur; ita ut si quis deliret ridendo, hujusmodi delirium à sanguine causetur; si tamen deliret cum studio & inquisitione, cum aliquo scilicet furore, tunc caufatur à bilis flava aut sanguinis adustione: si tamen nimis furiosè deliret, ex adustione atrabilis nascitur; ac tandem si cum timore & tristitia & taciturnitate, à melancholia nascitur.

Quod autem delirium cum risu à sanguine dependeat, ex Hipp. comprobatur 6. aphor. text. 53. ubi ait, *Desipientia qua cum risu sunt, securiores: qua verò cum studio (id est cum inquisitione) periculosiores.* Cujus rei nulla alia assignari potest ratio nisi quia cùm sanguis sit tam familiaris nostræ naturæ, facile vinci potest, & idē securius est delirium ab eo causatum, ideoque excessus à sanguine cacochemiam non constituit, sed plenitudinem, ut potè cùm sit humor nostræ naturæ familiarissimus, qualitate non nocet: ergo delirium quæ cum risu fit ex eo securius ab Hipp. dicitur, quia ab humore magis familiariter caufatur. Hanc sententiam expresè tenuit Paulus, Galenus & Avicen.

Deinde ait Galenus quod deliria quæ à sola caliditate sine humore aliquo caufantur, similes sunt delirii qui ex ebrietate caufantur: at verò quæ ex flava bile caufantur, fiunt cum maximo studio, hoc est cum sollicitudine & inquisitione magna: & qui ex hac causa delirant, facile transferunt de uno in aliud delirium: nam humor hic ob vehementiam caloris delirium fixat, & ob mobilitatem quæ facilè discedit, & rursus applicatur, & ob facilem resolutionem, & naturalm paratam etiam ut inflammetur, velociter in intentione & remissione magnam variationem admittit, sive magnam varietatem in apprehensionibus causat, & sic variis symptomatibus ægrum sollicitat, ejusque mentem perturbat, sive veluti inquirentes res varias solliciti sunt.

Si autem furibundus æger reddatur, significat bilem flavam nimis ustam; si tamen ferociter deliret, atrabilis ustionem denotat.

Habemus igitur ex Gal. quod deliria quæ similia sunt illis quæ ex ebrietate nascuntur ex sola intemperie calida nasci sine humore virtuoso ob quod qui sic delirant, interrogati rectè solent respondere, ex eo quod cùm levis sit caliditas, non tollit, nec diminuit potentiam, ita ut actus contrarius fieri non possit, ac proinde quando rotas vires applicat, interrogationi rectè responderet.

Sed

Sed dubitabis, an detur peculiaris modus delirij qui ostendat ejus causam esse pituitam: nam pituita mutationes præternaturam pati potest, unctionem scilicet & putredinem, sicut cæteri humores: ergo sicut illis conceditur peculiare delirium, sic pituitæ debet concedi. Quod dubium Petrus Garcia insolutum relinquit; tamen ratio quæ potest adduci ad hoc ut delirium peculiare non constitutum, est, quod Lethargici delirant à pituita putrescente; sed in eis non est diversus modus delirij, qui pituitam indicet: nam delirij remissio est modus qui cæteris humoribus convenire potest, si leviter putrefiat. Præterea delirium cum somno non est diversa species delirij, sed delirium complicatum cum alio affectu, & sic nascuntur diversa symptomata.

Deinde, ratio ad hoc probandum potest deduci ex Gal. nam pituita non conductit ad mores, & inde non conductit ad certum modum delirij: nam modus delirij ad mores videtur pertinere. Et confirmatur hoc, nam pituita est humor frigidissimus & humidissimus, & sic potius ad cessationem actionis & somnolentiam inclinat, & non ad operandum certo modo, & sic ad mores & ad delirium non conductit. Unde deduco quod delirare hoc vel illo modo ex diversa natura humoris nasci, non ex unctione, aut putredine quam etiam pituita pati potest; sic sanguinei rident, biliosi irascuntur, melancholici timent & tacent, & cogitabundi sunt, diuque in contemplatione unius obj. eti immorantur.

Cur autem ex diversis humoribus diversa deliria fiant, explicuit optimè Petrus Garcia, dicendo hoc nasci ex diversa cuiuslibet temperie ad diversos mores & actiones declinante, & explicuit exemplo puerorum: nam alij sunt timidissimi, alij audaces, inexplibiles, alij sobrij, alij verecundi, alij admodum impudentes. Quod totum evenit ex diversa temperie ad diversos mores inclinante, ac proindè ex diversa natura cuiuslibet humoris, diversa deliria nascuntur, juxta mores ad quos temperies nativa cuiuslibet humoris inclinat.

Denique ut finem disputationi nostræ imponamus, dicimus quod nos solùm in animalibus perfectis delirium concedimus, ita ut in hominibus facultas regens ad quam pertinet delirium sit intellectus, in brutis autem perfectis potentia superior ad quam delirare pertinet, est potentia estimativa, cuius duo sunt actus, alter qui versatur circa convenientis aut disconveniens, alter actus reperitur in estimativa, per quem quasi iudicium de omnibus objectis, & sensationibus, ferat, qui dicitur actus instinctivus à nostro Vallesio brutis concesso, ita ut aliquo modo discursum imperfectum eis concedat, & sic ratione istius secundi actus, optimè intelligitur quæ ratione in brutis detur delirium, & quæ etiā ratione multoties actus imaginationis in eis corrigitur, & delirium non detur. Quam doctrinam probabilem reddit industria & mirabilia opera quæ in brutis patruntur, quæ, nisi in eis mens imperfetta ponatur, difficilè creditu videtur, quamplurima quidem opera à brutis sunt, quæ ab industria humana patrari nequeant: ergo non est præter rationem concedere actum instinctivum quæ discursum aliquo modo æmuletur in brutis, qui ad potentiam regentem pertineat; & in brutis gerat vicem intellectus ad quem delirium pertineat. Et hæc de hac Disputatione.

## DISPVTATIO VIII.

### *De Phrenitide.*

#### CAPVT PRIMVM.

*Utrum Phrenitidis & Lethargi essentia consistat in inflammatione aut distemperie.*



D hujus dubij intelligentiam supponere oportet quod cùm præsens quæstio possit procedere tam de phrenitide quam de lethargo, & sequenti Disputatione de eo sermonem instituemus, idè in præsenti de utroque affectu procedit disputatio, an eorum essentia consistat in inflammatione, vel in distemperie.

Secundò advertendum est nomine inflammationis non solùm tumorem qui fit ex sanguine nos intelligere, verùm quemlibet tumorem calidum, & de hoc procedit dubium.

Circa quod sententia fuit quamplurimorum Autorum essentiam phrenitidis & lethargi formaliter in inflammatione seu tumore, & non in distemperie consistere, quod probant pluribus gravium Autorum testimoniis, quos facile quis apud Petrum Garciam inveniet disputatione & capite præsenti. Ratione etiam prædictam sententiam confirmant, primò quia in phrenitide invenitur pulsus durus: sed causa hujus pulsus est tumor seu inflammatio, ratione respirationis quam causat in arteriis: ergo in phrenitide necessariò est tumor.

Secundò quia phrenitis ex Gal. est toro genere exitialis ergo consistit in inflammatione. Patet quia illud dicitur toto genere exitialis quod habet triplicem morbi speciem, scilicet in soluta unitate, in distemperie, & in quantitate aucta: sed triplex morbi species tantum in tumore reperitur: ergo si dicitur toto genere exitialis, ex eo quod consistit in tumore, in quo totum genus morbi reperitur, scilicet tres species enumeratae.

Deinde quia si sufficeret ad lethargum mera distemperies absque tumore, sequitur quod in omnibus rheumaticis affectionibus, in quibus cerebrum pituita est irrigatum, esset vera ratio lethargi, quod nullus concessit; ergo ex eo est quia necessariò prærequisitum tumorem.

Vera tamen sententia est quam tenet Vallesius, scilicet phrenitidem formaliter consistere in distemperie cum humore in cerebro putrescente; etiamsi tumor non adsit, vel si hoc putrefiat in cerebri membranis, ut in fine dicemus. Hæc sententia in primis constat ex Gal. pluribus in locis, in quibus clare ait phreniticos dici illos qui simul cum delirio perpetuo habent febrem continuam, nullâ factâ mentione de tumore; & deinde ait phrenitidem à mania solùm distinguiri penes eo quod ad hanc affectionem febris non requiratur, secùs ad illam; sed si phrenitis in suo conceptu formaliter diceret tumorem, etiam ratione tumoris distingueretur à mania: atqui Gal. talem distinctio

distinctionem non assignavit; ergo non reperitur in phrenitide.

Deinde ratione probatur, quia secluso tumore & omni inflammatione, sola posita distemperie cum humore putrefacto in cerebro, ponuntur omnia signa pathognomonica delirij & lethargi: igitur tumor non intrat in ratione constitutiva horum affectuum. Antecedens probatur, quia signa pathognomonica phrenitidis sunt deliriū perpetuum cum febre continua, & respiratione magna & rara; signa vero lethargi sunt somnus profundus continuus cum febre, & si vis cum delirio: sed omnia haec sunt secluso quolibet tumore, aut inflammatione: nam ex eo quod humor putrefactus, est sufficiens causa febris, à distemperie vero nascitur depravatus modus operandi & delirium; tumor autem solū facit morbum in quantitate aucta distendendo partem: neque ad putrefactionem humoris est necessarius, ut de se patet: ergo nullatenus potest conducere ad aliquod signum pathognomonicum phrenitidis, neque lethargi, cum neque ad somnum conducat; hujusmodi ergo affectus formaliter in distemperie cum humorre putrefacto in cerebro vel ejus membranis (vel tenuis meningis, ut dicemus) consistit, & non in inflammatione seu tumore.

Neque valet dicere talem non dici veram & exquisitam phrenitidem: nam ad hanc necessariū esse tumorem aiunt. Tamen contra est, quia hoc videtur gratis dictum, cum sine tumore dentur omnia signa ejus pathognomonica; & deinde quia tumor non conductus ad perpetuitatem delirij, cum ad hoc sufficiat causam esse præsentem in cerebro modo dicendo immediatè, potest sine tumore aut inflammatione aliqua.

Tripliceriter autem potest esse humor in cerebro, aut ejus membranis, aut in tenui meningi ejus, in quibus omnibus, si humor sit, vera phrenitis per propriam passionem causant, & non per consensum, ex eo quod sint membranae & meninges juxta ipsum cerebrum: primò enim in qualibet ex dictis partibus, potest esse humor quasi per irrigationem, taliter quod humor egredietur à vasis & super cerebrum inspergat ipsius poros non ingrediendo, qui quidem humor ibi putrefactus, cerebrum distemperat, phrenitidem excitat, & tumorem non elevat.

Secundo modo potest esse etiam absque eo quod causet tumorem, ex eo quod egreditur humor à vasis membranarum & inspergatur super cerebrum, & in ejus poris imbibatur, solū implendo cavitates naturales, & nullam faciente distensionem præternaturam, seu tumorem, quam phrenitidem hec tam appellat Gal. ex eo quod sit humor in porositatibus impactus, ut difficile valde moveatur & auferatur.

Tertio modo contingere potest ex eo quod humor putrefactus in vasis tenuis meningis, & cerebro distemperies calida ab hac communicetur, quod ad phrenitidem adhuc per propriam passionem sufficiens est: nam licet ad talem phrenitidem requiratur quod sint prædicta symptomata supra relata absque eo quod ab alia parte cerebro communicetur, ob quod talis affectus passio cerebri dicitur, nihilominus non est necessarium causam esse immediatè in cerebri substantia, sed sufficit ipsam nudam distemperiem cerebro communicari, ut patet, dum membranae cerebri inflammantur, quae in omni sententia phrenitidem veram per propriam passionem causant, solū

phlogosim & ardorem cerebro communicando: sic ergo licet humor putrefactus in vasis tenuis meningis, tamen phrenitis causabitur per propriam passionem in cerebro, quia eodem modo sicut à membranis phlogosis & ardor communicatur cerebro, ac per consequens per propriam passionem dicitur talis phrenitis, quia cerebri membranae & meninges non reputantur partes diversæ, cerebri in ordine ad hunc affectum.

Unde nihil facit contra nos quod in definitione phrenitidis dicatur *Inflammatio cerebri, aut membranarum ejus*: nam plures Gal. nomine *inflammationis*, intelligit distemperi calidam cum materia, phlogosim, vel ardorem hoc verbis illis vult significare.

Ad primum argumentum dicimus, pulsū durum non esse signum pathognomonicum hujus affectus; numeratur vero à Gal. quia numerabat tunc omnia symptomata quæ ei possunt accidere, & cum possit contingere inflammatio in prædicto affectu, etiam si ad ejus essentiam non conduceat, idè pulsum durum numeravit.

Ad alterum dico quod quando Gal. dicit phrenitidem esse toro genere exitialem, intelligi debet ratione partis principis affectæ, nempe cerebrum, non quia requirat tumorem. Adverte lethargum consistere in distemperie etiam cum materia, inde tamen non sequitur esse in qualibet affectione rheumatica; nam est necessarium ad talem affectum febris continua orta ex putredine humoris existentis in cerebro, ut suo loco dicemus.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P V T II.

*Quid sit phrenitis, & quæ pars affecta.*

**P**HRENITIS dicitur affectio quædam in qua mens lœditur, quæ sic ab Autoribus definitur, *Est inflammatio cerebri, aut membranarum ejus, cum febre continua & delirio perpetuo, respiratione magna & rara*. In qua definitione videtur partem genericam esse *inflammationem*, & in reliquis particulis etiam notum est partem affectum & symptomata hujus affectus explicari.

Sed adhuc dubitant Autores circa partem affectam: nam alij affirmant partem affectam in phrenitide esse substantiam cerebri, alij esse membranas, alij septum transversum.


Sed nobis dicendum est non sufficere inflammationem, sive propriam, sive impropiam affectare membranas ad phrenitidem, dummodo malum non communicetur substantiae cerebri, sive quod communicatur sit humor, sive distemperies sine humore, ac proinde à fortiori pars affecta in hoc affectu debet esse cerebri substantia. Hæc assertio efficaciter probatur: nam unum ex symptomatis pathognomonicis hujus affectus est delirium perpetuum: sed delirium perpetuum est actio depravata regentis facultatis: ergo ut talis sit, debet communicari malum parti ubi est regens facultas: atqui hæc est substantia cerebri, & non in membranis, necessariò ergo hæc in hoc affectu debet pati.

Cum hoc tamen verum est non posse esse affectam tenuem meningem, & cerebri membranas; à distemperie calida cum humorre; ita ut faciat phreniti

phrenitidem, quin malum communicetur substantiae cerebri ratione continuatis, & è contrà: at alia membranæ & dura meninx optimè possunt affici, quin cerebri substantia afficiatur: hoc autem contingit ratione distantiae praedictarum membranarum, semper tamen est verum quod meninges & membranæ quæ sunt continuae & proxima substantia cerebri non possunt affici quin substantia cerebri afficiatur, & è contrà.

Undè fit, aliud esse querere quæ pars in phrenitide necessariò debeat esse affecta (& hanc diximus esse substantiam cerebri,) aliud est querere in qua parte sufficiat esse humorem, & dico sufficere esse vel in substantia cerebri, vel in ejus membranis, dummodò malum substantia cerebri communicetur, sive cum humore, sive sine illo; itaque qui partes ponunt cerebrum & membranas connumerant quæ necessariò divisivè una aut alia habet humorum sufficientem, licet solùm substantia cerebri necessariò debeat esse pars affecta. Unde partes quæ facilius retinent humorum, sunt meninges ratione duritiei; nam melius detinetur aliquid in re dura quam in re molli & laxa.

Denique facile Autores contrarium asserentes circa partem affectam conciliari valent: nam qui partem affectam ponunt substantiam cerebri, loquuntur de parte quæ necessariò in hac ægritudine debet affici; qui verò ponunt membranas, loquuntur de paribus quæ propter vasorum multitudinem assidue afficiuntur hoc affectu; qui verò septum transversum, loquuntur non de propria phrenitide, sed de paraphrenitide, de qua postea dicemus.



### C A P U T III.

*De speciebus phrenitidis, an sint, & quot ex parte lassarum actionum, & ex parte humoris.*

 X duplice capite species phrenitidis desumi possunt, aut ex lassione diversarum actionum, aut ex causis talem lassionem causantibus. Circa primum certum est, rigorosè loquendo ex diversis symptomatibus veras species hujus affectus constitui non posse, cum ab eodem morbo plura symptomata nascantur, sed delirium est symtoma phrenitidis: ergo ex diversa actione depravata veræ species non sunt statuenda, sed potius juxta alios diversæ differentiæ phrenitidis sunt nominandæ.

Sed cum phrenitis mentis alienationem significet, & hæc possit fieri secundum quod diversæ facultates actio ladditur in usu est ut species phrenitidis, aut differentiæ diversæ ex diversis symptomatibus ab Autoribus enumerantur, ita ut Autores quæ asserunt memoriam non esse potentiam activam, nullumque elicere actum, ac per consequens neque delirare, neque depravatè operari posse, consequenter affirmant, tres tantum esse species quæ ex lassione actionum diversarum facultatum de-

sumi possunt. Prima quando imaginatio tantum ladditur: secunda quando ratiocinatio tantum, lassâ manente imaginativa & memoria, (& hæc duo dicantur species simplices.) Tertia dicitur species composita quando imaginativa & ratiocinativa simul ladduntur.

Nos tamen cum asseramus memoriam esse potentiam activam, ac per consequens posse delirare, & depravatè operari, consequenter dicitur, constituì diversam speciem phrenitidis ex lassione memoriam, non ita ut ipsa lassâ cæteræ illæsæ maneant: sed ex ea constituitur species composita, ita ut non possit depravatè operari tam per calorē quam per siccitatem, quin potentia inferiorum, etiam depravatè operentur: nam jam diximus, memoriam requiri majorem calorem ad operandum, ac proindè calor quietus sufficiens ad laddendam memoriam, multò facilius laddet potentias inferiorum quam minorem & remissiorum calorē exposcunt ad operandum: & idem dico de siccitate: undè quando memoria delirat, alia diversa species composita phrenitidis desumpta ex symptomatibus est statuenda ultra dictas.

Neque valet dicere quod cum ratio etiam exposcat intensiorem calorem ad operandum quam imaginativa, non poterit per calorem laddi sola ratio quin etiam imaginatio laddatur, ac proindè non dabatur secunda enumerata species, aut differentia simplex phrenitidis, nempè quando ratio sola ladditur.

Resp. quod quando depravatio sit ratione caloris, benè probat argumentum: sed cum lassio & depravatio etiam fiat à siccitate, poterit contingere ut verâ bile putrescente lassio causetur à siccitate, etiamsi calor sit major quam pro natura insufficiens tamè ad causandam lassionem propter latitudinem, quam habent praeditæ potentia, ac proindè tunc depravatio à siccitate causabitur, & solùm erit lassio in ratiocinativa; in memoria autem etiamis depravatio fiat à siccitate, non potest esse sola in ea lassio, quin potentia inferiorum laddatur, quia etiam prærequisit majorem siccitatem quam cæteræ.

Sed alterum dubiolum excitari solet, an scilicet si una potentia inferior laddatur, cæteræ superiores ad quas mittit species, etiam laddantur; & partem negativam tenet Autor, quæ quia *Disputatione de deliris*, late tractavimus, in præsenti ea omitto.

Compertum etiam est tot esse species phrenitidis ex humore, quot sunt species humoris potentis causare talem affectum: cum ergo à succis calidis causetur, dubium esse solet an ex sanguine species phrenitidis fiat: & breviter dicimus quod communiter enumerantur quatuor species: prima quæ causatur ex sanguine tenui: secunda ex bile pallida: tercia ex bile flava: quarta bilis cum unctione, quæ via est ad atram billem, licet ab atra bile consummata potius mania, quam phrenitis causetur, ex his quæ à sanguine causatur mitior est, ita ut delirium non sit furibundum, minus mitis est quæ à bile pallida, deinde minus quæ à flava, & tandem seriosior est quæ à bile quæ est in via ad atram billem causatur.

Videtur  
quod etiam  
ab atra  
bile con-  
summaria  
& à pi-  
tuita sal-  
sa, vel  
alio succe-  
aci &  
calido

dum p  
tresent  
in cere  
bro phren  
nitidem  
causari:  
nā phren  
nitis non  
requirit  
determin  
natum  
modum  
delirij, nā  
aliās sō  
lūm ab  
unico  
humore  
causare  
tur, ac  
proinde  
licet fiat  
ab atra  
consum  
mata de  
lirium,  
cum ma  
jori fer  
citate  
erit vera  
phrenitis,  
quia in  
tali afe  
cum febre irruit, plurimis verò à quarta, aut  
etia erit quinta, aut sexta incipit, & adhuc serius cum  
febris cō  
ipso fermè periculō incidens, ut jam aliqui  
delirio Septimā, aliqui nonā delirare incepint.

Sed contra hanc communem & recep  
tam doctrinam viderit quod sit contrarius  
Aëtius in hoc capite, dicens sèpè incipere  
phrenitidem sine febre: ergo non est signum  
pathognomonicum; nam aliās non posset  
unum ab altero separari. Antecedens pro  
batur verbis expressis Aëtij, quæ sunt se  
quentia. Rarò autem à principio phrenitidis  
sunt in distemperie calida; ergo non potest  
esse etiam symptoma febris. Patet, nam  
symptoma procedit à morbo: sed febris non  
procedit à distemperie calida cerebri (in  
qua consistit phrenitidis) sed ab humore  
putrefacte in cerebro à quo fuligines ele  
vantur & mittuntur ad cor: ergo febris non  
potest esse signum pathognomonicum phre  
nitidis.

Tertiò ex Hippocrat. lib. 3. epidem. par  
niam af  
te 3. text. 45. videtur delirium in phreniti  
de non esse perpetuum. Verba sunt sequen  
tia. Nullus phreniticorum quispiam vehementer  
si putre  
sanxit, ut in aliis, sed alia quadam veter  
scat, quia nosa in somnum delatione capiti gravanti mo  
erit se  
riebantur. Sed cùm somno non potest esse  
non est in delirium, ergo datur phrenitis absque de  
mania. lirio perpetuo: Et rursùs idem Hippocrat.  
text. 62. ait, Comatosi erant imprimis phre  
nitici: ergo cum somno non potest delirium  
conjungi, ac per consequens semper non est  
perpetuum.

Sed nihilominus convenient omnes fe  
brem continuam & delirium perpetuum esse  
signa pathognomonica phrenitidis, ita ut  
sam distinguant à quovis alio affectu, &  
principiè à paraphrenitide, si non continu  
itate febris (nam hæc etiam in paraphreni  
tide reperitur) perpetuitate tamen delirij:  
sed antequam ea quæ à Contrariis adducun  
tur, solvamus, & in bonum sensum inter  
pretemur, postquam jam diximus quid esset  
delirium, oportet explicare quid intelliga  
mus per hoc quod est esse perpetuum.

Contra quod noster Vallesius affirmat del  
irium non dici perpetuum in vera phreni  
tide per propriam passionem, quia non ces  
set toto tempore quo durat affectus, sed  
quia non cessat per certa intervalla, & per  
circuitus & periodos certos repentes, sicut


contingit in febribus intermittentibus. Sed  
hoc placitum Vallesij nobis nullo modo pro  
batur, nam si perseverat idem affectus (quod  
ipse fatetur) cur non semper laedit: nam si  
causa perseverat eadem & nullum sit impe  
diens potentior à cuius effectu potentiori im  
pediat effectus phrenitidis: & aliás ex Phi  
losopho, Idem in quantum idem, semper natum  
sit facere idem: ergo cùm sit eadem causa, si  
aliquibus diebus causavit delirium, etiam om  
nibus diebus in quibus eadem causa & idem  
affectus præsens fuerit, delirium etiam aderit  
& erit perpetuum. Deinde quia si in phreni  
tide per propriam passionem, potest cessare  
delirium, non est ob quod distinguatur à pa  
raphrenitide. Dicendum ergo est quod in ve  
ra phrenitide sit perpetuum delirium, & per  
petuum dici, quia non cessat toto tempore  
affectus, neque pender ita ex alio, ut secund  
um mutationem hujus, symptoma etiam  
mutetur; licet tamen delirium in vera phreni  
tide possit remissionem & intensionem pati,  
nunquam tamen cessat in ea delirium sensi  
bile.

Unde ad Aëtium facile respondet, ibi non  
loqui de vera phrenitide, sed de paraphreni  
tide; sed videtur id non obstat; nam in para  
phrenitide est febris statim ac incipit, ac pro  
inde Aëtius potest in optimo sensu interpre  
tari, ita ut velit raro phrenitidem incipere à  
principio, id est primo morbi insultu, quod  
denotat nomine febris.

Ut autem intelligamus quâ ratione febris  
sit symptoma phrenitidis, quæ in ipsa distem  
perie calida cerebri consistit, advertere oport  
et duobus modis posse febrem causari ex hu  
more putrefacte in cerebro, aut in aliqua  
alia parte. Primo modo per continui altera  
tionem potest febris produci in corde: secun  
do modo fuliginibus solis deductis ab humo  
re putrefacto usque ad cor, à quibus calefit:  
unde si primo modo fiat in phrenitide, facile  
explicatur quomodo febris sit ejus symptoma:  
nam humor in cerebro existens, cùm putres  
cit, potest calefacere cerebrum, & sic ab illo  
calore simul cum illo qui est in humoré pro  
duci per medianas partes usque ad cor: cùm  
autem ibi habeat rationem febris productæ  
à calore cerebri, reverà febris nascitur à mor  
bo, eritque ejus symptoma. Si verò dicamus  
febrem secundo modo produci, reverà non  
est proprium symptoma morbi, febris: nam  
neque immediate neque mediata fit à mor  
bo; sed ab ejus causa, nempè quia ex illa,  
scilicet ex putrefacto humoré elevante fuli  
gines calefacentes cor, ad quarum produ  
ctionem non concurrit distemperies calida  
cerebri, & ita non dicitur symptoma ipsius  
in hoc secundo sensu, potest tamen larga  
significatione dici symptoma phrenitidis,  
quatenus hic affectus includit distemperies  
cum causa, licet in rigore solùm à causa  
fiat. Tamen quia sequitur talem affectum  
ejus, symptoma largè potest dici. Aliter ta  
men possumus philosophari, dicendo quod  
adhuc in hoc secundo sensu potest dici sym  
ptoma verum hujus affectus, quia cerebrum  
ultra naturam calefactum non potest non ca  
lefacere præternaturam plures partes quæ in  
sua sphæra activitatis sunt, ac proinde fe  
bris

bris aliquo mododimanat ad ipsa distemperie.

Denique ad alia duo testimonia solùm restat satisfacere : nam ad primum argumentum jam constar quomodo febris symptoma phrenitidis dicatur. Ad testimonia dico ibi non loqui Hippocr. de vera phrenitide, sed de quacunque mentis alienatione ; & ita dicit ; *Nullus phreniticorum vehementer insaniuit, ut in aliis* ; nam alijs phrenitici erant vigiles admodum, alijs loquaces & inquieti.



## C A P U T V.

### *De paraphrenitide & delirio, à septo transverso affecto.*

**P**A R A P H R E N I T I S vocatur affectio capitis in qua est delirium per consensum, cum affectu alterius partis, ita ut affectio capitis originem trahat ab alia parte affecta cum qua consentire potest: sic delirium quod in febre ardentí multoties reperitur dicitur paraphrenitis, quia affectio capitis originem trahit ab alio affectu, nempè febre, & nonnulli addunt paraphrenitidem dici quia sequitur intentionem febris, ita ut quando hæc crescit, crescat delirium, & non sic quando diminuitur, quia etiamsi perseveret febris, non tamen cum tanta intensione quanta ad delirium præquiritur, utpote vapores in declinatione febris in parva quantitate ascendunt ad caput, ex eo quod per ambitum corporis extrahuntur, & moventur, nisi in declinatione, non solùm moventur per ambitum, sed etiam ad caput, quia tunc non est ratio cur cesset delirium; sicut neque cessabit in febre contingenenti, quando ratione ejus excitatur delirium, cum prædicta febris non decrescat si paracistica non sit; in tali autem casu etiamsi non remittatur delirium, cognoscemus esse paraphrenitidem, & non phrenitidem, quia febris necessariò incipiet sine delirio; & quia delirium non erit cum tanta ferocitate, ac si esset phrenitis per propriam passionem, & hoc est expressum Gal. & ratio ab eo adducitur, quia in vera phrenitide majorem bilem patiuntur humores in cerebro quam à fuliginibus fiat effectus; & cùm furor petat ustionem illam, inde eam esse paraphrenitidem distinguemus.

Solùm restat explicare secundum quod inquirit quæstio de delirio causato ex inflammatione septi transversi, an scilicet delirium causatum ex inflammatione septi, sit perpetuum, sicut in vera phrenitide, an verò ita ex ejus inflammatione contingat delirium, sicut in quavis alia paraphrenitide, à quavis alia causa nascatur, ita ut delirium non sit perpetuum. Circa quod videtur quod delirium ex septo sit perpetuum, & non sicut in quavis alia paraphrenitide, probatur auctoritate Gal. 5. de locis affect. c. 4. ubi dicit *Ab aliarum verò partium nulla delirium perpetuum procedit, dempto solo septo.*

Sed dubitant Autores in reddendo ratio-

nem ob quam in inflammatione septi transversi contingat delirium perpetuum : nam alijs dixerunt delirium fieri perpetuum ob multitudinem vaporum qui ex septo inflammato ad caput elevantur, quod non est credibile, quia affecto ventriculo major copia vaporum ascendit ad caput, tum propter majorem restitudinem quam cum illo habent, tum quia viæ magis patentes fiunt, & tamen non causatur delirium perpetuum: ergo neque à septo inflammato ab multitudinem vaporum causabitur.

Vallesius idè contingere perpetuum delirium ex inflammatione septi affirmavit, quia inflammato cerebro trahitur cerebrum in consensum propter quandam analogiam & similitudinem quæ est inter hæc duo membra quæ non est inter cerebrum, & aliam partem: hæc autem analogia non fundatur in aliquo accidenti manifesto, neque ex proximitate, aut alia quavis causa manifesta, cùm videamus multoties partem distantissimam compati cum alia, & non cum proximiiori; solùm ergo desumitur ex effectu & experientiâ quâ videmus id contingere: sed ab impugnatione hujus sententiae sustinere decrevi, quia fundatur in analogia utriusque partis occulta, & nullo modo potest probari non dari occultam similitudinem: Tamen licet concedamus talem similitudinem partium non posse esse delirium perpetuum, sed se habere sicut quamlibet aliam paraphrenitidem à qualibet alia parte, quia illud quod pervenit ad cerebrum ex febre ardentí, aut ex ventriculo affecto, aut ex qualibet alia parte est ejusdem rationis cum illo quod producitur à septo, cùm vel sint fuligines, vel calor per continui alterationem productus: ergo non est major ratio cur ex affectione septi sit perpetuum delirium quam ex affectione aliarum partium; vel si ratione aliarum partium non datur delirium perpetuum, neque ratione septi affecti.

Neque valet dicere cerebrum accipere modificationem quandam à parte quæ inflammatione laborat, à septo scilicet, & non ab alia, ac proindè esse perpetuum delirium, quia fuligines elevantur ab humorē putrefacto à calore præternaturam, non concorrente naturâ septi per modum sufficiens: ergo non recipit modificationem. Præterquam quod si cerebrum est aptum recipere causam facientem delirium, quod facit quod ab hoc agente aut illo producatur. Id patet exemplo Vallesij: nam si lien alicujus hominis frigidus sit, refrigeret que ventriculum propter aptitudinem morbosam quam habet ad illum effectum, inquiro si alia causa acciderit præter liensem quæ valeret frigus producere, non recipere illud ventriculus eodem modo; ergo idem dicendum de septo respectu cerebri, ac de quavis alia parte in eo aliquid producente, ratione cuius delirium sequitur.

Sed nobis dicendum est quod cùm hucusq; non sit assignata ratio ob quam delirium, ex inflammatione septi sit perpetuum, sicut in propria phrenitide, tale delirium non esse perpetuum, licet non implicat ex inflammatione septi ferè à principio morbi delirium

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

contingere & non cessare donec morbus cef-  
set, aut satis manifestè remittatur, quod Gal.  
non negavit. Sed quod prædictum delirium  
ex inflammatione septi non sit perpetuum  
probatur ex Gal. 5. de locis cap. 4. dicens, *Sed*  
*quem ob septi transversi affectum accident deli-*  
*ria, non multum à phrenitide distat.* Ergo sen-  
tit non esse perpetuitatem sicut in phreniti-  
de, licet parum ab ea distent. Et paulò post in  
eodem cap. supra verba posita pro contraria  
sententia, scilicet *Ab aliarum vero partium nul-*  
*la perpetuum delirium proeedit dempto solo*  
*septo transverso.* Addit ipse Gal. *Cujus vitio*  
*excitatum delirium, parum à continuo distat.*  
Ergo sentit non esse continuum, sed conti-  
nuum vocatur quia parum ab eo distat; unde  
constat solutio ad autoritatem contra nos  
factam.

Ratione etiam probatur nostra sententia : nam idè ex inflammatiōne aliarum partium, aut ex febre ardenti, delitium non sit perpetuum, quia cùm pender ex alio morbo remit, titur aut crescit ex variatione alterius; sed quando procedit ex inflammatione septi, hoc idem habet; ergo reverà delirium non est perpetuum. Major constat ex Gal. *prædicto cap.* Minor ostenditur, quia remissā inflammatione septi cùm minor sit causa delirij, necessariò debet remitti, aut dicant Contrarij quare cùm remittitur affectiō aliarum partium præter septum, remittitur delirium, & non remittitur quando remittitur affectiō septi.

<sup>1</sup> Sed respondebis non posse negari per remissionem inflammationis remitti etiam delirij: sed quod negamus, est quod cœset delirium existente inflammatione, ac proinde est perpetuum in quantum semper quod est inflammatio est delirium, licet cum remissione aut intensione sequente remissionem, aut intensionem inflammationis septi. Tamen contra insurgimus, quia adhuc modo non est perpetuum, quia quando incipit inflammatione septi, non est statim delirium: nam aliquod tempus sensibile debet intercedere inter inflammationem ipsam & affectum communicatum cerebro, siquidem successivè fit ipsa communicatione, & productio, ergo tempus erit in quo sit inflammatione septi, & non sit delirium, ac proinde non erit perpetuum ullo modo, præcipue cum sit distantia notata digna inter septum & cerebrum, ob quod debet pertransire tempus inter inflammationem & communicationem fuliginum à septo in cerebrum.

petuum, per propriam passionem & in illo non. Deinde etiam in declinatione inflammatis septi non est cur non cesset delirium; nam ad hoc requiritur certa quantitas fuliginum, & intensio caloris, præternaturam: ergo cum non sufficiat quilibet dum ex aliis partibus communicatur, neque sufficiet, dum ex septo communicatur, ac per consequens sicut in declinatione affectus, aliarum partium cessat delirium, quia parum communicatur etiam in declinatione inflammatis septi cessabit, cessabit delirium, quia non communicatur qualitas fuliginum, vel calor præternaturam in tanta intensione quanta requiritur ad delirium. Si verò sit phrenitis per propriam passionem propter propinquitatem causæ, non intercedet aliquod tempus sensibile in quo sit hu-

*mor putrescens, & non sit sufficiens causa de-*  
*sine illo:  
lirij ; neque remissio affectus quin etiam sit  
differen-  
delirium, licet remissum, dummodo causa non  
tia ergo  
sit valde exigua, quod sensibilem affectum non  
qua ver-  
faciat, ac proinde cum inflammatio sit in  
fatur in-  
cerebro, aut membranarum ejus, quæ ferè ean-  
ter para-  
dem, &  
dem faciunt partem cum cerebro, idè in  
phreniti-  
propria phrenitide semper quod est causa, vel  
dem est  
inflammatio est delirium perpetuum, dum-  
quod  
modò ita exigua non sit, ut non faciat mor-  
bus morbus  
causans causans  
phreniti-*

## C A P I T U L U M V I .

*An sit aliquod symptoma distinguens  
veram phrenitidem, ab illa quæ  
contingit per consensum cum septo  
præter delirij perpetuitatem.*

**A**UTORES affirmantes veram phrenitidem & paraphrenitidem quæ causatur ex inflammatione septi æque convenire in perpetuitate delirij, tenentur assignare distinctionem ratione respirationis. Nos autem qui ratione perpetuitatis cap. precedenti diximus, distingui ad prædictam distinctionem & separationem phrenitidis à paraphrenitide quæ sit ex inflammatione septi, non erat opus ad aliud recurrere: tamen quia revera dissident in respiratione, oportet ex parte istius etiam assignare distinctionem.

Circa quod Gal.lib.5.de locis cap.4. in vera prius est  
phrenitide esse respirationem magnam & ra- morbus  
ram , hoc est ex longis intervallis : at vero sensibilitas  
cum à septo delirium oritur, ita inæqualis est in parte,  
respiratio, ut modò sit parva & frequens, mo- quamce  
dò vero magna & angustiosa. Ubi adverte in rebrum  
paraphrenitide ex septo nunquam respiratio- consens  
nem esse magnam absolutè. Dicitur autem à sentiat cum  
Gal.magna, quandoque angustiosa, quia intra illa.  
parvitatem quam semper servat, ita inæqualis  
est, ut modò minores , modò majores eliciat  
motus.

Sed oportet assignare rationem ob quam in  
vera phrenitide respiratio est magna & rara.  
Avic. ait idem talem esse, quia delirantes in ve-  
ra phrenitide aliis rebus intenti negligunt &  
obliviscuntur respiratione, postea vero incre-  
cente usu, incitantur vehementer, ac per con-  
sequens, ut usui satisfaciat apponit magnam  
respirationem, & cum sit oblivio, apponit ra-  
titatem, quae in longis intervallis temporis  
consistit; quod autem propter oblivionem, &  
ex eo quod aliqui sint aliis operibus intenti,  
negligentes sint circa animales actiones, con-  
stat in exemplo phrenitici qui petit matulam  
ad reddendam urinam, est non reddit; constat  
etiam in illis qui ambulant celeri & concita-  
to motu: nam si in medio itineris aliquid co-  
gitent vehementer, remittunt celeritatem il-  
lam, & interrumpunt saepè, id autem non co-  
gnoscunt usque quo mentem accommodant,  
& cognitam negligenter inveniunt, ut prius: sic  
autem qui delirant & mente vacillant, si sunt  
occupati aliis imaginationibus, & intenti ne-  
gligentes sunt circa actiones animales, ac  
proinde in respiratione recuperat animal id

quo privatus fuit, respirationis magnitudo, & sic sit magna & rara; quod non contingit in operationibus naturalibus: nam haec nunquam cessant, neque otiosae sunt, secus animales, ex eo quod advertentiam animae requirant, & sint subiecta imperio voluntatis: nomine autem imperij voluntarij intelligimus motum spontaneum, nam in brutis si primo modo & rigorosè intelligatur motus voluntarius, non potest idem contingere, quod est falsum, nam etiam in eis datur delirium.

Sed nobis dicendum est quod quando deficit respiratio, defectus ille non potest dici oblivio, hoc est defectus actus proprij memoriae: nam quando redit ad respirationem, non est necessarius actus memoriae: ergo non erat privatio ejus quando deficiebat respiratione. Antecedens patet: nam ponamus casum in quo aliquis habeat ablatam actionem memoriae ob distemperiem frigidam cerebri, & quod in hoc sit phrenitis ex laesione solius imaginationis, ita ut calore requisito ut in hac phrenitidem incidat hic, non redeat memoria ad naturalem statum, in tali casu qui possibilis est, erit respiratione magna & rara: ergo non est necessarius actus memoriae ad illam; neque ejus cessatio, sed sufficit animal esse intensum in aliis operibus vi imaginationis, ita ut redeat ad respirationem, solùm ex eo præcisè quod sensus exterior tactus videlicet, sentiat objectum, & imaginatio cesseret ab aliorum meditatione, ac proinde in exemplo celeri motu ambulantis, & in alio illius phrenetici qui petivit matulam, non fuit oblivio prout dicit cessationem actus memoriae: sed imaginatio circa alia objecta, intensaque diversio.

Ex his clare patet Gal. nomine oblivionis non intellexisse veram privationem actus memoriae, sed cessationem solius actus sensitivi, scilicet respirationis; de quo est sermo, oblivionem appellabat: ad quod sufficit quod animal valde intentum sit aliis operibus ratione cuius homo veluti oblitus est respiratione, seu qualibet alia actione, sensitiva ubi verbum *oblitus*, solam cessationem operationis sensitivæ significat.

Sed dices contra nos: Ex dictis viderut quod in paraphrenitide ex septo, respiratione etiam esse debeat rara: nam ex eo in vera phrenitide est rara propter delirium, ratione cuius aliis operationibus sunt intenti phrenetici: sed etiam in paraphrenitide cum septo est delirium; ergo similiter qui eo laborant, aliis operibus debent esse intenti, ac proinde respiratione etiam debet esse rara: nam quod delirium sit per consensum parum refert, ad hoc ut sint intenti, vel non.

Respondetur in inflammatione septi respirationem semper esse parvam ob vitium instrumenti, scilicet ipsius septi non potentis dilatari, & facere respirationem magnam; unde cum crescat usus, & non possit satisfaci magnitudine, ut potè ratione impotentia instrumenti eam non potest apponere, ne cessum est ut apponat frequentiam, & crebritatem, & non raritatem: nam cum calor irritet & alio modo non possit facultas satisfacere, ideo in paraphrenitide ex inflam-

matione septi, respiratione est parva & frequens.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T VII.

*Quid sit advertentia, & in quibus actionibus habeat locum.*

**R**IMÒ in hac re supponere oportet, quod in actionibus animae sensitivæ quæ cognoscitivæ sunt, & ex appetitu animali procedunt, ita esse necessariam advertentiam, ut defectu illius, aut cesset actio, aut minuatur: sed constat ex Hippoc. 2. apb. text. 6. dicente, *Quicunque aliqua parte corporis dolente, dolorem non sentiunt, his mens agrotat.* Quod ex eo est quia ex laesione mentis deficit advertentia; id etiam constat aliis quamplurimis exemplis, in quibus quotidie experimur homines ita diverti circa alias actiones sensitivas, ut circa alias non operentur: constat enim hominem iratum inter argendum, vel aliquo alio negotio, non sentire dolorem in pede, etiamsi pungatur: constat etiam majores dolores apparere noctu quam diu, quia anima noctu ad minus est distracta, & sic magis advertit, sentisque omnia objecta sibi molestantia.

Sed dubium difficiliuum est quid sit hæc advertentia. Circa quod aliqui Philosophi affirmarunt esse actum imaginationis, ratione cuius rapiuntur ad se spiritus in maxima quantitate, ac proinde cum imaginatio operetur, semper quod sensus externi operantur & rapiat ad se spiritus quibus sensus alij debent sentire (nam mediis illis virtus ad motum & sensum communicatur) id est quod ratione imaginationis vehementer remittantur actiones aliorum sensuum. Sed hæc sententia est falsa: nam tantum probat ratione imaginationis avocari spiritus ad intra, ac proinde solum sensus externi operationem cessare, ratione operationis imaginationis cum aliis sensibus: sed constat etiam ratione vehementer imaginationis cessare etiam operationes alias sensuum internorum à quibus non retrahuntur spiritus, præsertim in opinione dicentium omnes internas potentias residere in eadem cerebri parte: ergo advertentia non consistit in cooperatione imaginationis causante prædictam retractionem.

Secundò, quia constat aliquem tantam habere divertentiam inter argendum, ut dolorem non sentiat in pede, etiamsi pungatur, & tamen movet pedem: sed si non sentiret ob retrocessum spirituum causatum vi imaginationis cooperantis cum alio sensu, etiam non debebat mouere pedem, imò debebat quietem habere in illo, cum eadem virtus sit ad sensum & motum, imò intensior ad motum quam ad sensum: ergo alia est causa divertentie, & non assignata.

Alij verò dixerunt operationes sensuum extenorū fieri in propriis organis, perfici tamen in imaginatione, & sic dum imaginatione non operatur circa operationem alicuius sensus, ejus actio aut non fit, aut non recte

sit; non operari imaginationem cum aliquo sensu externo, est non advertere, & sic advertentia in operatione imaginationis perficiente sensus externos, consistit & divertentia in cessatione imaginationis. Sed hæc sententia non minus claudicat quam præcedens, quia quælibet sensatio externa est independentis ab imaginatione, & habet suum esse ante imaginationem, ita ut habeat rationem causæ producentis speciem in imaginatione actio externa: ergo cum ante imaginationem sit, non perficietur ab illa, ut potè nullam inter ambo dependentiam agnoscimus.

Vallesius tamen affirmavit advertentiam ad imaginationem etiam pertinere, & hanc non solum operari in cerebro, sed in organis sensuum externorum, ac proindè tunc esse divertentiam, cum imaginatio non operatur, ac proindè quando non operatur, non advertit, & sic illatio vel ablata, vel dimuta est.

Sed contra Vallesium militat prima ratio quæ probat contra primam sententiam, scilicet sequi tantum habere locum circa operationes sensuum extenorū, non verò internorū, cum objecta & actus cogitativæ & memoriarum non cadant sub objecto imaginationis, & sic hæc non poterit operari circa illa, ac per consequens ratione imaginationis, non poterit contingere in sensibus internis advertentia.

Sed ut in hac re proprium placitum ostendamus, supponere oportet, ipsam animam concurrens efficiens ad omnes operationes vitales sensitivas & naturales, & non sufficerent potentias: nam aliæ essent separatae, operarentur, quod omnes negant.

Secundò supponendum est virtutem animæ esse finitam & limitatam, ita ut concurrat ad omnes operationes in certo gradu & intensione, ac proindè si intensius quam præ natura debetur concurrit, ad aliquod opus deficiet pro alia operatione; hinc ergo constat advertentiam animæ consistere in concursu, conatu, & efficientia animæ circa aliquam operationem, quo deficiente, anima non advertit, & cessat ipsa actio.

Sed dices contra nos, quia non videtur minui perfectionem unius actionis ex intensione alterius: nam eodem modo se habet ignis respectu suorum effectuum, ac anima: sed ex eo quod ignis calefaciat non minuitur virtus exiccandi, neque quando moveretur localiter sursum, minuitur virtus calefaciendi: ergo eodem modo ex eo quod operationes procedant ab anima, non sequitur ut ex nimia intensione unius remittatur alia, aut auferatur.

Respondetur esse diversam rationem de igne ac de anima; nam ille non concurrat effectivè ad calefaciendum & exiccandum (& idem est de aliis agentibus similibus.) Patet, ex Aristot. lib. de sensu & sensibili, dicente. Ignis non calefacit quatenus ignis, sed quatenus calidus. Unde ignis solum se habet ut sustentans calorem; calor verò ut causa principalis, quia separatus valet calefacere, quod potentia separata ab anima non valet facere, ac proindè cum ignis tanquam efficiens non concurrat, quid mirum ut una actio non re-

mittatur aut auferatur ex intensione alterius, in anima verò cum efficienter concurrat, contrarium evenit.

Sed etiamsi concedamus ignem efficienter concurrens ad calefaciendum & exiccandum, solvit argumentum, aut quod probabilius est, etiam solvit argumentum respectu ipsius ignefactionis qui efficiens ab igne nasci nemo potest negari: nam in actionibus animæ sensitivæ est aliquid à quo possit dividii concursus animæ, nempe à potentias & speciebus, & sic ex intensione unius remittitur altera actio: at verò in ignefactione respectu ignis non est aliquid determinans ex parte agentis, neque dividens ipsum concursum, & ita totus reperitur in qualibet ignefactione.

Sed iterum dices: In igne esse diversas etiam facultates, ut facultas alterandi, & movendi localiter: ergo etiam potest minui actio unius per intensione alterius, sicut in anima diximus.

Ad hoc Responder Petrus Garcia, quod si quando ignis moveretur sursum applicetur stu-pa, non minus aut tardius comburetur, ac si quiesceret, ac proindè non remitti actionem unius per intensione alterius. Quod responsum est cum ipsa conclusione; nam non tribuit disparitatem inter animam & ignem.

Ulterius incidit in primam solutionem ut satisfaciat huic argumento, scilicet ignem non concurrens efficiens, neque ad calorem, neque ad ignefactionem, ac proindè una actio non remittitur ex intensione alterius.

Sed adhuc militat argumentum respectu ipsius caloris, nam non potest negari ipsum concurrens efficiens & principaliter, præcipue in sententia adversariorum: nam si intensè calefacit aliquod passum, ergo non exicabit, quia etiam est finitæ virtutis, sicut anima, ac proindè ex intensione unius actionis debet alia remitti, vel conficio argumentum respectu calefactionis in diversis partibus subjecti: nam si intensè calefacit unam, vel remisè calefaciet alteram, vel non calefaciet: sed quia militat idem argumentum in operationibus animæ vegetativæ in quibus non est advertentia, neque divertentia, sicut in actionibus animæ sensitivæ, ideo quomodo respondeamus ad argumentum de advertentia in ordine ad operationes vegetativas, patet solutio ad præsens.

Dices: si advertentia consistit in concursu & conatu animæ, & non ratione alicujus operationis sensitivæ, quomodo poterit homo subtrahere advertentiam ab aliqua operatione aut illam apponere: nam id quod procedit à substantia animæ, non est in nostra potestate.

Respondetur quod jam actiones vel considerationes circa hæc vel illa objecta sint in nostra potestate quando volumus cessare ab aliqua operatione, intensè cogitamus, vel consideramus aliud objectum; & cum ad prædictam actionem debeat concurrere anima, intensè etiam concurrit, ac proindè cessat ab alia operatione.

Indè infertur quod non quælibet ægritudo mentis sufficit ad hoc ut causa doloris non sentiatur,

*actio circu- sentiatur, sed magna, ita ut valeat auferre  
ca suam concursum animæ requisitum ad sensatio-  
parrem spaci pro nem & ita est manifestum plures phreneticos  
distributa in quibus laesa est imaginatio dolorem senti-  
ilius to- re; indè etiam constat non quemlibet con-  
tius inten- cursum animæ circa aliquam actionem aufer-  
sionis quæ re concursum ejusdem circa aliam, sed inten-  
posset, sim- pediret a. sum valde, qui solùm divertentiam causat.*

*ctionem al- Secundò infero quod ex vehementi sensa-  
cira exter- tione externa non possit impediri actio sen-  
ter par- sūs interni: Et ratio desumitur ex vehemen-  
tem spaci- tia & majori efficacia in operando sensuum  
in circu. externorum; tantam enim habent vim sen-  
ferentia sum sūs interni, ut trahant ad se concursum ani-  
quod nul- ma requisitum ad sensationes externas, non  
lia dixit, verò è contra contingit, nam operationes  
vel vide- extera minoris efficaciae sunt.  
diffi- cile & ad- Ex dictis patet solutio ad secundum du-  
libitum si bium, scilicet in quibus actionibus habeat  
conceda- locum advertentia: Et imprimis constat ex-  
tur. perientia in omnibus actionibus sensitivis  
locum habere. Restat ergo an etiam habeat  
locum in operationibus naturalibus animæ  
vegetativæ, ut sunt nutritio augmentatio &  
generatio. Et quidem videtur partem affir-  
mativam esse veram: nam non minus con-  
currit anima in genere efficientis, ad opera-  
tiones sensitivas quam ad vegetativas: sed  
extante eadem anima applicata, & specie ob-  
jecti præsenti, ex eo quod anima apponat  
majorem conatum circa unam operationem  
sensitivam, deficit pro alia: ergo similiter si  
anima intensius operetur pro coctione exer-  
cenda in ventriculo, deficit pro coctione  
exercenda in venis; aqua enim in omnibus  
actionibus est ratio.*

Sed nobis dicendum est neque ratione in-  
tensionis alicujus operationis sensitivæ, cessare  
animam ab operatione aliqua vegetativa, ne-  
que ratione intensionis alicujus operationis  
vegetativa cessare ab alia vegetativa.

Primum constat, nam alijs in quolibet  
tempore imaginem, vitiabitur coctio, quod  
nullus dixit; si enim aliquod vitiatur, est  
quia deficiunt spiritus & ad aliam partem  
avocantur.

Secundum etiam constat: nam cum pro-  
priè advertere videatur includere cognitio-  
nem, non potest in non cognoscentibus re-  
periri, ac proinde in operationibus vegetati-  
vis advertentia locum non habet.

Sed arguento in contrarium posito po-  
terat quis respondere in sententia probabi-  
lissima dicentium ad omnes operationes ve-  
getativas non requiri diversas potentias, di-  
cendo quod sicut in igne non concessimus  
divertentiam defectu potentia aut speciei di-  
videntis eius operationes, sic etiam non con-  
cedimus divertentiam in operationibus vege-  
tativis defectu dividentis operationem animæ.

Sed dicendum nobis est adhuc respectu di-  
versarum partium nutritionis non reddi suffi-  
cientem causam ad auferendam advertentiam  
in praedictis actionibus: nam quælibet pars  
habet diversum temperamentum à quo anima  
posset dividii, & ponere majorem conatum  
in una parte quam in alia: ergo ratio est nul-  
la. Præterquam quod solutio non habet locum  
in operatione, animæ sensitivæ respectu  
operationis animæ vegetativæ: nam in his

poteſt dividi concursus, ut de se patet: ergo  
in tali caſu poterat deficere vel minui coctio  
propter intensam imaginationem, quod nul-  
lus dixit.

Nos autem dubio Respondemus dicendo  
quod sive ſint diversæ potentiae nutritiva, au-  
gmentativa, & generativa, ſive non, opus  
uniuſ quantumvis intense fiat, non remitte-  
re actionem alterius, quia hujusmodi actus  
ſunt subordinati, ita ut producā ſubstantiā  
per nutritionem, non poterit non produci  
qualitas (ſi forte de novo producitur, & ſic  
opus uniū non remittere opus, vel actionem  
alterius, cum ſint subordinati. Et idem est  
dicendum de operationibus sensitivis subor-  
dinatis. Itaque dubium ſolū procedit quando  
actiones non ſunt subordinatæ, cujusvis  
generis ſunt: cum autem contingat omnes  
operationes naturales animæ vegetativæ eſſe  
subordinatas, quod mirum quod per aug-  
mentum uniū non fit ablato aut diminutio  
alterius.

Unde infero illam diverſitatem potentiarum  
nutritivæ ſive differat à temperamento, ſive  
non, eſſe secundum magis & minus, & eſſe  
unam potentiam secundum continuationem in  
pluribus partibus; ex quo fit ut coctio vel nu-  
tritio uniū partis, non subtrahat requisitum  
ad alias, quia ſunt una actio absolute. Unde  
etiam infertur actum imaginandi vel quælibet  
alium alterius potentia sensitivæ, non  
tollere concursum ad nutritionem, quia haec  
actio eſt inferioris ordinis, ita ut cum minori  
concurſu animæ fiat ex propria natura.

Sed dices: quia videtur in omnibus actioni-  
bus adhuc sensitivis, locum non habere ad-  
vertentiam, quia cuilibet organo eſt anima  
intimè applicata ſe tota, utpote indivisibilis  
eſt, & objectum eſt præſens: cur ergo non ſen-  
titur etiamsi anima eliciat operationem aliam  
sensitivam intenſiori modo; aut quomodo  
poterit apponere majorem conatum ad aliam  
actionem, & non ad hanc quæ non ſentitur,  
poſito quod tota anima ad quamlibet partem  
eſt applicata, quæ principium ex ſe effecti-  
vum, & potens operari eſt.

Respondetur quod cum anima finitæ vir-  
tutis fit, ita pro omnibus operibus viventis  
divisa eſt à natura, vel ab autore naturæ, ut  
omnes operationes eliciat in certo gradu, &  
detur minuta intenſione; unde ſi pro una  
apponit majorem intenſionem quam pro illa  
fuit destinata, deficit pro alia, ac proinde  
defectu alicujus conditionis requisita ad ope-  
randum, deficit ſensatio in alia parte non de-  
fectu agentis ſufficienter approximati: con-  
ditio autem eſt determinatus conatus & con-  
curſus in hac intenſione determinata pro hac  
actione, poſito autem intenſiori quam debetur  
pro natura, ponitur aliiquid ratione cuius  
pro alia actione actu non operatur anima,  
licet pro ea ſit ſufficiens principium ad ope-  
randum, ſcilicet ipsa anima, tamen non ope-  
rabilitus defectu requisiti assignati.

Ratio autem ob quam hoc contingat in  
actionibus sensitivis & non in vegetativis, eſt  
quia sensitivæ ſunt ſubjectæ imperio volun-  
tatis, ita ut ad hoc ut ſentiantur aliquod ob-  
jectum, ſit necessarius actus voluntatis quo  
velimus ceſſare ab intenſione in alia opera-  
tione,

tione, & sentit aliud objectum, quia jam advertit anima; operationes vero vegetativæ cum non sint subjectæ voluntati, vel spontaneæ in brutis, quod idem est, inde est quod respectu illarum non habeat locum advertentia: nam non est in nostra potestate cessare à nutritione intensiori, vel apponere majorem conatum ad hanc aut illam actionem vegetativam, & sic non deficit virtus vel conatus pro alia, ac proinde vel hac solutione, vel alia de subordinatione actionum naturalium animæ vegetativæ argumentum potest solvi.

mat apparere simulacra inter dormiendum ob motum vaporum, & spirituum ad primum sensitivum, nomine autem primi sensitivi intelligit cor. Sed difficile videtur hoc modo insomnia fieri: nam cum species objectorum in spiritibus aut vaporibus subjectentur, & probabilissimum sit in eadem parte plures operationes subjectari, ex eo quod non se impedian, sequitur aperi ex motu spirituum non magis approximari principio unam speciem quam aliam in omnes æqualiter, ac proinde insomnium non fieri magis circa unum objectum quam circa aliud, quod est contra experientiam.

Sed dicendum nobis est ex humoribus aut vaporibus vi caloris liquantis, elevatis in cerebrum, produci in eo dispositionem & temperiem conducentem pro excitatione hujus speciei potius quam illius. Præterquam quod adeo potest produci species aliquujus specialis objecti: similiter ab Angelo vel à Dæmone potest applicari spiritus in quo sit species aliquujus objecti intense valde representans, ac proinde tunc illius objecti fiet sensatio. Rursus omni causâ extrinsecâ sublatâ per retrocessum spiritum ad primum sensitivum, quod in nostra sententia est cerebrum, & in sententia Aristotelis, est cor, potest fieri sensatio hujus objecti, & non illius, ex eo quod possit habere majorem intentionem in aliqua parte spiritus, quam in ipsa potentia in qua reservata potest esse hæc eadem, vel alia species, ac per consequens fiet insomnium omnibus his causis circa hoc vel illud objectum, & non circa omnia simul, ut probabat argumentum.

Sed maximè dubito quomodo possint species conservari, vel reservari in spiritibus: nam spiritus continuò resolvuntur, & continuò reproducuntur: ergo similiter species quæ in eis conservabantur, perire debent, perirent subjecto, quomodo ergo potest perseverari species in quo sit servata species aliquujus objecti multis annis antecedentibus cogniti, ita ut nunc excitetur ejus cognitio, ut potè jam non possint esse spiritus in quibus fuit servata talis species, ac proinde mihi videtur species in spiritibus non reservari.

Quæret aliquis quæ sit causa ut frequenter contingat insomnium circa rem vel objectum de quo paulò anteà præmanibus habuerimus, licet multoties contingat insomnium fieri circa objectum multis annis anteà cognitum.

Respondeo illius objecti causam esse insomnium, cuius species efficacius excitetur: potest autem contingere efficacius excitari speciem objecti antiquitus cogniti, & non alterius, cuius cognitione fuit paulò anteà: si tamen accedit dispositio corporalis, hoc est temperamentum conducens magis pro hac specie excitanda, quam pro illa, simul cum cognitione recenti, tunc quia temperies conductit pro cognitione objecti recenter cogniti, sine dubio excitabitur ejus cognitione.

Sed quæret aliquis an sicut propter vehementem motum in aqua nullam suscipit figuram quæ videri possit, ita etiam propter vehementem motum spiritum aut vaporum, nullum etiam sequatur insomnium. Et dicendum

## C A P U T VIII.

### *De insomniis turbulentiis & plenis imaginibus.*

R A T E R alia signa quæ in laborantibus phrenitide solent contingere, aut ad hanc affectionem præcedere, nullo examine indiget, neque inquisitione, præter id quod de insomniis dicitur, ac proinde de eis in præsenti agere decrevimus, ut completam hujus affectus notitiam habeamus. Et quidem supponere oportet insomnium nihil aliud esse quam illud phantasma, aut apparitionem illam, vel chimaram quæ inter dormiendum, vel in somno fit & repræsentatur. Hoc autem non ad sensum externum, sed ad internum, & in nobis quodammodo ad intellectum pertinet, ex eo quod inter dormiendum sensus interni magis vel minus ligantur: hoc autem contingit ex D. Thoma propter dispositionem vaporum; nam quando vapores multi fuerint, ligantur non solum sensus, sed etiam imaginatio, ita ut tunc nullum phantasma seu insomnium fiat: si vero aliquantò remissiores vapores fiant, apparent phantasmata distorta, & inordinata; si autem motus vaporum modicus, non solum imaginatio manet libera, sed & sensus communis ex parte, ita ut quodammodo judicet inter dormiendum illa quæ vident somnia esse. Unde clare constat quod cum inter dormiendum operetur multoties imaginativa, vel aliæ potentiae internæ, necessariò insomnia quæ actiones harum potentiarum sunt, inter veras & reales operationes debent numerari, non minus ac quando in vigilia operationes à prædictis potentias eliciuntur.

Sed dubitabis cuius sensus interni sit insomnium operatio, & dico, quod licet frequenter sit imaginationis operatio, tamen potest esse operatio memorie absque potentia imaginativa: nam si in vigilia independenter ab illa operatur, cur inter dormiendum non operabitur, per species suas reservatas: similiter licet cogitativa sine imaginatione non possit operari, ex eo quod non habeat illa species reservatas, tamen non est dubium quin simul cum imaginativa insomnium multoties causet, ita ut hoc illius sit etiam operatio, nempe potentia cogitativa.

Sed difficile est assignare quomodo hæc insomnia contingent: nam Aristoteles affir-

dum nobis est etiam in qua non sufficere vehementem ejus motum ut objecta non percipientur, sed ex eo in aqua non videri, vel quia nimiam densitatem comparat, vel quia ratione motus quædam partes aquæ sunt eminentes, quædam verò deprimuntur, & sic vario modo comparatur figura objecti, & species visibilis modificatur, ità ut producat speciem in oculo multò diversæ figuræ ac objectum producit speciem in ipsa aqua, & tunc appareat objectum distortum. Sic ergo dicimus non cessare insomnia in cerebro præcisè per motum spirituum aut vaporum, sed ex eo quod ratione motus spiritus non approximentur sufficienter cerebro, & ità non producant in eo qualitatem requisitam ad operandum, & sic cesset actio insomniæ, aut quia ità vapores miscentur cum spiritibus, ut propter parvitatem non producant effectum in intensione requisita.

Similiter propter prædictum motum possunt accedere spiritus qui habeant species diversas majoris intensionis, & excitant cerebrum ad operandum & ratione motus hujusmodi species possunt mutari figuram & proportionem, & sic apparebunt insomnia distorta & monstruosa: hoc autem debet intelligi quando vapores non ità vehementer moventur, sicut quando insomnia auferunt, sed quando ità moventur, ut neque separent spiritus à cerebro, neque tollunt continuitatem, faciunt tamen varietatem figuræ.


non sint. Dixi in eis reperiri perfectam imaginationem, & cæteras internas potentias, non quia in pueris cum omni perfectione elicantur operationes sensuum internorum, sed quia verè in eis sunt tales potentiae, & verè operantur, quod sufficit, ut etiam inter dormiendum operentur, ac per consequens sufficiet ad hoc ut in eis insomnia inveniantur.

Aristoteles tamen non negavit insomnia, quia in pueris non essent, sed quia maximè obscura & vix apparentia sunt, propter multitudinem humorum, & propter hebetem dispositionem organorum: aut ait quod non somnient, ità ut memoriam illorum servent; nam paulò infra ait Aristoteles, *Somniare eos constat, sed serò meminisse possunt imaginum.* Quibus verbis clare constat insomnia pueris absolutè non negasse.



## DISPUTATIO IX.

### *De alijs Tumoribus cerebri.*



## CAPUT PRIMVM.

### *De cerebri inflammatione, & an illam possit pati.*



U m phrenitis frequenter fiat affecta tenui meninge, vel membranâ, potius quam substantiâ cerebri, quia ex bilioso humore procedit, inflammatio verò ad substantiam cerebri pertinet frequentius, nam sit ex sanguine qui crassior est bile, idè speiale caput de inflammatione cerebri posuit: nam cum pars affecta inflammationis sit cerebri substantia, & in phrenite frequenter sit tenuis membrana, ratione diversæ partis affectæ posuit peculiare caput, non quia possit esse inflammatio, quin sit delirium, & vera phrenitis, ut alij dixerunt: nam ratione inflammationis videtur difficilè quod malum cerebro non communicetur, imò est necessarium communicari, ac proindè delirium fieri, dummodò inflammatio non sit in crassa meninge à qua malum non ità frequenter communicatur cerebro, sicut neque in fractura cranij, & sic non mirum hujusmodi affectionibus laborantibus in prædictis partibus, non delirant.

Sed dubium est an substantia cerebri possit pati veram inflammationem? Et partem affirmativam tanquam veram sustinemus: nam in substantia cerebri sunt venæ licet parvæ, mediis quibus potest ad porositates confluere humor (sanguis scilicet tenuis, à quo semper inflammatio in substantia cerebri sit,) ergo tunc causabit tumorem. Secundò quia cerebrum nutritur & augetur; ergo ejus substantia potest extendi, & adquirere majorem locum: ergo ex hac parte non implicat exten-

## CAPUT IX.

### *An homo solus somniet in qua-vis etate, an etiam alia animalia.*

**Q**UOD non solus homo somniet, vel insomnium habeat, dixit Arist. l.4. de *Hist. animalium*, ubi affirmat quod non solum homines, verùm & canes, equos & boves, & capras, & omne genus quadrupedum: idque constat ex latratu canis inter dormiendum; constat etiam quia hujusmodi animalia dormiunt & habent sensus internos qui in somno possunt operari, & alias conservant species in absentia objectorum; indè est quod in eis possit esse insomnium; & quantumvis non servarent species, essent insomnia respectu illorum objectorum quæ initium transmutationis habent respectu sensus externi, ac proindè in illis animalibus, in quibus perfecta imaginatio non est, vel non servant species, in absentia objectorum, ità ut circa absentia possint versari, insomnium non reperitur secundum probabiliorem sententiam: nam si imaginatio non potest versari nisi circa objectum exterius præsens, quomodò inter dormiendum circa aliquod objectum erit insomnium.

Circa secundum dubium, an in pueris insomnia inveniantur, breviter dicendum est cum Avic. in illis insomnia esse; nam in illis perfecta imaginatio, & cæteræ potentiae internæ inveniuntur, ac proindè inter dormiendum possunt operari circa objecta absentia, non ergo est ratio cur in eis insomnia

di, & tumorem pati. Denique quia quælibet pars quæ nutritur, per congestionem potest tumorem pati, si non commutet tantum alimentum quantum ab ipsa parte trahitur; sed cerebrum nutritur; ergo etiam per congestionem tumorem pati potest.


Signa hujus affectionis non sunt silentio prætermittenda; nam cùm sit quædam species apoplexiæ in qua cerebrum est inflammatum, primum signum ad hujusmodi affectus distinguendos est febris quæ in inflammatione de qua loquimur, reperitur, & non in alia: nam cùm non putrefiat humor causans illam speciem apoplexiæ, non erit febris, sed de hoc proprio capite dicemus ex professo: etiam distinguntur ex privatione sensus & motus, & difficultate respirandi, quod totum in apoplexia, & non in phrenitide contingit. Signum autem ad distinguendam veram phrenitidem quæ sit citra inflammationem cerebri ab illa quæ sit cum vera inflammatione, est quod illa conjugitur cum delirio, sensus tamen non sunt amissi neque motus, in hac verò quæ sit ex inflammatione vera cerebri, ità ut ex illa ad mortificationem perveniat, amittuntur sensus & motus.

## C A P V T II.

*De Erysipelate cerebri, & an possit pati scirrum.*

**N**O n est nostrum in præsenti disputare de essentia erysipelatis, & an possit sine tumore reperiiri, quia ad hoc institutum non spectat; satis est scire ex bilioso humore hanc cerebri affectionem excitari quæ erysipelas dicitur: nam quantumvis mollis sit substantia cerebri & laxa, videturque citò defluere bilem, tamen non repugnat confluere & dictam affectionem causare, licet non tam frequenter, sicut in pulmone. Indè etiam fit non solum inflammationem & erysipelatem, sed etiam cedematosum tumorem posse pati cerebrum: neque est cur à pituita substantia cerebri non possit tumore affici, imò affectio valdè familiaris est illi.

Sed de scirho apparet difficilius, tamen dicendum nobis est non esse omnino negandum; nam sicut sanguis confluit ex aliqua parte in cerebrum, cur humor melancholicus, non potest fluere. Tum etiam quia ex communi Medicorum sententia constat quod oris inflammatione in aliqua parte, si Medicus utatur remedii valde intè resolventibus fieri scirrum, ità ut tenue resolvatur, & crassum permaneat: sed cerebrum potest inflammationem pati: ergo si utamur remedii intè resolventibus, permanebit crassum scirrum faciens.



## DISPUTATIO X.

*De Lethargo.*

### C A P U T P R I M U M.

*In qua distemperie consistat essentia Lethargi.*



**O**N S T A T E X dictis essentiam lethargi non consistere in tumore, aut inflammatione, sed in distemperie cum materia à pituita in cerebro putrescente; dubitamus nūc quænam sit hæc distemperies in qua lethargi essentia consistit. Et quidem videtur consistere in distemperie frigida & humida. Et ratione probatur: nam phrenitis & lethargus sunt affectiones contrariae: sed essentia phrenitidis consistit in distemperie calida & secca: ergo essentia lethargi debet consistere in distemperie frigida & humida; Contrariorum enim eadem est ratio. Secundò, quia symptomata pathognomonica sequuntur essentiam morbi: sed symptomata quæ inventiuntur in lethargo sunt insensibilitas, immobilitas & torpor in actionibus, quæ distemperiem frigidam denotant: ergo in illa essentia lethargi consistere debet. Quod autem in distemperie humida etiam consistat probatur ex Gal. 2. apb. comm. 3. ubi ait. *Somnos fieri refrigerato cerebro: si autem conjugatur humiditas, lethargicas parit affectiones.* Quibus verbis clarè intentum constat.

Sed nihilominus nobis dicendum est lethargi essentiam in calida & humida distemperie consistere. Quod in humida constat satis constat ex autoritate Galen. *suprà relata.* Quod autem in calida etiam (de qua est præcipua difficultas,) ratione probatur, quia in lethargo est febris continua excitata ex pituita putrescente in cerebro: sed calor qui valet febrem licet remissam causare, necessariò valet calefacere præter naturam cerebrum, cùm calefaciat cor quod calidius est (aliás non esset febris) ergo cùm essentia lethargi consistat in distemperie cerebri à pituita ibi putrescente, & nequeat putrescere quin excitetur febris valens calefacere cerebrum præternaturam, in distemperie calida consistet, licet humor à quo fit ante putredinem sit frigidus: quod ad rem nihil facit, & de illo plura testimonia intelligenda, quibus probari videtur in distemperie frigida lethargum consistere.

Sed dices, verum esse in distemperie consistere cum humoribz ibi putrescente, ità ut exciteatur febris; tamen ex hoc non colligitur in distemperie frigida non consistere, quia non putrescit tota pituita quæ est in cerebro: sed pars putrescit & pars servat propriam frigiditatem naturalem à qua cerebrum refrigeratur, neque enim implicat partem pituitæ putreficeri, & partem non, propter maiorem aptitudinem, aut repugnantiam; quo casu non implicante, videtur ad rem responsio: sed contra illam sic insurgo, quia si pars pituitæ putreficit, & pars non, ergo cerebrum secundum diversas partes excitatur

excitatur ad vigiliam ratione caloris illius partis quæ putrefit, & secundum alias excitatur ad somnum ratione refrigerationis productæ à pituita quæ non putrefit; quod licet absolutè non sit absurdum, tamen in lethargica affectione nullus concessit, sed omnes unanimiter fatentur in ea esse somnum præter naturam, & simpliciter.

Alij Respondent totam pituitam quæ est in cerebro non putrefieri, neque parrem ejus, sed potius putrefieri pituitam quæ est in venis à qua excitatur febris, & non calefieri cerebrum à calore febri propter majorem activitatem contrariæ causæ, pituitæ scilicet in cerebro existente sine putredine, ac proindè lethargum in distemperie frigida consistere. Tamen contra sic insurgo, quia tunc solum esset paralethargus, & non lethargus per propriam passionem, de quo est sermo in præsenti, ad quod requiritur febrem oriri ex pituita putrefacente in cerebro, sicut ad veram phrenitidem per propriam passionem requiritur bilis putrefieri in ipso cerebro, & non sufficit putrefieri solum in venis, & febrem facere; nam si hoc contingat, paraphrenitis vocabitur, habebitque symptomata non perpetua, & idem dicendum de lethargo, si febris non causetur à pituita in cerebro putrefacente. Constat ergo ex dictis lethargum consistere in distemperie calida producta à calore putredinali pituitæ, & similiter consistit in humiditate quam habet pituita ex propria natura, & per putredinem quam patitur, illam non amittit, & est intensior humiditate quæ cerebrum constat. Præterquam quod ex molliti pulsus in hac affectione constat humiditas in quia consistit.

Sed licet lethargus curetur remediis calidis & siccis, non idem colligere debemus in frigiditate ejus essentiam consistere; nam tunc curramus sumptuā indicatione à causa, non à morbo: nam cum causa crassitudinem magnam habeat, utimur remediis calidis & siccis, quæ habent vim attenuandi & scindendi, ut potè præstant majorem utilitatem quam ex calida distemperie noxam, etiam aliquam quis imaginetur; unde non satis erit uti acetum frigido capiti imposito quod habet vim scindendi & suam frigiditatem pugnabit contra calorem causæ, quia calor ultra dictam habet aliam utilitatem, scilicet liquefacere & fundere prædictos humores; frigida vero si sola apponenterit, potius magis densarent causam morbi, & per consequens morbus augeretur.

Ad primum argumentum Resp. phrenitidem & lethargum esse affectiones contrarias ex parte causarum dum se habent secundum naturam: nam una causatur à bile quæ calida est & siccata, & alia à pituita quæ frigida est & humida, & ita ob hoc, dicuntur affectiones contrariae: similiter in ratione morbi sunt contrariae partialiter: nam una in distemperie siccata, & alia in distemperie humida consistit.

Ad secundum dicimus omnia symptomata pathognomonica reperi in lethargo sine frigida cerebri distemperie, immo oportet esse calida, ut diximus, si verum est, ut omnes fatentur, unum ex symptomatibus esse febrem continuam: nam ad inducendum somnum profundum & oblivionem, satis est humiditas, licet in hoc habeat primum locum frigiditas.

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

Denique pro fine adverte febrem quæ in lethargo vero propriam passionem reperi, esse remissam, & non intensam, ob quod non potest ita calefacere cerebrum ut causet vigiliæ, etiam si humiditas valeat somnum inducere.

## C A P V T II.

*Decausa lethargi, & de parte affecta.*

**I**R C A primum videtur quod non solum à pituita, sed etiam ab humore melancholico existente in cerebro possit caufari lethargus, quia positâ melancholia in cerebro, ponuntur omnia signa pathognomonica quæ in lethargo reperiuntur: igitur ab illa poterit caufari. Antecedens patet: nam si putrefiat, causabitur febris continua, & si obstruat plurimum, somnus excitat, profundus: nam cum possit obstruendo excitare, vel causare apoplexiæ, non est cur non possit causare somnum qualem in lethargicis reperiuntur, si paulò minus ac in apoplexia obstruat.

Sed nihilominus sententia communis inter Medicos est, lethargum à sola pituita in cerebro putrefacta caufari, & non à melancholia, quia unum ex symptomatibus lethargi est somnus profundus: sed dum melancholia putrefit in cerebro, non est qualitas in ea à qua caufari possit, ut potè licet calor ratione putredinis adquisitus à quo febris possit caufari, tamen est siccitas à qua potius vigilia quam somnus inducet: ergo à melancholia non potest caufari lethargus: si quidem in ea non est qualitas à qua fiat unum ex symptomatibus ejus, scilicet somnus profundus.

Sed dices: quod licet melancholia ratione suæ qualitatis non possit causare somnum profundum, potest tamen suam corporaturam obstruendo ventriculos cerebri, aut tumorem faciendo, ita ut extendatur substantia cerebri versus ventriculos, ac proindè erunt omnia signa pathognomonica lethargi: nam erit febris continua & somnus profundus: quod autem somnus caufatur ratione distemperie, aut ratione obstructionis, nihil facit ut effectus lethargi constituantur.

Respondeatur talenm obstructionem à melancholia factam potius causare, aut apoplexiæ incipientem, aut carum, non autem dicitur lethargum: quod manifeste colligitur ex eo ut affirmat quod in lethargo est pulsus mollis ex Gal. ratione humiditatis, à qua somnus caufatur: at vero si à melancholia fieret somnus profundus & febris, non esset in hoc effectu pulsus mollis, & ita non diceretur lethargus, sed aliud effectus ex dictis, ut latius patebit.

Circa partem affectam in lethargo, nemo dubitat esse cerebrum, cum omnia medicamenta ei applicentur: Sed cum cerebrum plutes habeat partes, restat seire quæ sint partes quæ possint affici in lethargo, & breviter dicendum est substantiam cerebri, ejusque meatus in lethargo affici, non autem membranas: calida & nam cum humor sit viscosus, & membranæ densitatem habeant, non potest ille has pe- situm us

dixi. Et netrare. Et hæc est ratio ob quam plevritis frequenter fit à bile; substantia autem cerebri afficitur in lethargo ratione pororum, nam ob quam rationem non implicat membranas in lethar-

go spurio. Unde qui ponunt potentias restrictas in diversis partibus cerebri; consequenter affirmant in lethargo posteriorem partem cerebri affici, ex eo quod cōstet actionem memoria, nō est r̄ia magis lādi, de quo latius dicemus alibi.

humiditas sufficiens pro somno, cū etiā sit sic citas melancholias. De symptomatibus lethargi, & causis à qua potest remitti, &

sic sōnus ab obstruzione cāsu causabatur, & non ab intemperie; probat eo quod putrefact in parte notabili, & cordi etiā quia proxima.

quādo vī. Sed dices: non esse omnino certum pituita aliqua tam in lethargo putrefactare, ac proinde neque certum in eo esse febrem continuam. Proba- & somnus, tur; nam si esset putredo pituitæ in cerebro, non fieret ac proinde febri potius vigil coma quām lethargus causaretur, utpote ratione caloris ab humidi- fieret vigilia & ratione humiditatis pituitæ ditate. fieret somnus, & ita vicissim fieret utrum retemperie somnus, que, nempē somnus & vigilia: secundum nūs, nam hanc mājus tem- pusrequi-

Sed oppositum est verum, nempē febrem continuam esse symptomata lethargi: nam ratio in oppositum nihil probat; nam febris lethargicorum adēd est remissa, ut ejus calor non sufficiat pro vigilia excitanda; humiditas autem sufficit pro somno: & licet calor aliās sufficeret, in lethargo non sufficit, quia potentior est humiditas quām calor; & sic causabitur somnus ratione humiditatis, & non vigilia, quia nunquam calor lethargicorum vincit humiditatem, & sic illa vi- cissitudo non potest reperiri inter somnum, & vigiliam, ac proinde neque vigil coma, sed lethargus causabitur à pituita in cerebro putrefactante.

Alterum symptomata lethargi erat somnus profundus & perpetuus: ubi adverte perpetuitatem debere intelligi, sicut perpetuitas delirij in phrenitidis per propriam passionem, & non per consensum: nam sicut in illis durat delirium toto tempore quo durat affectus absque eo quod cesset, ita in lethargicis per propriam passionem somnus profundus debet habere eandem perpetuitatem, quod si somnus cesset, causā lethargi permanente, non diceretur lethargus, sed paralethargus, aut lethargus per consensum, & per propriam passionem.

Causatur multoties lethargus post morbos in quibus plures evacuationes subsecutæ sint; debent autem esse evacuationes non omnium humorum, sed humoris biliosi; sic enim manet pituita magis expedita à contra-

rio, & potest lethargum facere: modus autem quo humiditas somnum conciliat, jam est explicatus *suprà*.

Solum restat quod dicamus de actionibus restrictis quæ in lethargo lāduntur. Circa quod imprimis dicendum est, quod si de vero lethargo loquamur, nequit esse actio ablata in eo potentia æstimativer, & solum diminuta actio potentia imaginativæ. Et ratio est, nam lāfio actionum in hoc affectu solum ab humiditate causatur, quia calor febrilis ita remissus est, ut non conduceat pro lāfione in actionibus; sed æstimativa aut ratio exposcit majorem humiditatem ad operandum: ergo majori indiget ut lādatur: non ergo potest esse tanta ut æstimativa auferatur, & imagina- tiva minuatur.

Dices, optimè probare argumentum, non posse lādi æstimativam quin imaginatio lādatur etiam, tamen benè stat ut simul lādantur, & sit actio rationis ablata, & imaginatio diminuta. Ratio est quia non eodem modo ab humiditate lāduntur hæ potentia; nam humiditas lādit rationem, quia eam malè disponit ad operandum, (si sit in excessu; nam alio modo potius conduceat pro ejus operatione) lādit autem imaginacionem in quantum ita disponit organum, ut non possit perfectè conservare species aut secundum totam intentionem, ac proinde benè stat quod ab eodem gradu humiditatis ratio auferatur, & imaginatio minuatur.

Tamen contra est, quia in lethargo non constat lādi imaginationem defectu totali, aut partiali specierum quoad earum intentionem & perfectionem, quia deficiēt malo, lethargici imaginantur sicut anteā; ergo non erat diminuta intensio specierum, alias sine nova productione non poterit refarciri damnum, ac proinde non lādatur imaginatio diverso modo ac ratio, & sic nihil valet, responsio. Et confirmatur, quia in lethargo non semper lāfio memoria fit defectu intentionis specierum; siquidem postquam sanati sunt, recordantur ut anteā; ergo idem debet contingere in imaginatione.

Sed licet non possit aliquo exteriori signo in lethargo vero cognosci an memoria & æstimativa operentur; siquidem nullum tale appareat, nihilominus credendum est, & tan- quo om- quām verum sustinendum actiones earum di- nes potē- minutas esse, quia in lethargicis profundior est somnus quām naturalis, & minus profudus impedi- quām in caro & apoplexia; siquidem lethar- ta, sed gici excitati respondent: ergo sunt potentia sōnus le- horum magis impeditæ quām in somno natu- thargico- rali, & minus quām in caro & apoplexia: sed fundior in his affectibus omnes fatentur ablatas esse quām nā- pādictas actiones: ergo in lethargo in quo turalis, minus impeditæ sunt, non sunt ablatae, sed di- lo debent minutæ; & licet lethargus dicatur ab oblivio- poriori, non tamen à totali necessariò circa ea quæ anteā servabantur.

Unde constat hanc lāfionem actionum à dire, ac solā humiditate procedere, constat etiam proinde hanc lāfionem contingere non solū com- munitato vitio spiritibus animalibus, sed argumēti etiam vitio communicato ipsi cerebro: si- nisi lo- quāmur de illo qui frequenter in cōtingit.

in ipso cerebro, & non in spiritibus, ipsum malum, vel vitium debet necessariò esse communicatum cerebro, & non sufficit tantùm spiritibus communicari prædictum vitium ab humiditate causatum.

## CAPVT IV.

*An inter symptomata lethargi debeatponi delirium perpetuum.*

**D**ARS negativa videtur probati, quia si in lethargo esset delirium perpetuum, cùm ex alia parte sit febris continua, non distingueretur à phrenitide, cuius signa pathognomonica diximus esse febrem continuum & delirium perpetuum. Secundò quia juxta omnes in lethargo est somnus profundus: ergo non est delirium perpetuum. Probatur consequentia inter dormiendum adhuc somno naturali non est opus aliquam potentiam internam operari: ergo neque in somno profundo sicut in lethargo, ac proinde si nulla potentia interna operatur, quomodo potest esse delirium perpetuum qui in depravata actione facultatis regentis consistit.

Sed nihilominus contraria sententia vera est, scilicet in lethargo dari delirium perpetuum, tanquam ejus signum pathognomonicum. Quæ sententia licet poterat confirmari pluribus Gal. & Hippocr. autoritatibus, in quibus cum somno posse compati delirium affirmat; ab eis tamen supersedere decrevi, quia possunt interpretari de quavis mentis alienatione ( quæ in lethargicis reperiri nemo dubitat; cùm præcedenti cap. dixerimus juxta commune placitum in lethargo actiones reætrices memoriae & rationis esse diminutas ) & non de vero delirio, & quia quis apud Petrum Garciam in hac questione potest facilè eorum sensum perquirere.

Sed ut nostram sententiam confirmemus, notare oportet duobus modis delirium reperi in affectis lethargo, aut quia inter dormiendum reverà adest actio depravata, ex eo quod actus potentiae reætricis non cessat omnino sed aliquo modo operatur ita ut cùm depravata possint operari; aut quia inter dormiendum sit dispositio ex qua oriri possit delirium nisi impediatur ab alia causa potentiori; non aliter quam sicut in febre ardentí cui tanquam signum pathognomonicum conjungitur siccitas implacabilis, si conjugatur russis cum ea ex fluxione pituitosa, tunc non erit sitis ratione causæ potentioris suo symptomate obscurante symptoma alterius; sic ergo in lethargo ex eo quod conjugatur causa potentior valens inducere somnum, impeditur delirium, licet sit dispositio in lethargo affectis, ut quoties vi aliqua excitentur à somno, delirent.

Ex quo planè colligitur dupli modo assignato posse defendi delirium perpetuum esse signum pathognomonicum lethargi ( licet non ita intensem sicut in phrenitide) primo modo constat quia in somno potentiae reætrices, non omnino privantur, neque ces-

sant ab actione: ergo cùm aliæ sit calor febrilis ex patredine ortus, quæ conductus pro vigilia & delirio ( in imaginatione tantum quia respectu illius, solum talis calor habet sufficientem intensionem ut depravatè operetur, non verò respectu æstimativæ & memoriae ) necessariò in ipso somno depravatè operabitur aliqua potentia reætrix, & erit delirium. Quod autem sit etiam delirium secundo modo, probatur: lethargici statim ac excitantur à somno, delirant: sed in eo tempore in quo excitantur, non producitur distempores, aut aliquid aliud, quod disponat de novo ad depravatam actionem: ergo antea erat dispositio sufficiens ad delirium, licet impedimentum sit delirium ratione alterius causæ potentioris inducentis somnum.

Alij affirmant delirium quod in lethargo reperitur esse ratione portionis bilis quam simul cum pituita permiscetur, & putrefit in cerebro, ac per consequens ab illo calore acri & mordaci delirium causari, quia major calor causatur à bile putrefacta quam à pituita. Neque ob hoc sequetur esse typhomaniam, quia ad hanc requiruntur æquales portiones bilis & pituitæ, vicissim somnum & vigiliam inducendo. Ratio fundamentalis eorum est, quia cùm in nostro corpore non inveniantur humores sinceri, sed permixti, multò minus in capite, ac proinde non sola pituita facit lethargum exquisitum affirmant.

Sed hæc sententia nobis non probatur, imprimis quia ad delirium in lethargo sufficit calor productus in cerebro ex patredine pituitæ, qui, ut dixi, respectu imaginationis intensior est quam naturalis, ita ut cum eo imaginatio depravatè operetur, non autem memoria & ratio, ut paulò infra dicemus, quia hæ majorem calorem requirunt ut depravatè operentur, ac proinde solum eorum actio est diminuta in lethargicis, ratione humiditatis, ut ex superiori cap. constat, ac proinde idem humor ratione diversarum qualitatum causat somnum & delirium, licet non tam intensem delirium, sicut in phreniticis qui acriori & intensiori calore laborant.

Secundò argumētor contra istam sententiam, quia licet non detur in nostro corpore humor sincerus, & ad caput ascendat aliqua portio bilis, potest tamen non putrefieri bilis, & putrefieri pituita. Et confirmatur quia Gal. concedit tertianam exquisitam quæ ex patredine solius bilis sit, etiamsi in corpore hanc permixtionem humorum concedat: ergo similiter poterit dari lethargus exquisitus ex sola patredine pituitæ: nam aliæ si etiam bilis putrefiat, erit lethargus nothus.

Constat jam ex hac quæstione solam imaginationem in lethargicis depravatè operari ob rationem *supra* tactam, restat jam satisfacere argumentis.

Ad primum respondeo lethargum sufficienter distinguiri à phrenitide per somnum profundum, licet cum eo conveniat in febre continua & delirio perpetuo. Præterquam quod in modo delirij etiam differunt, quia in lethargo est initius.

Ad secundum jam constat posse compati cum somno profundo delirium dupli modo assignato *suprà*.

esse humiditatē ad somnū quām cālōrem lethargicōrū ad vigiliā, certē nihil sequitur contra P. Garc. quia delirium quod satetur esse in lethargo, solum est vel dispositio ad delirandum, vel deliriū, quod compatiatur cum ipso somno, quia scilicet potentia interna non omnino cessant ab actione, ac proinde si aliquo modo sunt ab operari saltim imaginatio.

Symptomata que in typhomania reperiuntur, sunt similia per partē cipationē lethargo & phrenicidi: ergo & morbus est aggregatum & non unum, per participatio- nē tamen cum di- afferitibus.

## DISPUTATIO XI.

### De Typhomania sive vigili comate.

#### CAPUT PRIMUM.

Quare ita dicatur, & quis affectus sit.



**T**YPHOMANIA seu vigila coma dicitur, quia in ipsa duplex contrarium symptomata invenitur, somnus scilicet & vigilia: itaque patiens leviter in somnum deducitur, & statim ad vigiliam retroreditur, ita ut neque perfectè dormire, neque vigilare valeat.

Sed dubium in praesenti est, an typhomania sit media affectio inter lethargum & phrenitidem per abnegationem extremorum, vel per participationem: circa quod ex Gal. habemus typhomaniam esse medium affectum per participationem extremorum, ita ut participet naturam phrenitidis & lethargi, taliter ut ex utroque non unus per se morbus resultet; sed potius aggregatum quoddam ex duplice morbo. Et probatur ratione, quia causatur à duplice causa realiter distincta, bile scilicet & pituita; ergo non est unus morbus: siquidem ex parte causæ est una temperies conducens pro somno distincta ab alia quæ simul invenitur conducere pro vigilia, ac proinde cùm sit duplex distempories, etiam erit duplex morbus, ut colligitur ex contrariis symptomatis; non ergo est una affectio per se, sed potius quædam morborum collectio.

Sed dices cum Gentili, quia ex somno & vigilia simul, non potest resultare hæc affectio, probatur, quia somnus est privatio vigilia: sed privatio & habitus non compatiuntur; ergo neque somnus & vigilia.

Respondetur primò in communī sententia, scilicet quod in typhomania non dicitur esse per participationem, ex eo quod simul formaliter sit somnus & vigilia, sed ex eo quod vicissim talia symptomata contingent: nam quandoque in vigili comate dormit, quandoque vigilat ægratus; quapropter utrumque symptomata hæc affectio participare dicuntur.

Vel si mavis secundò responderi potest, somnum & vigiliā in vigili comate simul adesse, taliter quod ægratus remisè vigilet, & remisè dormit, veluti dum manus in somnum incidit, non tamen somnus ipsum totaliter invadit. Et ratio hujus possibilitatis est, quia habitus & privatio in gradibus remissis optimè compatiuntur; sicut enim habitus habet gradus positivos, ita privatio illos privatiuos habet; quasi dicemus, totalis privatio vigiliæ, vel alterius habitus, & ipse habitus non compatiuntur, verum privatio

gradus intensioris & gradus remissus ipsius habitus compatiuntur maximè, sicut lumen remissum cum privatione majoris luminis compati experimus, sic typhomania habet simul remissam vigiliam & privationem intensionis, scilicet somnum in gradu compatiibili. Verum aliquando cùm causa pro somno augeatur vigilia omnino modè vincitur, & cùm deinde causa pro vigilia intendatur, totaliter vigilat: deinde dum pariter existunt causæ, dormit & vigilat simul. Unde constat quænam sit essentia hujus morbi: nam si phrenitis & lethargus sunt morbi temperamenti cum humoribus absque vero humore, aut inflammatione, similiter typhomania erit composita distempories, cum duplice humore putrescente, ac proinde ex distempore phrenitidis & lethargi fit.

#### CAPUT II.

Quæ sint causa typhomanie, & quæ symptomata pathognomonica.

**E**X superiori capite constat pituitam & bilem esse causam typhomanie; quippe quod isti humoris lethargum & phrenitidem causare valent, & typhomania affectio media est per participationem utriusque, ut supra etiam probavimus.

Cum hoc tamen constat has non esse perpetuas causas typhomanie, licet frequentiores sint. Id patet ex Avicen. afferente posse vigil coma fieri ex sanguine & pituita permixtis, *fen. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 1.* quod difficile non est, cùm ex pituita lethargum, & ex sanguine phrenitidem possit fieri, ut ex superioribus disputationibus constat. Galen. verò *lib. 1. prorr. comment. 1.* ex sanguine & bile hanc affectionem otiri docet, taliter quod phrenitis à bile, & lethargus à sanguine nimio originetur ratione humiditatis ejus.

Sed objicies, quia si talis affectus medius potest fieri ex sanguine, etiam lethargus potest fieri ex sanguine: Probatur consequentia, quia fit typhomania à sanguine secundum eam partem quā lethargi essentiam participat: ergo si in typhomania pars participans essentiam lethargi fit ex sanguine, etiam lethargus absolute potest fieri à sanguine; & forsitan melius cùm humiditas sanguinis à siccitate bilis non refrangeretur.

Respondetur non valere consequentiam, potest sanguis causare lethargum quasi participatum, & non simpliciter tale; ergo valet causare lethargum simpliciter, & non participatum; non enim valet, quia ad simplicem lethargum non sufficit somnus qui in vigili comate reperitur, quia in lethargo debet esse necessariò profundus, qui à sanguine causari nequit.

Sed inquires quomodo vicissim valeant talia symptomata contingere in vigili comate. Ad quod dicūt aliqui morbos à quibus dependent vel nascuntur non contrariari, unde non est mirum quod symptomata vicissim eveniāt

& simili inveniantur : dicunt enim lethargum esse morbum in compositione , quia via obstructionis spiritus non communicantur ad vigiliam necessarij , phrenitidem vero esse morbum in distemperie , qui morbi inter se non opponuntur , & ita eorum symptomata vicissim & simul existere possunt.

Sed haec sententia falsa est , cum supra probavimus lethargi essentialiam essentialiter in distemperie , & non in compositione consistere. Unde etiamsi tales morbi in distemperie consistant , ut nos fatemur , non sequitur contrariari , cum eorum symptomata in gradibus remissis non contrariantur.

Nos tamen dicimus tales morbos in eadem parte exquisita adesse posse , cum unus correspondens lethargo ab humiditate causetur , alter a calore , & sic ipsorum symptomata modo supra dicto compati judicamus.


Nota tamen quod qualitates istae quamquam in gradibus intensis compatiantur , cum non sint ejusdem contrarietatis , tamen quantum ad suos effectus secundarios , scilicet somnum & vigiliam , in gradibus intensis non compatiantur ; sit enim quandoque mutuus excessus unius , vel alterius , quatenus humor diversus ad cerebrum vel praeceps per immitationem qualitatum.

Advertere tamen oportet quod si ad natum & symptomata hujus affectus attendamus , a solo sanguine causari potest calido & humido , ita ut ratione putredinis tantum subeat calorem ut delirium excitet & vigiliam ; aucta tamen humiditate obscuretur vigilia , & fiat affectio media ; tamen in hac re dicere etiam possumus typhomaniam duplarem causam connotare essentialiter , utrumque enim est probabile , & sic inclina ad partem quam malueris.

Ex dictis patet somnum & vigiliam esse symptomata hujus affectus , nunc dubitatur an febris continua etiam sit necessaria ; & duplamente inquiritur primo an possint dari praedicta symptomata sine febre ? Ad quod dico optimè posse causari a qualitatibus , naturalibus humorum , tamen talis affectio non erit typhomania. Et probatur quia haec est affectio media inter lethargum & phrenitidem ; cum vero in his necessariò febris resperiatur , & putridus humor essentialiter connotetur , inde est quod vigil coma ad hoc ut sit particeps utriusque affectus , humorum putridum , & consequenter febrem continua habere debet.


Secundo inquiritur an possit dari praeditus affectus qui jure typhomania sit , sine febre continua. Cui quæsito satisfacit ratio nuper data probans non dari sine febre continua.

Ultimò in hoc capite verti solet in dubium , an typhomania sit periculosior lethargo , & videtur quod sic , quia pituita ratione bilis permixta , magis penetrat substantiam cerebri : Nos tamen dicimus oppositum , quia non est necessarium in phrenitide , neque in lethargo pituitam , neque bilem substantiam cerebri penetrare : ergo neque in typhomania.



## DISPUTATIO XII.

### De Caro.



### CAPUT PRIMVM.

*Quid sit Carus , & in quo differat ab aliis affectionibus soporosis.*



A R U S verus sic definitur vel describitur , Est somnus profundus sine febre & sine lesione respirationis , causâ afficiente anteriores cerebri ventriculos , cum resolutione imaginationis. Haec definitio data est per diversa symptomata quibus carus ab aliis affectionibus discrepat : nam differt a lethargo , quia in caro somnus est magis profundus , ita ut eo laborantes licet pungantur , neque loquantur , neque oculos aperiunt , etiamsi aliquantulum sentiant : differunt etiam quia in lethargo semper adest febris continua , eam enim exigit essentialiter , & in caro si aliquando est febris , non quia per se requiratur ad talem affectum , sed ex accidenti.

Sed videtur quod carus essentialiter requirat febrem continuam , ex Paulo lib. 3. cap. 9. dum ait , *Quod carum febris semper præcedit , lethargum sequitur* : ergo.

Respondetur ibi non locutum fuisse de caro secundum se , sed de illo quod advenit post febrium vigores , ad quem febris antecedit : hoc tamen est per accidens , & non ratione cari : nam in quolibet caro hoc reperiatur , at vero lethargus antecedit febrem , quia est causa illius , utpote materia putrida & calida distemperies præcedunt , et si febris facta reperiatur , ab ipso lethargo conservatur , quia illam exposcit essentialiter.

Inter symptomata quæ in definitione cari reperiuntur & explicantur , ponitur illa respiratione , quod an verum sit , non caret difficultate : nam aliqui dicunt in caro nullo modo laedi , quod probant ex Gal. 4. de locis c. 2. & ex Avicen. cap. de subeth. Et ratione probant , quia si in hoc affectu esset laesa respiratione non esset cur distinguetur ab apoplexia , quia in utroque affectu est defectus sensus , & motus : ergo solùm per respirationem differunt : atqui in apoplexia maximè laeduntur , ergo in caro non laeduntur ; nam alias non differret ab apoplexia.

Alij oppositum asserunt , quod habent ex Gal. 5. de locis , cap. 2. & probant ratione , quia laeso principio operationis , & operatio laeditur : sed in caro est laesum principium respirationis , videlicet cerebrum , ergo & ipsa respiratione debet laedi necessariò.


Ad hoc responderet Vallesius , in caro respirationem non laedi , quia non adest obstrutio in substantia cerebri , sed solùm in ventriculis anterioribus ejus. At vero in apoplexia oppositum

oppositum contingit, quia obstructio in ipsa cerebri substantia persistit. Sed haec ratio est infirma, quia non est necessarium quod spiritus prius communicentur substantiae cerebri quam thoraci: sed immediatè possunt mitti spinali medullæ ad thoracem, ac proinde nihil impedit obstructio substantiae cerebri, ad hoc ut communicetur virtus ad motum thoracis requisitum ad respirationem.

Alij autem dixerunt ex eo non contingere laesionem respirationis in caro, quia in eo solum afficitur anterior ventriculus à quo vis sentiendi communicatur: at in apoplexia etiam posterior pars cerebri obstruitur à qua communicatur vis movendi quam deficiente thorax non potest expedite moveri: & sic in apoplexia quia haec virtus non communicatur, est laesa respiratio, in caro autem, non quia posterior pars cerebri illæsa manet, & sic thoraci virtus ad motum potest communicari. Sed haec evasio omnino falsa est, quia secundum Galenum in epilepsia omnes ventriculi cerebri patiuntur, & tamen in ea non est laesa respiratio, ergo non ex eo quod in apoplexia ventriculi posteriores patientur, respiratio laeditur.

Nos autem affirmamus in caro non omnino manere illæsam respirationem. Et probatur quia somnus cari est profundior quam naturalis, & tamen in somno intenso naturali laeditur aliquo modo respiratio, ut experientia constat: ergo multo melius in caro qui somnum profundum & præternaturalm conjunctum habet. Et confirmatur, quia in caro procedente ex nimia consumptione spirituum, necessario laeditur respiratio, cum usus regenerandi eos sit auctus, & facultas debilis; ergo carus aliquam laesionem in respiratione dicit.

Ex quo patet quo modo sit interpretandus Galen, nam dum laesionem negat, loquitur non absolute, sed comparatione factâ ad apoplexiā, quia in ista adeò est magna, ut ægroti suffocati pereant; at in caro hoc nullo modo valet contingere, & sic respectivè debet intelligi illa particula definitionis, in qua dicimus *sine laesione respirationis*, id est non est illa quæ in apoplexia invenitur; dum verò asserunt Autores laisionem reperiri in caro, debent intelligi de remissa comparative ad apoplexiā.



## C A P U T II.

*Quæ sit pars affecta in Caro, & quæ actiones in ipso laesa patientur.*

**L**X lazione actionum quæ in caro experimur, planè cognoscimus partem affectam in eo esse cerebrum; & cum actiones partis anterioris cerebri magis laedantur, facile colligimus partem cerebri anteriorem, præcipue in hoc affectu pati. Et probatur, quia in caro visus & auditus magis laeduntur, & sensibilius: sed virtus ad operandum tales sensus, mittitur à ventricu-

lis anterioribus: ergo pars anterior præcipue in caro patitur. Et confirmatur, quia si esset in caro pars posterior cerebri magis affecta, esset major laesio in sensu & motu, sed contrarium experimur: ergo.

Secundò quia imaginatio secundum communem sententiam, magis viget in parte anteriori: sed in caro magis laesa appetit imaginatio: ergo ex eo est quia pars anterior cerebri magis patitur. Ex dictis infertur imaginationem in hoc affectu auferri totaliter circa objecta communia, non tamen circa objecta efficaciora, quia haec saltim remissè sentiuntur: patet quia est respiratio, licet aliquo modo laesa, ut cap. præcedenti diximus; sed quomodolibet sit respirato, nequifieri sine sensu tactus: ergo in caro debet esse sensatio & imaginatio illius, saltimi remissa licet objectorum quæ communia sunt, & quæ extra offeruntur nulla sit imaginatio, sed potius ablata remaneat.

Circa secundum quod inquirit quæstio, quæ scilicet actiones laedantur in caro. Et prima sententia Avicen. & aliorum afferentium primariò affici anteriorē cerebri partem, ac proinde primariò imaginatio laeditur, cæteræ verò facultates quæ in reliquo cerebri resident per consensum tantum cum imaginatione laeduntur; quod probant primò ex Gal. lib. 4. de locis cap. 2. ubi dicit, *Cum tota cerebri anterior pars patitur, supremum ventrem consistere necesse est.* Sed totalis consensus solum potest haberi respectu facultatis ibi existentis quæ mens à Gal. nuncupatur: ergo patiuntur cæteræ per consensum. Et ratione probatur, quia aliæ potentias recipiunt species ab imaginatione: ergo si haec laeditur, aliæ etiam debent laedi per consensum & dependentiam quam habent ab imaginatione, quatenus in illas mitti species.

Ulterius quia partes mediae & posteriores cerebri recipiunt spiritus ab anterioribus ventriculis, ut constat ex Gal. & aliis, ergo si tales spiritus non communicantur ratione obstructionis, patiuntur aliæ per consensum quando non recipiunt quod recipere debent qui est modus sympathiæ assignatus.

Sed licet prima ratio posita locum habeat in sententia afferente alias potentias species non conservare, & ita eas ab imaginatione mendicare, tamen respectu memoria non valet argumentum, quia ista servat species in absentia objectorum; ergo non laedetur per consensum, quia ipsas ab imaginatione non recipiat, quia poterit operari cum illis quas habet. Deinde contra secundam rationem argumentor, quia etiamsi verum est quod partes posteriores recipient ab anterioribus, potest contingere quod in ipsis posterioribus sit sufficiens quantitas spirituum ad operandum; ergo in hoc casu non dabitur laesio in aliis potentias, ratione tolerantiae spirituum. Antecedens probatur, quia spiritus generantur per coctionem quæ eadem est & forsitan intensior in parte posteriori; ergo non est necessarium quod prius alteretur materia in prioribus ventriculis; siquidem agens valens producere gradus intensiores valet ad remissos producendos in materia aërea quæ per arterias deferuntur ad cerebrum, & ex vaporibus sanguinis,


& denique ex spiritibus vitalibus animales sunt ; ergo defectu spirituum communicantium à parte anteriori ad partem posteriorem , non potest dari talis consensus.

Ad autoritatem Galeni in qua videtur affirmare dari talem consensum , respondeo quod in illo loco aliter debet intelligi , ac à Contrariis interpretatur , scilicet quod cùm in caro tota anterior pars patiatur , & sub tota anteriori parte medius ventriculus comprehendatur , inde dicit hunc ventriculum consentire , idest simul pati , vel sentire damnum.

Nos tamen dicimus non solum anteriori partem cerebri pati per propriam passionem , verùm etiam posteriorem ; magis verò anteriorem. Quæ sententia est expressa Galen. loco citato ubi dicit. Et in caro quidem anterior pars magis , in apoplexia & morbo comitali utraque pars afficitur : Ergo si dicit quod in caro anterior pars magis patitur , consonum est posteriorem partem etiam aliquo modo pati : quod tamen hoc non sit per propriam passionem non potest probari ; & quod sic contingat patet à posteriori : siquidem omnes actiones internas & externas ferè ablatas experimur : undè deduco carum differre ab apoplexia , quia in ista est major obstructio quam in illo; differt etiam ab epilepsia , quia in hac est humor taliter irritans ad expulsionem , ut fiant motus concussivi.

Sed inquires quo symptomate deprehendatur in caro esse majorem lāsionem in parte anteriori , cùm omnes actiones ablatae videantur.

Respondetur ex eo quod actiones quæ dependent à virtute remissa per nervos ortum habentes , in anteriori parte lādantur magis , ut visus & auditus ; non tamen adeò sicut isti sensus , lāditur motus , qui à posteriori parte originem dicit , unde etiam sit quod quando dicimus in caro esse carentiam sensus & motus , non debet intelligi toto rigore sermonis : nam in apoplexia est major privatio , & tamen non omnino deficit sensus & motus , sed in ea sunt remissæ ; ergo in caro non est omnimoda privatio , licet remissæ inveniantur.



### C A P U T III.

#### De differentiis Cari , & morbo cuiuslibet.

**C**UM Carus plures habeat causas , tot erunt differentiae quot causæ à quibus fieri possit. Primo ergo carus cau- sari potest à frigore intenso , vel humiditate ex eo quod hæ qualitates soporem inducant , rationeque eorum insensibilitas & immobilitas in partibus sequitur , inter eas autem pri- mum locum habet frigiditas , ut constat ex capit. de dolore stupido , & capit. de somno praternaturali. Unde hæc prima species cari in morbo distemperie consistit , non enim est necessarium , quod simul cum di- temperie constitutat frigiditas morbum in-

strumentalem , vel in cavitate vitiata , ex eo quod non tantum frigefaciat , verùm etiam comprimat substantiam cerebri.

Secunda differentia seu species cari est quando ortitur à crassis frigidis & viscosis humoribus & à sanguine , vel ejus vaporibus obstruentibus vias cerebri per quas influxus communicatur ; impedita autem communicatione influxus ad sensum & motum , somnus profundus qui caru dicitur , causatur , sine febre , &c.

Tertia differentia est quando fit ex cerebri aut ventricularum ejus compressione , & tunc certum est esse morbum instrumentalem in cavitate vitiata , & mala conformatio- ne.

Sed posset quis dubitare , quomodo ex compressione cerebri aut ventricularum , hoc est ex mala ejus conformatione carus causetur. Cui satisfacit Vallesius dicendo quod inter cerebrum & duram meningem est quoddam spatum per quod dilatatur , & comprimitur ad expellendas fuligines , & ad attrahendum aërem ne suffocetur calor : cùm verò vi compressionis tale spatum non relinquatur , spiritus in cerebro suffocentur , & ipsius operâ non elicuntur , ut contingit in corde , si impediatur dilatatio & compressio.

Sed licet hæc solutio non præter rationem appareat , facilius respondebitur , si dicamus per compressionem partes cerebri condensari , condensationēque esse indispositionem , quominus à cerebri forma dimanet qualitas secunda quæ in omnes par- tes ad operationes mittitur , & cum qua in omnia animalia officia influit ; itaque facta compressione carus subsequitur ; non enim semper densitas juvat ad operandum , quia hoc solum habet locum respectu vir- tutis formalis , non tamen respectu illius quæ debet dimanare à forma. Quod si etiam affimes ventriculos necessariò pertingere debere ad carum causandum , nullus oppositum suadet , neque ratione , neque expe- rimento.

Quarta & ultima differentia est quando carus contingit ex nimia spirituum resolutione facta ab aliquo ingenti dolore , in qua- cumque parte sit & molestet.

Sed dubium est quomodo ratione doloris corrumpantur spiritus. Et ratio dubitandi est , quia in dolore solum reperitur immutatio realis , immutatio intentionalis , cognitio objecti molestantis , & tandem fuga appetitus , circa tale objectum : sed nullus ex his potest producere dispositio- nem oppositam formæ spirituum & ei in- compassibilem : ergo ratione doloris inge- nitis corruptio spirituum non videtur possi- bilis.

Sed omissis aliis respondendi modis , di- cimus spiritus corrumpi ex eo quod in dolore natura magna vi & impetu movet spiri- tus & sanguinem ad succurrentam partem affectam , quo motu cùm spiritus nimis confricentur , & incalescant , plurimum atte- nuantur & rareficiunt , siveque evolant & cor- rumpuntur à nimio calore cum intensa rati- tate , ex eo quod ad suam formam petant de-

terminatum modum substantiae, & non tantam raritatem; undè eadem currit ratio de spiritu animali & de vitali, cùm uterque agitur & moveatur ratione doloris, vel quia deficientibus vitalibus, solum deficit materia, ex qua animales generantur, ac proinde defectu omnium evenit carus.

Sed dices, quia spiritus habent in febri ardente majorem calorem, & tamen in ea non adest carus; ergo non resolvuntur ob rationem assignatam: nam aliás in febri ardenti ob eandem rationem erit carus.

Respondeatur non solum à calore resolvi, sed ex peculiari dispositione ex parte passi, scilicet spirituum, quae non semper reperitur, & sic in febri ardente licet calor sufficiens reperiatur ad resolutionem nimiam spirituum, tamen quia ex parte eorum est indispositio, ideo non fit eorum resolutio nimia, ac proinde non fit carus; multoties enim à minori calore cum dispositione ex parte spirituum fit major resolutio quae sufficit ad carum. Unde tale symptoma cari quando fit propter dolorem, est symptoma in excretis præternaturam, proceditque ex morbo mediante dolore, tum quia in cerebro est talis morbus per consensum cum parte dolente defectu requisiti, scilicet spirituum, est etiam morbus frigidus consequutus ad spirituum resolutionem: itaque tunc carus non est unus simplex morbus, neque in tali casu carus & somnus à frigore causatur, sed præcisè per defectum spirituum; frigiditas autem quae subsequitur ad talem defectum, per accidens se habet ad somnum & ad cari essentiam.

gere vivens quām perfectiorem esse: constat enim quamplurima imperfectiora esse & per ejus defectum maxima noxa viventi sequitur, ut patet in sensu tactu qui imperfectior omnibus, & tamen maximè necessarius ad respirationem & ad alia opera viventis.

Sed dicit quis adhuc hanc doctrinam non convenire cum his quae dicit Avicen. scilicet Deteriorem esse scissionem quae fit in parte medij ventriculi quam postremi, sed respondet, nam quando ait Avicen. deteriorem esse scissionem, intelligit in ordine ad durationem, quia difficilius sanatur, quando autem dicit Galen. deteriorem esse vulnus in posteriori, intelligit in ordine ad noxam non in ordine ad durationem: nam cùm substantia ventriculi posterioris sit magis solida, & densa quām ventriculi medij, hinc est quod paratio sit hic ad recipiendam fluxionem quām ille. Quod autem major noxa sequatur ex affectione ventriculi posterioris patet: nam ab eo communicatur virtus muscularis deservientibus thoracis motui ad respirationem necessarij.

Circa hanc rem Vallesius fatetur se non invenisse rationem quare Gal. hoc affirmsat: nam non ex ratione curativa; siquidem affecto cerebro semper remedia applicantur anteriori parti. Neque potest colligi ex virtute quae communicatur à diversis partibus cerebri; nam plurimi nervi maximo sensu prædicti oriuntur à parte anteriori. Neque potest colligi ex eo quod sit ventriculus posterior in magis recondito loco; natura enim ea quae perfectiora sunt magis occultat, ut liberentur à molestiis: sed neque meo iudicio, hæc ratio valet, quia experientia conspicimus plures partes ignobilissimas esse in magis recondito loco ob peculiares ejus usus.

Sed ex Galeni sententia nulla appetat ratio nisi sequens, quia juxta ipsius sententiam, ventriculi ampliores sunt imperfectiores, quia alimentum prius conficiunt, & magis imperfectum cum recipiunt, ut constat in ventriculo respectu jecoris, & vasorum magnorum; siquidem ille imperfectior istis est; sed aë inspiratus per nares ex quo spiritus animales generantur, prius recipiatur in anterioribus ventriculis, deinde in medio, & tandem in posteriori: ergo priores sunt imperfectiores, quia ampliores sunt, utpote recipiunt alimentum magis materiale & prius, sicut contingit in ventriculo respectu jecoris & vasorum.

Sed dices diversam esse rationem: nam ventriculus imperfectior est jecore, quia substantiam imperfectiorem producit, non quia amplior sit & prius, & magis materiale recipiat alimentum.

Respondeatur in coctione etiam esse gradus intensiores, & remissiores, & cùm in posteriori ventriculo sit consummata coctio, & intensior quām in prioribus, inde est quod dicatur perfectior, etiam quia attinet gradum intensiorem & perfectiorem coctionis.

Unde ad rationem contra nos primò possumus dicimus, non esse omnino certum rationem esse in ventriculo medio, & licet id concedamus,

## CAPUT IV.


### *Quis cerebri ventriculus sit perfectior.*

**R**ACTIONE videtur probari medium ventriculum cerebri esse perfectiorem quae sic se habet: nam illa pars est perfectior cuius facultas & actio perfectior est, sed in ventriculo medio inest facultas quae dicitur ratio, vel ad minus in eo magis viget: ergo ex eo est quia perfectior ventriculus est.

Vera tamen est sententia Galen. afferentis partem seu ventriculum posteriorem cerebri esse perfectiorem; constat autem hæc veritas ex Gal. testimonio lib. 3. de locis, cap. 7. ubi dicit, *Ac primum ipsum instrumentum tum in sensibilibus actionibus omnibus, tum in his, quæ à consilio & voluntate prodeunt, spiritum esse qui in ipsius ventriculis, maximèque in postremo continetur: quamvis non contemnendus sit medius ventriculus.* Quam sententiam amplectuntur Vallesius & Vega. Sed dubium est in reddenda ratione ob quam ventriculus posterior sit perfectior: nam alij dicunt ideo esse perfectiorem, quia vulnere existente in illo, major noxa sequitur viventi: sed ex hoc tantum colligitur magis eo indi-


concedamus, non est etiam certum rationem esse perfectioremem memoriam, quæ magis viget in posteriori parte, ut constat ex S. Thoma concedente modum operandi discutivum memoriae: tum etiam quia in bruis sunt tot ventriculi cerebri, & unus perfectior alio, & tamen in eis non est ratio ob quam perfectio alicui posset attribui.

Sed tota hæc doctrina potest interpretari, dicendo quod dignitas & perfectio, aut sumitur ex præstantia actionum, & hoc modo ventriculus medius est perfectior, quia in eo magis viget ratio: vel sumitur perfectio ex usu ad vitam necessario, & hoc modo ventriculus posterior est perfectior, quia ab eo communicatur virtus ad motum respiracionis adeo necessarij pro vita.



## DISPUTATIO XIII.

### *De Catoche, & Catalepsi.*



#### CAPUT PRIMVM.

##### *Quid Catochus & Catalepsis.*

**I**CET ex locis Autorum cognoscatur variatio quæ fuit inter eos circa distinctionem catochi & catalepsis; tamen jam commune inter omnes Medicos hujus temporis est catochum & catalepsim unam simplicem affectionem esse, quæ sic definiti potest, *Est morbus secundum partem posteriorem cerebri magis, in quo palpebra oculorum manent aperta, & totum corpus rigidum sine respirandi difficultate, sine febre.*

Sed dubium est an hujusmodi affectione consistat in distemperie frigida & siccata cum humore, ita ut ratione ipsius distemperiei causentur dicta symptomata, an vero talis affectione causetur vi humoris frigidæ & siccæ, non præcisè ratione distemperiei, sed ratione vaporum crassorum obstruentis & distendentis venas & arterias membranarum cerebri, ratione cuius distensionis totum corpus rigidum & tensum, convulsumque appareat, affectis etiam & obstructis ventriculis cerebri.

Circa quod imprimis dicendum nobis est catochum non consistere in distemperie cum materia præcisè ratione distemperiei, ita ut constituat morbum in temperamento frigido & siccō, licet ab humore frigido & siccō, melancholico scilicet frequenter causetur.

Et ratione probatur: nam unum ex symptomatibus catochi somnus profundus est, sed iste non potest causari à frigiditate & siccitate humoris melancholici. Ergo. Minor probatur quia licet frigiditas conducat ad somnum, tamen siccitas humoris melancholici potentior & fortior est ad inducendam vigiliam: ergo in catoche prædictum symptomam non potest causari à frigiditate & sic-

citate humoris melancholici, præcipue in sententia afferentium lethargum ab illo non posse causari attentis primis qualitatibus; nam ratione obstructionis non erat extra rationem dicere somnum profundum ab eo causari, licet hoc modo etiam lethargum non constitut, ut superioribus capitibus dictum habemus.

Dicimus secundò obstructionem constituentem catochum non debere esse præcipue in ventriculis cerebri; sed ex eo quod humor repletat vasa & arterias existentes in membranis, vel meningibus cerebri, easque distendat, talis affectio constituitur. Probatur, quia unū ex symptomatibus pathognomonicis est quod totum corpus tensum, convulsum, rigidumque appareat: sed hoc non potest contingere solùm per obstructionem ventriculorum cerebri: nam major obstruetio ventriculorum est in apoplexia, & tamen hujusmodi symptoma minimè invenitur: ergo non ratione obstructionis ventriculorum, sed ratione humoris replentis prædicta vasa tensio in toto corpore invenitur, ac proinde in prædicta repletione & obstructione vasorum, & non in ventriculorum obstructione præcipue contingit, licet etiam requiratur obstruetio, in ventriculis cerebri, ut paulò post dicemus.

Neque valet dicere tensionem dictam posse caufari à siccitate humoris melancholici, & sic sufficere obstructionem in ventriculis, quia jam probatum est catochum non consistere in distemperie, sed potius esse morbum instrumentalis in cavitate vitiata, sensu dicto.

Dices: si in catoche solùm hujusmodi vasa sunt repleta & distenta, ergo non erit in eo defectus sensus & motus. Patet: nam neque substantia cerebri, neque organa sensuum, neque ventriculi sunt vitiati: ergo cum virtus à substantia cerebri communicetur, neque aliquid istorum deficit, ex repletione illorum vasorum videtur manifeste, neque actiones sensuum internorum, neque virtutem ad sensum & motum deficere, quod symptoma hujus affectionis est.

Respondetur ex illa vasorum repletione ventriculos cerebri etiam affici; nam cum vasa tensionem patientur, etiam ventriculi comprimuntur & fiunt angustiores, destituanturque spiritu animali, & sic est privatio sensus & motus, estque morbus instrumentalis in cavitate vitiata.

Unde colligitur quod licet unum ex symptomatibus catochi sit convulsio, saltim per consensum nervorum & musculorum cum vasis qui per se tensionem patientur, tamen catochus non dicitur convulsio, neque ejus species, quia præter convolutionem dictam addit hic affectus alia symptomata dicta, quibus à convulsione fatis separatur. Unde etiam sit quod quando dixit Gal. catochum à frigiditate & siccitate causari, solū voluit significare humorē à quo frequenter caufatur, esse frigidum & siccum, melancholiam, scilicet, non quia in tali distemperie morbum tamē constituerit; constat enim non posse in corpore tam intensam esse frigiditatem, ut concretionem, seu congelationem faciat in sanguine, quā totum corpus rigidum appareat, ac proinde non

in distemperie, sed in repletione venarum & arteriarum quæ sunt in membranis cerebri præcipue consistit.

## CAPUT II.

*Quanam causa sit ex qua fiat.*

**C**ONVENIUNT Autores frequenter Catochum fieri à melancholia, quod colligit Gal. ex quodam condiscipulo qui continuis vigiliis, studiis, & lucubrationibus (quæ occasiones sunt quæ valent melancholiæ quantitatem augere) in catochum incidit, idque fatentur omnes Medici antiqui & moderni.

Sed hanc sententiam existimat esse falsam Argenterius, quia si catochus ab humore melancholico fit, sequitur non differre à melancholia morbo, aut saltim omnes melancholici catoche laborant, si forte catochus ex alio humore causari potest.

Responderi potest negando sequelam quia melancholia morbus fit ab eodem humore distemperante & obtenebrante spiritus, catochus vero ab eodem humore ventriculos, vel vasa obstruente, ut diximus, & sic sufficienter separantur, licet fiant ab eodem humore.

Tamen rursus contrà dices, quia non potest humor melancholicus esse ita ut obstruat ventriculos, vel vasa, quin etiam distemperet, & spiritus obtenebret: ergo non potest fieri catochus quin fiat melancholia morbus, licet non è contrà, utpotè potest humor esse in parva quantitate quæ sufficiat ad distemperandum & obtenebrandum spiritus, licet non sufficiat ad obstruendum.

Respondeatur quod licet hoc ipso quod sit humor melancholicus sufficiens ad catochum, vel ad obstructionem, sit etiam sufficiens ad distemperandum, & obtenebrandum, tamen tunc non diceretur melancholia morbus, quia cum sit humor valens obstruere, sequuntur symptomata causæ posterioris, & sic non sunt accidentia & effectus melancholiæ morbi, sed tantum catochi, & ita sic solum dicitur affectus. Præterquam quod potest fieri catochus per consensum ex vapore ascendentem ad cerebrum ab aliqua parte cum eo habente communionem, & sic non est dubium quod erit catochus, & non melancholia morbus.

Sed dubitabis an ex alio humore fieri possit præterquam ex melancholia: Et breviter dico etiam posse fieri ex sanguine & ex pituita, quia cum tensio quæ in catoche invenitur necessariò, non causetur vi alterationis primarum qualitatum, sed vi humoris, vel vaporis replentis vasa membranarum cerebri eaque distendentis parum facit quod sanguis & pituita humiditate sua possint laxare, cum obstructio à prædictis humoribus causata sit potentior causa, ut totum corpus rigidum & tensum appareat.

Præterea ratione probatur: nam ex eo ab humore melancholico causatur, quia ipse est valens replere & distendere prædicta va-

sa, ut tensio in toto sequatur & impeditur communicatio ad sensum & motum eo modo quo diximus, & non alteratione facta à primis qualitatibus, ut supra probavimus: sed sanguis & pituita, qua humores crassi sunt eodem modo possunt obstruere repleréque vasa dicta, ut dicta symptomata sequantur, ergo ab illis non minus quam à melancholia catochus potest causari, licet frequenter à melancholia fiat. Unde colligo catochum medium affectionem vocari inter lethargum & phrenitidem, non quia participet naturam utriusque humoris à quo prædicti affectus sunt, sed quia catochus habet accidentia, quibus videtur convenire cum lethargo & phrenitide: nam cum habeant oculos apertos, videntur vigilare, in quo convenient, vel videtur convenire cum phrenitide, in quantum verò immobiles & insensiles, videntur dormire; in quo convenient cum lethargo.

## CAPUT III.

*Quæ sit pars affecta, & quæ symptomata.*

**P**RIMO certum est in hoc dubio cerebrum esse partem affectam ut ex symptomatibus catochi constat; quæ tamen pars cerebri afficiatur scire oportet: & dictum est utramque partem cerebri pati, anteriorem & posteriorem, nam experimur actiones quæ à nervis anterioris partis dependent, vitiari, ut sunt visus & auditus; posterior pars magis patitur in hoc affectu, cum præcipua lœsiō in privatione sensus & motus consistat; constat autem virtutem ad sensum & motum à posteriori parte cerebri communicari: ergo si deficit in hoc affectu, ex eo est quia magis patitur pars posterior.

Unum ex symptomatibus, quæ in catoche reperiuntur, est quod æger habeat oculos apertos. Circa quod sententia fuit aliquorum non esse necessarium semper esse apertos, sed quod æger perseveret eodem modo quo illos habet, dum catoche corrumpitur, ita ut si eos habet apertos maneat aperti, et si eos habeat clausos, maneat clausi. Nos tamen dicimus necessariò oculos in tali affectu debere esse apertos, ex eo quod ratione humoris replentis venas & arterias, membranas cerebri & ejus substantiam, cum quibus musculi oculorum consentiunt, fit quædam contractio in prædictis oculorum musculis, & sic aperti manent necessariò.

Aliud symptomatum est quod in hoc affectu non sit lœsiō in respiratione quod debet intelligi respectivè ad apoplexiā, sicut diximus de Caro *disput. precedenti*. Deinde dicimus non requiri febrem ad catochum quantum ex vi hujus affectus, non quia repugnet febrem complicari cum eo, utpotè non implicat humorē causantem catochum putrefie-

ri, & sic erit febris complicata cum eo, non quia ad naturam prædicti affectus prærequisitur.

Sed dubium est quæ actiones lœdantur in hoc affectu: circa quod communis sententia est, omnes potentias internas ablationem in suis actionibus pati demptâ solâ memoriam, quæ diminutionem patitur.

Hanc sententiam non ratione, sed autoritatibus Gal. probant, verum contra illam proponimus primam conclusionem quæ sic se habet. Si cæteræ potentiae patiuntur ablationem, etiam memoria patitur ablationem. Probatur, quia magis lœditur in hac affectione pars posterior cerebri: sed in hac memoria residet vel magis viget; ergo magis debet lœdi, ac proindè si aliae potentiae ablatae sunt, potiori ratione memoria.

Dices tunc cerebrum ab humore siccо alterari, scilicet à melancholia, cùm verò siccitas pro memoria conducat, antequām ista destruatur, aliae potentiae perduntur.

Sed contrà est, primò quia cap. precedentis probavimus catochum posse fieri à sanguine & pituita: ergo quod ab his causatur, non tenet argumentum. Deinde quia etiam probavimus hunc morbum esse instrumentalem, frustra ergo recurrent Contrarij ad siccitatem, melancholiae. Tertiò quia etiam in contraria sententia convincit quia sicut melancholia cum siccitate priùs lœdet alias potentias, ita cum ratione suæ frigiditatis priùs lœdit memoriam, ac proindè si aliae auferuntur, etiam memoria debet auferri.

Secunda conclusio: In catoche actiones internarum potentiarum non sunt omnino ablatae. Probatur quia in hoc affectu servatur respiratio: sed haec supponit actum imaginationis: ergo iste servatur, ac proindè non sunt omnino ablatae.

Sit tertia conclusio. Quantum est ex natura istius affectus non repugnat tantum esse lœsionem memoriae & aliarum potentiarum, ut possint pati ablationem.

Probatur quia si tantum augeretur lœsio, non transiret iste affectus in aliud; nam si in aliquem, maximè in apoplexiā: sed non transiret: pater, quia etiamsi actiones essent ablatae, esset discriben: nam in catoche esset tensio, & minor difficultas respirandi, in apoplexia verò oppositum contingere.

Sed dices in apoplexia est major causa lœsionis quam in catoche: ergo si in illa sunt actiones ablatae, in isto debent esse diminutæ, quia habent minorem lœsionem quam in apoplexia.

Respondetur verum esse majorem ablationem esse in apoplexia quam in catoche, tamen cum hoc etiam esse verum in utroque affectu actiones dici ablatas medicè, licet non physicè, hoc est, ita remissè fieri actiones in utroque affectu ut ferè insensibiles fiant; tamen intra hoc genus insensibilitatis, ferè optimè compatitur quod in apoplexia sit adhuc major ablatio, quam in catoche, licet adhuc in apoplexia non sint omnino ablatae, quia in ea servatur aliqua respiratio, quæ actum imaginationis eti remissum supponit.

Circa lœsionem sensuum externorum dicimus quod si catochus sit imperfectus, cùm

actiones internæ non lœdantur, neque etiam omnino auferuntur externæ, si verò sit perfectus, omnes sensus externi auferuntur, cùm in eo totaliter deficiat influxus.


Sed dices, sequitur, quod in perfecto catoche respiratio omnino auferatur; nam tensio est causa ut musculi aliarum partium, neque contrahi, neque laxari possint: ergo si hoc est commune toti corpori, etiam musculi deservientes thoraci, omnino motu cœrebunt.

Respondetur quod quando dicimus motum esse ablatum, debet intelligi Medicè loquendo in sensu supra explicato, scilicet quia ferè in omnibus partibus ita exiguis est, ut ferè non sentiatur: cùm verò in thorace adeo naturaliter urgeat finis, magis debet in eo relucere motus. Unde dicius catochum esse periculosorem lethargo, quia in illo magis lœduntur potentiae, licet in isto pulsus sit inæqualis, hoc tamen procedit ex vitio instrumenti: at in catoche est pulsus æqualis, ratione debilitatis facultatis; quod an sit verum in libris de pulsibus, examinandum erit latius.



## DISPUTATIO XIV.

### De Melancholia morbo.



### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit prædictus affectus.*



RÆSENS affectus sicut & plures denominationem sumit à sua causa, scilicet ab humore melancholico, & definitur, *Est delirium sine febre cum metu & tristitia*, ubi per delirium convenit cum phrenitide, & per illa verba *sine febre*, differt ab eo & ab aliis affectionibus; & tandem per ultima verba *cum metu & tristitia*, differt à mania quæ potius est cum audacia & furore, agitatione ac rerum inquisitione. Hunc affectum dixit Gal causati postquam cerebrum extimationem nimiam, scilicet calore & phrenitide fuit corruptum, quod aliqui intelligunt de propria mania quæ ab atra bile generatur, à bile scilicet adusta. Nos tamen aliter intelligimus, scilicet locutum fuisse de propria melancholia morbo; siquidem non fui sufficiens calor in cerebro ad hoc ut intensè humor aduratur pro mania facienda, & sic solum sit melancholia morbus.

Sed nota quod quando in definitione dicimus *sine febre*, non ita debere intelligi ut nunquam possit esse cum illa, utpotè non implicat febrem cum melancholia morbo complicari: dicimus tamen esse sine illa quantum ex vi hujus affectus ad quem illa non requiritur. Ultimò nota hunc affectum causari à propria melancholia nigra, at verò

mania necessariò causatur à bile adusta, ut deinceps patebit.

## C A P U T II.

*Quis morbus sit melancholia, seu in quo essentialiter consistat.*

**C**O M M U N I T E R ferè omnes assertunt hunc morbum in distemperie consistere; dubium est in qua distemperie consistat. Circa quod aliqui affirmarunt consistere in distemperie calida, & probant quia unum ex symptomatibus ejus est deliriū: sed hoc nascitur à calore; ergo in calore consistit. Deinde quia, ut *precedenti capitulo*, diximus, hic affectus causatur precedente astutatione nimia & phrenitide in cerebro: ergo potius in calida distemperie quam frigida consistere debet.

Sed imprimis dicendum est nobis, hujusmodi affectum in calida distemperie non consistere, & probatur; nam si ob aliquid in ea deberet consistere, maximè ob delirium: sed hoc potest etiam caufari à siccitate; ergo non ob hoc in calida distemperie debet consistere. Deinde quia quando datur hic mor-

*Per consensum cum hypochondriis, non hypochondriis multoties hic affectus causatur qui se habet ut causa istius morbi; sed de illo satur qui se habet ut effectus; parum enim interest ratione quod melan-cholia à calore causetur, ad hoc ut ista frigida non sit. Cum verò melan-cholia multoties causetur, nullā praecedenti- munitati distemperie calida in cerebro, & ipsa secun- ab hypochondriis suam naturam frigida sit, non est ratio in cerebrū eventus.*

*est autem Alij tamen affirmarunt in distemperie frigida & secca consistere, non alia ratione nisi rīū quod sumptā à sua causa, à melan-cholia scilicet humor, quæ frigida & secca ex sua natura est, ac proindè effectus debet sapere naturam cau-ſæ. Sed haec sententia partim est vera, quaenam affirmit in distemperie secca consistere, amplectendāque à nobis est, ita ut frigiditas impertinens sit ad talem affectum causandum. Probatur quia delirium solū potest causari à calore & siccitate: sed *suprà* probavimus calorem non esse necessarium: ergo solū delirium in hoc affectu causatur à siccitate, ac proindè in ea distemperie consistit; frigiditas autem necessaria non videtur, quia ut oppositum probat argumentum cum ma- xima astutatione, nimiōque cerebri calore causatur & existit hic affectus; ergo nul-lo modo consistit in frigore, quandoquidem sine illo reperitur.*

Sed inquires an postquam generatus est talis morbus, ipse humor melan-cholicus cerebrum infrigidet: & Respondeo quod si statim absit agens calorem conservans, à pro-pria forma frigiditas dimanabit, & ipse hu-mor cerebrum infrigidabit, qua quidem fri-giditas semper per accidens se habet ad hunc affectum; siccitas verò est illud per quod es-

sentialiter constituitur. Neque valet dicere quod sequitur omnes laborantes marasmo, etiam melan-choliā morbo affici, siquidem intensissimam habent siccitatem, quia etiam si secundum plures partes ita sit, imò major quam in melan-cholia morbo, nihilominus laborantes marasmo tantam siccitatem in cerebro non habent, sicut qui laborant melan-choliā morbo, ac proindè illi hoc affectu non laborant.

Sed dubitabis, an hujusmodi affectus consistat in distemperie cum materia. Cui Respondet Avicen. optimè in nuda distemperie posse reperiri; Galen. autem & cæteri oppositum affirmant. Nobis tamen dicendum est quod si attendamus ad id quod assidue evenit, nunquam reperitur sine materia humorali, vel flatuosa: at verò si metaphysicè loquamur, non implicat à nuda distemperie caufari; nam si aliquod agens externum applicaretur, & produceret in cerebro tantam siccitatem quanta ab humore producitur, non est dubium quin hujusmodi symptomata propria hujus morbi sequerentur, delirium sci-licet & metus & tristitia.

## C A P V T III.

*An metus & tristitia sint symptoma pathognomonica hujus morbi.*


**V**I D E T U R imprimis circa præsens dubium metum & tristitiam non esse symptomata pathognomonica hujus affectus: Et probatur, quia hoc affectu laborantes sœpè per intervalla rident, & latentur; ergo non sunt signa pathognomonica; nam aliàs semper comitantur talem morbum.

Sed his non obstantibus dicendum nobis est cum Hippocrat. & Gal. talia esse signa pathognomonica ut potè in omnibus tali affectu laborantibus inveniuntur, & morbus talis ex sua natura sine illis non est. Quod ut clarius confirmetur, oportet solvere rationem pro contraria parte; nam ab illa nostræ doctrinæ fundamentum & intelligentia dependet: & quidem Respondeo verum esse tali morbo affectos quandoque ridere & latari, hoc tamen non tollit quominus metus & tristitia sint signa pathognomonica ejus: nam ut *suprà* diximus *cap. de Lethargo*, signa essentialia alicujus affectus possunt deficerre ratione conjunctionis alicujus causæ poterioris inducentis contrarium symptomam, ac proindè quando melan-cholici rident & latentur, est quia vapores sanguinis communi-cantur cerebro potentiores ad risum & latitiam causandam quam melan-cholici vapores ad metum & tristitiam; non enim potest causari latitia præcisè per defectum humoris causantem metum & tristitiam; sed requirit necessariò causam positivam, ut sunt vapores sanguinis, ut hujusmodi risus cau-setur.

Sed inquires an quando accedit sanguis ad cerebrum, ita ut valeat disponere ad risum, auferatur morbus melan-cholicus? Respondeo

pondet Petrus Garcia, quod licet plures contingat auferri signa pathognomonica à causa potentiori affectu eodem perseverante cuius signa deficiunt, nihilominus in præsenti casu deficere morbum melancholicum, ex eo quod risus non potest causari, nisi à morbo intrinsecè afficiente partem ipsam, & sic necessarius est humor pro lætitia intrinsecè afficiens partem, & defectus alterius morbi melancholici. Et ratio est quia si adesset actualiter distempries illa in qua melacholia morbus consistit, adesset tempuries quæ requiruntur ad actionem læsam, scilicet ad tristitiam & timorem, ac proinde hujusmodi symptomata non impedirentur, sed experimur deficit; ergo ex eo est quia deficit talis morbus & actualiter non manet. Dicuntur tamen hi melancholici, ex eo quod in cerebro adsit causa potens causare hunc affectum. Sed meo videri, si huic doctrinæ stemus, melius satisfacimus arguento in principio posito, dicendo quod quando est risus & lætitia, non adest actualiter melacholia morbus, & sic nihil mirum quod ejus symptomata non adfint, sed adsint symptomata alterius morbi, vel alterius causæ potentioris ad inducenda diversa & contraria accidentia. Hinc fit quod quando si existente causâ hujus affectus in cerebro, copia sanguinis ad eum deferatur, sequentur accidentia temperiei potentioris vincentis aliam; quod si æqualiter se habeant, neque erit tristitia neque lætitia, sed æger medio modo se habebit.

Sed dubitabis an timor & tristitia sint duæ passiones diversæ. Et dicendum est diversas esse: nam timor versatur circa malum imminens solum sub ratione futuri imminentis; at tristitia circa malum præsens, futurum & præteritum; hîc autem Galen, non agit de his duobus quatenus sunt passiones diversæ, sed in quantum utraque ad interna calorem influentem revocat.



## C A P V T IV.

*Metus & tristitia in melancholicis quæ ratione fiant.*

**G**ALENUS lib. 3. de locis affectis, c. 17. Affirmat timorem & tristitiam in melacholia morbo affectis nasci ex eo quod spiritus ratione humoris obtenebrescunt, & amittunt splendorem sibi connaturalem & debitum, ac proinde causare timorem & tristitiam in nobis, non aliter quam in pueris inducitur timor, ex eo quod sint in loco caliginoso & tenebroso, & in plurimis adductis etiam contingit, nisi audaces & fortes fuerint: ergo similiter color niger melancholice poterit obtenebrire spiritus in cerebro, ita ut ratione illius timor, & tristitia in hoc affectu reperiantur.

Deinde alia ratione à contrario desumpta potest hoc placitum confirmari, quia non alia ratione sanguis lætitiam inducit, nisi ob ejus splendorem, ut patet in delirio facto ex sanguine qui cum risu fit, ergo è contra-

riò ob ablationem splendoris, & obtenebrazione spirituum inducetur tristitia & timor.

Sed hanc opinionem ridet Averroës lib. 2. collect. cap. 4, & ratione sic in eos arguit, quia nigredo, vel obtenebratio spirituum non potest sentiri, ergo non potest conducere ad timorem & tristitiam. Antecedens probo, quia imprimis non à sensibus externis cum non videantur ea quæ sunt intra cerebrum, alias structura capitis videretur: deinde neque ab aliquo sensu interno sentitur, quia iste nihil potest percipere quod non fuerit cognitum ab aliquo sensu externo, & ex alia parte nigredo non est qualitas activa quæ similem possit producere: ergo obtenebratio spirituum nequit esse causa tristitiae in hoc affectu.

Et confirmatur quia hic affectus in distemperie consistit à qua talia symptomata necessariò sequuntur: sed color niger non potest corrumpere prædictam temperiem: ergo neque impedire symptomata, quæ ab ea necessariò nascentur.

Vallesius tamen circa hanc rem affirms talia symptomata non nasci, propter distemperiem frigidam, & sicciam productam ab humore melancholico; nam alias fenes, melacholiæ morbo laborarent cum vi suæ naturalis temperiei sint frigidiores & sicciores, quam juvenes melancholici, quod est contra experientiam. Ulterius dicit colorem illum nigrum non esse causam horum symptomatum, quia sentiatur aliquo sensu interno aut externo, sed quia vitiat instrumentum proprium quo operantur facultates reæctives, scilicet spiritus animales vitiantur, quia natura sua sunt splendidi, & ita per nigredinem recedunt à suo naturali statu & qualitate sibi connaturali.

Sed contra istam sententiam est non leve argumentum, quia si spiritus ex propria forma, & natura habent splendorem; ergo per juxtapositionem, scilicet corporis opaci, ut est melancholia, non poterunt obscurari. Patet in Sole qui per ullam juxtapositionem corporis opaci privatur lumine, potest tamen aët illâ privari, quia eam habet ab alio; Sol autem ex eo non privatur lumine, quia illam habet à se; ergo si spiritus etiam habent lumen à se per juxtapositionem humoris nigri & opaci, non eo privari durante eorum formâ; nam alias si interpositione, vel juxtapositione corporis opaci tolleretur, vel impeditur lumen, spirituum etiam interpositione pituitosi humoris qui crassus & opacus est, evenirent accidentia melancholica, quod est contra communem consensum omnium Medicorum.

Sed poterat ad hoc quis satisfacere dicendo humorem melancholicum non tollere splendorem spirituum solum per juxtapositionem, sed suis qualitatibus humorum melancholicum agere in spiritu, quo sit ut reddantur crassi & opaci, & lumen amittunt, quia non pullulat ab interno principio, propter indipositionem subjecti.

Nobis tamen imprimis Gal. sententia probatur, quia licet concedamus spiritus ex sua natura esse lucidos, tamen Galen. non probat, neque ullus ex Scriptoribus tale lumen esse

esse nervū ut potentiæ rectrices operentur; præfertim cùm totum cerebrum corpus diaphanum non sit, ac proindè non est capax luminis, cùm hæc sit actus perspicui, ut perspicuum est, ex Philosopho, ac proindè quod spiritus priventur lumine in hoc affectu, nihil facit, ut potentia rectrices depravatè operentur, vel laudantur.

Sed poterat quis Respondere dicendo cerebrum in ultima superficie esse diaphanum & susceptivum luminis, & illo potest privari obscuratis spiritibus; tamen contra est, quia indè sequeretur potentias rectrices solum in extrema superficie operari, quod est fatis ridiculum, præcipue cùm pars extima cerebri sit ejusdem rationis cum partibus intimis, & profundioribus & constant omnes eodem temperamento: ergo vel omnes indigent lumine ad operandum, quod jam impugnatum est prima ratione, vel pars superficialis eo non indiger.

Secundò, quia etiam si concedamus totum cerebrum esse capacem luminis, eoque indigere ad operandum necessariò, non ideo debent sequi prædicta symptomata, sed potius defectu luminis actiones rectricum facultatum debent esse ablatae & non depravatae defectu alicujus requisiti necessarij ad operandum, ut patet de lumine in oculo requisito ad visionem necessario, ob cuius defectum non sit visio depravata, sed ablata: ergo eodem modo deberet contingere in laborantibus hoc affectu.

Deindè atra bilis genita ustione est nigri doloris; ergo ratione illius accidentia melancholiæ, hoc est metus & tristitia evenient, & non accidentia maniæ, scilicet audacia, quod est contra communem doctrinam à nobis explicandam.

Alij verò dicunt hujusmodi accidentia ab humore melancolico causari, quia ad hoc ut rectè operetur cerebrum & cor, requiritur certa quantitas spirituum, quæ deficiente depravatè operatur; cùm autem humor melancholicus sit valde terreus & ineptus ad generationem spirituum, deficiunt pro quantitate requisita, & sic tristitia & timor nascitur: nam si sint in maxima quantitate, lætitia nascitur, ob quod ex assumptione vini lætitia nascitur, quia validè conducens est ad spiritum generationem: ergo è contrario materia quæ inepita est ad eorum generationem ad timorem & tristitiam conduceat; ob quod convalescentes & senes valde dispositi ad tristitiam sunt, scilicet propter defectum spiritum.

Sed etiam iste modus dicendi nobis non probatur, quia etiam ex atra bile dicta accidentia acciderent, cùm sit humor ineptus ad spiritum generationem; hoc autem nullus dixit; ergo.

Nobis tamen dicendum est hujusmodi accidentia causari à temperamento producto ab humore melancolico conducenti pro excitatione objectorum tristabilium. Sed quod sit hoc temperamentum à quo talia symptomata eveniant, non est facilè invenire. Circa quod fortassis aliquis poterat affirmare metum & tristitiam non ab alio temperamento quæ à frigido & sicco causari. Cujus ratio

est quia omnia animalia frigida & exsanguia timorosa sunt, ut sunt apes, formicæ, & vermis: ergo ex eo est quia talis temperies conductit pro timore; timorosi enim & tristes frigidi redduntur: ergo his accidentibus temperies connaturalis est frigida & sicca. Neque ex hoc sequitur senes qui frigidi & siccii sunt laborare tali affectu, & prædictis symptomatibus, quia imprimis non habebunt rationem symptomatis, cùm non procedant à morbo, utpote illa temperies connaturalis & debita pro illo statu est; deinde quia jam diximus quod in senibus non refrigerari & exsiccati cerebrum in tanta intensione sicut laborantes melancholiæ, licet sint magis frigidi & siccii, quam in præcedentibus ætibus. Sed cùm dictum à nobis sit *suprà*, frigiditatem impertinenter se habere ad essentiam, hujus affectus & per consequens ad ejus symptomata pathognomonica, dicendum nobis est ab ea non nasci licet aliquantulum disponat ad timorem, quando afficit cor.

Tota autem difficultas stat in eo quod cùm ad has passiones appetitus sit necessarium cognoscere objectum sub peculiari ratione disconvenientis, aut imminentis futuri, aut præteriti &c. Quomodo hoc possit evenire ratione temperamenti; & Respondeo quod ratione peculiaris temperamenti inducti ab humore melancolico excitantur species rerum cōtristabilium & timorosarū, & non aliæ conducentes pro lætitia, quia diversa temperies requirent pro excitatione objecti lætitiantis, ac proindè dum apprehenditur; vel cognoscitur in hoc affectu objectum timorosum excitatum vi talis temperiei; statim moveretur appetitus, & fugit vel timet, & eodem modo redundante in cerebro sanguine disponit ad excitationem specierum lætitiae, sequiturque in appetitu talis passio. Unde infertur quod licet melancolici habeant species objectorum lætitiantium, non possint lætitiam habere, quia apprehendunt, ut disconvenientia vi suæ temperiei.

Sed quæres, quodnam sit hoc temperamentum conductens pro excitatione harum specierum; Et dicimus quod si ad qualitates manifestas recurramus in nostra sententia, cùm dixerimus frigiditatem se habere impertinenter, solum possumus recurrere ad siccitatem quæ sola non videtur sufficiens pro dictis symptomatibus: nam eodem modo sequerentur ab alio humorē siccitatem inducente. Et ita dicendum tale temperamentum reducendum esse ad qualitates occultas, resultaréque ex qualitate humoris, & præexistentibus: quid autem sit non potest exactè à nemine explicari, ac proindè ex certa dispositione & proportione resultare dicendum est.

Concludit Petrus Garcia quod cùm ad has passiones non solum sit opus facultatis sensitivæ actione quæ est in cerebro, sed appetitivæ quæ est in corde, non solum requiritur dispositio ex parte cerebri quæ excitet species, ut diximus, sed etiam ex parte cordis, ita ut facilè sine repugnantia sequantur. Sed mihi, hoc videtur sine ratione, nam licet conductat dispositio ex parte cordis pro his passionibus, non tamen est necessaria, utpote sufficit

sufficit quod apprehendatur objectum, ut disconveniens, ut fuga appetitus statim sequatur, nulla existente dispositione in corde ad id conducente, quia actio appetitus, sequitur tantum ad objectum cognitum, nullo alio posito.

intensa sit, potius faciet maniam; utrumque autem est probabile, & sic viam quam malueris elige.

## CAPUT V.

*A qua causa fiat melancholia morbus.*

**C**OMMUNITER omnes Autores cum Gal. & Avic. afferunt solum ab humore melancholico hunc affectionem posse causari: Et probatur ex Gal. lib. 6. aphorism. comment. 12. dum explicat aphoristicam sententiam sequentem, *Melancholicis & vitio renum laborantibus hemorrhoides supervenientes bonum*, quia per hemorrhoides sanguis crassus & melancholicus evacuatur: ergo sentit in melancholicis humorem similem esse causam praedicti affectus.

Licet autem saepè fiat ex melancholia naturali quæ fæc sanguinis dicitur, tamen etiam fit ab illa cum aliquali unctione, licet exigua: nam si vehementer unctionem patiatur, potius fit mania ex Avicen.

Sed dubium est an etiam hic affectus possit fieri à pituita etiam si non mutetur in humorem nigrum, vel melancholicum. Et dicendum est quod primò ex pituita non fieri hunc morbum, si in statu naturali fit nullo modo alterata. Id paret ex Galeno lib. tertio de locis capite septimo, dicente. *Igitur ea, scilicet epilepsia, quam atrabilis constituit, in melancholiā aliquando transit: quæ verò à pituita parta est, in aliam passionem, de qua paulò post dicturus sum, permittatur, melancholiā verò haudquam efficit.* Quibus verbis id clare demonstrat.

Dico secundò quod si melancholicus humor manifestis qualitatibus facit hunc morbum, & dicta symptomata, etiam à pituita fieri posse aliquantulum alterata, absque eo quod amittat propriam suam formam & in aliud humorem præter naturam mutetur. Probatur: nam pituita potest ratione alterationis adquirere eandem temperiem, ac melancholia quoad manifestas qualitates, siccitatem scilicet, & frigiditatem: ergo si à temperie manifesta sit hujusmodi affectio, non implicat à pituita causari etiam; nam ratione nigredinis, ut jam diximus, nullum accidens sequitur. Qui autem dicunt solum humorem melancholicum causare hanc affectionem, consequenter affirmant non posse pituitam purgare aut unctione adquirere temperiem melancholiae sine mutatione in forma substantiali, ac proinde melancoliā tantum eam causare, sive hæc sit naturalis, sive per unctionem licet remissè genitam; nam si

\*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

**C A P U T VI.**

*Quæ pars sit affecta in hoc morbo, & quæ potentia lœdatur.*



**I**RCA primum breviter dicimus partem affectam esse cerebrum. Et probatur: nam in hoc affectu unum ex ejus symptomatibus est delirium, quod est actio depravata regentis facultatis; ergo illa pars debet esse affecta ubi residet regens facultas: sed hæc residet in cerebro; ergo cerebrum sine dubio est pars affecta. Et confirmatur ex Galeno 6. lib. aphorism. comment. 53. ubi ait. *Fiunt omnes despiciens patiente cerebro, sive primò & per se ipsum, sive per consentiendi rationem.*

Dicit aliquis: ex eo patitur cerebrum quia delirium est actus facultatis existentis & residentis in cerebro: sed similiter timor & tristitia sunt affectiones cordis: nam istæ sunt passiones appetitus residentis in corde, juxta Aristotelem: ergo in hoc affectu etiam debet pati cor.

Sed dicendum nobis est ad hanc affectionem absolutè & simpliciter non esse necessarium cor pati, etiamsi ejus symptomata sint actus appetitus residentis in corde, quia appetitus operatur præcedente cognitione, & secundum rationem obiecti cogniti; ergo hoc ipso quod talis detur quolibet alio secluso, appetitus operabitur, ac proinde sine affectione cordis, timor & tristitia sequentur in melancholicis. Cùm hoc tamen verum est quod ad operandum facile & sine resistentia prædictasque actiones tristitiae & timoris eliciendas, quas in melancholicis experimur, maximè conducere & esse necessariam affectionem cordis, dispositione simili & proportionali his passionibus.

Sed majoris difficultatis est scire cuius facultatis restringis sit lœsio in præsenti affectu: nam cùm metus & tristitia sint ejus symptomata pathognomonica, quæ actus appetitus sunt, & hic presupponat cognitionem lœsam, investigare oportet quæ cognitione necessariò lœdatur ut dicta symptomata & appetitus passiones eveniant. Circa quod varij sunt modi dicendi: nam alij sufficere imaginationem lœdi affirmant, quod probant quamplurimis testimoniiis Galeni & Avicennæ; quos quis voluerit, videat Petrum Garciam *Super hanc affectionem in hoc cap.*

Alij verò solam rationem & estimativam necessariò lœdi affirmant, quod pluribus autoritaribus confirmant, quas quis videre potest loco paulò suprà citato, hancque esse veram sententiam à nobis sustinendam, &

ratione efficacissima probatur, quia timor & tristitia sunt actus appetitus, qui cognitionem læsam necessariò supponit ad operandum: sed non sufficit actio læsa imaginationis. Ergo. Minor probatur, quia actus appetitus supponit objectum apprehensum vel cognitum sub ratione convenientis, aut inconvenientis: sed judicare convenientiam, aut inconvenientiam attinet solum ad æstimativam, cuius est proprius actus: ergo necessariò tales passiones actum depravatum æstimativa se-cuntur. Patet: quia imaginatio non potest componere neque dividere, ac proindè neque judicare an objectum sit convenientis, aut inconvenientis, quod ita necessarium est, ut appetitus operetur, ut hoc ablato non operabitur.

Et confirmatur, quia timor sicut & species est actus postulans opinionem in intellectu; nam species dicitur in ordine ad bonum futurum cum credulitate, & timor est de futuro malo imminentí, quod creditur futurum; hæc autem in nobis sine opinione non sunt, ac proindè actum æstimatoræ necessariò læsum exposunt, ut actio appetitus sequatur; in brutis autem hæc duæ passiones propriae non inveniuntur.

## CAPUT VII.

*Unde contingent peculiaria deliria  
in melancholicis.*

**R**AETER delirium commune omnibus melancholiâ morbo laborantibus, alia quædam peculiaria circa peculiaria objecta reperiuntur: nam plures circa aliqua objecta benè se habent quasi optimâ sanitate fruerentur, circa alia verò errores & deliria in eisdem contingunt, cuius causam in præsenti investigamus. Et ratio difficultatis est, quia cùm in hoc affectu organum sit præternaturaliter dispositum eodem modo circa omnia objecta; non videtur ratio cur læsio contingat circa unum objectum & non circa aliud.

Sed si nostræ doctrinæ stemus *soprà* pluribus in capitibus relatæ, facile erit assignare hujus eventus causam, esse temperiem præternaturam cerebri conducecentem pro excitatione hujus speciei contristabilis, & non alterius ex proportione & sympathia quam habet cum hac specie, & non cum altera: neque mirum est simul cum communis proportione ad cognoscendum objectum sub ratione contristabili etiam esse aliquid peculiare ex parte temperamenti in ordine ad hoc objectum, & non ad aliud ratione alicujus positivi producti in cerebro ad id conducentis, ita ut non sufficiat abesse à cerebro infinitas animæ facultates & dispositiones naturales, sed requiritur contrarias & positivas dispositiones esse introductas, quæ autem hæ sint, & quod temperamen-

tum constituant, jam diximus exactè explicari non posse.

Cæterum cùm videamus tam diversa deliria & modi in ipsis, in prædicto affectu laborantibus, ita ut aliqui arbitrentur se esse gallos, ita ut concutiantur brachiis sicut galli, alij autem dicunt se esse testam, rogantque transentes ne iictu frangant. Alteri sibi persuadent Atlantes esse, & dighito tenent cœlum ne decidat, & tandem alia quamplurima deliriorum genera circa diversitatem objectorum videtur assignari debere ratio ob quam hoc eveniat. Circa quod sententia fuit aliquorum existimantium hujusmodi diversitatem deliriorum evenire & occasionem sumere ex his quæ sensibus externis percipiuntur: nam judicare quis se esse sine capite ob levitatem statu procedit, à qua habet ut moveatur sursum, & sic de aliis. Ratio eorum est quia cùm in his judicium rationis privatum vel depravatum est, judicat anima percepta intra corpus, majora quæ si vera fuissent.

Sed hæc opinio non probatur nobis, quia multoties ea quæ sensibus externis sentiuntur, non solum habent similitudinem cum unica re, sed cum pluribus; constat autem solum esse delirium circa unam rem: ergo alia est causa quare deliria circa hanc rem, & non circa aliam causantur. Deinde, quia licet sensatio externa conduceat plures, & sit occasio ut circa objectum habentis similitudinem cum ea sit delirium, tamen hoc non est necessarium, cùm plures sint deliria absque eo quod percipiantur aliqua per sensus externos, ac proindè ex nostra sententia ratio assignata videtur vera, dicendūque nobis iterum est, quod ideo melancholici in peculiaria deliria incidunt *soprà* assignata, quia peculiariter temperamentum corruptum, vel eversum est proportionaliter operationi circa illud objectum, de quo est error.


## CAPUT VIII.

*An detur melancholia facta à  
Dæmons.*

**O**NSTAT imprimis Deum Optimum Maximum quamplurimes morbos plures causare, sive in pœnam peccatorum, sive ut manifestetur gloria ejus, sive ob alium finem peculiarem, neque ad hoc indiget applicatione alicujus causæ naturalis in cuius virtute effectus continetur, sed ipse solus pro sua voluntate absque alicujus causæ applicatione facere potest, quod ita conspicuum est ut contrarium temerarium & erroneum judicaretur.

Similiter est certum tam Angelos bonos quæ Angelos malos plurimum morborum posse esse causas, quod quæampluribus scripturaræ testimoniis confirmare possumus, quæ brevitas gratiâ omittimus.

Dubium solum stat quâ ratione Angeli mali vel Dæmones id faciant, & dicendum est id solum facere applicando activa passivis, ita ut mirabiles & inauditos effectus experiamur, ex eo quod Dæmones applicant causas naturales cerebro, vel alteri parti corporis, quo sit ut morbi virtute causarum naturalium sequantur, & solum Dæmones dicantur causæ remotæ, quatenus applicant prædictas causas & cognoscunt quæ sunt potentiores, & aliæ si ab illis non applicarentur ordine naturali, non applicarentur: sic ergo post contingere ut humorem melanocholicum deferant ad caput aut vaporem ejus similiter movendos humores ad ventriculos cerebri possunt causare apoplexiā aut epilepsiam, & sic de aliis; neque solum hac ratione, sed comprimendo nervos ne possit spiritus animalis transire; ac proindè hæc est differentia inter Deum & Angelos quod Deus absq[ue] applicatione causarum naturalium potest causare morbos, secūs Angeli.



## C A P V T I X.

*An sint naturalia remedia quibus possit cursari melancholia facta à Dæmone.*

**P**RIMÒ certum est in hoc cap. quod si morbus à deo fiat, sive mediis causis naturalibus, sive sine illis, nullatenus posse curari causis naturalibus eo remuente, utpote per subtractionem concursus Dei cessat actio omnium causarum naturalium, ac proindè non possunt operari Deo renuente. Dubium ergo præsens tantum procedit quando morbus producitur ab Angelo bono vel à Dæmone mediis causis naturalibus, utrum sint naturalia remedia quibus curari possit secluso omni pacto cum dæmone.


Circa quod affirmarunt plures eodem modo posse hos morbos curari vi causatum naturalium ac si à Dæmone non essent inducti; nam potest vi causarum naturalium auferri ejus causa, ut si in præsenti affectu auferatur melancholia, ac proindè deficit morbus.

Sed iste modus dicendi non probatur, quia non ablata causâ procatasticâ morbi, non auferatur morbus: sed Dæmon est causa procatastica & remota fœvens materiam causantem morbum, qui vi alicuius causæ naturalis non potest auferri, ex eo quod sensum qui potentia corporalis est, non habeant, ergo renuente Angelo sive bono, sive malo, morbus ab eo inductus nequit auferri, quia dæmon potest impedire applicationem causæ naturalis pugnantis contra morbum, vel potest apponere distemperiem potentiorē præternaturam vincentem causam naturalem: ergo illo renuente non curabitur.

Sed nobis dicendum est quod morbi qui producuntur à Dæmone mediâ actione agentium naturalium, posse causis naturalibus evitari. Et ratione probatur, quia non alio mo-

do hujusmodi morbi causantur quâ mediâ actione naturalium agentium quæ ab ipsis applicantur: sed potest apponi aliud naturale agens contrariae virtutis, majoris & efficacioris intensionis: ergo vincet alterum, & morbus per consequens deficit. Et confirmatur quia agens naturale producit effectum in pasto disposito: sed potest esse aliud agens fortius qui tollat illam dispositionem, aut contrariam inducat; ergo impedit actionem illius, quo sit ut tunc dæmones sint applicati agenti naturali, etiam si causa naturalis applicata à dæmone non sufficiat pro morbo inducendo si aliud agens fortius applicetur.

Dico secundò quod in morbis qui à dæmone possunt induci, solum sua virtute & actione conservante præsentiam localem alicuius corporis impedientis & obstruentis vias, non potest fieri curatio terediis naturalibus; nam sanitas consistit in hoc quod corpus obstruens ab illo loco separatur; sed conante Angelo detinere illud corpus, nullum est agens corporeum naturale potentioris virtutis; nam Angelus vel producit motum localem, vel impulsu[m] contra quem agens quilibet corporeus non potest victoriosam actionem elicere: ergo methodicè procedendo in curatione, hoc est prius intendendo ablationem causæ externæ, implicat remediis naturalibus tales morbos curari, secūs verò si solam rationem causæ proximæ inspiciamus, ut jam probatum est in prima conclusione.



## C A P U T X.

*An melancholici possint naturaliter quolibet sermone loqui.*

**F**IRMARUNT aliqui melancholicos naturaliter posse quilibet linguâ & sermone loqui: probant imprimis, quia videmus aliquos qui tardo ingenio laborant, hoc morbo correptos, adè acuto ingenio pollere, ut res admirandas proferant vi distemperiei productæ à tali humore ad id conducentis: ergo similiter linguas ignotas possunt loqui ratione distemperiei. Consequentia probatur: nam si res ignotas faciunt, ut carmina componere quæ anteâ non componebant, similiter possunt loqui linguam quam anteâ non loquebantur.

Secundò probant, quia sicut in mundi creatione primus Parens posuit nomina omnibus rebus vi temperiei conducentis ad id, ita non implicat dari in aliquo homine temperiem conducentem ad hoc ut linguâ ignotâ & quolibet sermone possit loqui.

Sed nobis dicendum est, tali affectu laborantes non posse naturaliter quolibet sermone loqui, quia intellectus hominis est tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum, ac proindè non potest operari nisi per species

adquisitas, aut de novo eas debet adquirere; non ergo potest vi temperiei qualibet lingua loqui, quia vi illius non adquiruntur de novo species.

Et confirmatur; quia proprium est intelligentis speculari phantasmat, ex Philosopho, hoc est nihil posse intellectum intelligere quod prius non fuerit sensatum: cum ergo anima illius hominis de quo est sermo, cuiusunque temperamenti sit, non habuerit idiomata Graeca aut Latina in phantasmat, neque poterit illius vocibus loqui, ac proinde si aliquando contingit non est virtute naturali, sed praeternaturali, à Deo scilicet, vel ab Angelis.

Sed quo pacto ab Angelis id fiat, dubium est: (nam certum est Deum speciem cuiuslibet rei posse producere immediate in potentissi:) circa quod dicendum nobis est Angelos id facere movendo localiter linguam alterius tali modo ut proferat articulate absque immutatione in imaginatione illius qui nova & inaudita loquitur, qua ratione virtute Dei locuta fuit Asina Balam: at verò immutando imaginationem per productionem speciei objectum repräsentantis incognitum, id non potest facere Angelus, cum solum habeat vim applicandi activa passivis, ut diximus, ac proinde sicut non potest facere ut cæci colores imaginetur, quia earum nunquam habuit species, sic similiter non potest producere species in imaginatione eam immutando, si objecta prius non fuerint cognita; solum enim potest dici aliquando imaginationem vi Angeli & vi propria posse cognoscere objectum novum, cuius semina & principia anteā extiterint in imaginatione, ut quando cognoscit montem aureum, licet novum cognoscant objectum, quia illum nunquam viderunt, satis tamen est vidisse montem & aurum, ut ex specie utriusque quasi componat unam totalem repräsentantem montem aureum.

Unde ad primum argumentum Respondeo verum esse ratione diversæ temperiei sive naturalis, sive praeternaturalam in aliquibus de hebete ingenio fieri acutos, de indoctis doctos, &c. hæc tamen omnia habent ortum ex speciebus existentibus in potentissi internis ex quo non colligitur posse loqui idiomate omnino ignorato, quia non habet species illius, neque ex præexistentibus possunt cognitiones illæ procedere.

Ad secundum dicimus id non posse contingere; nam cum voces significant ad placitum & ex institutione hominum, licet aliqua verba loquantur vi temperiei, hoc est per accidens, ac proinde est sine illa coordinatione requisita ad locutionem linguae ignorantiae, accedit ad hoc quod cum linguae ignorantiae sint tales ratione nominum significantium diversa pro libera voluntate & impositione hominum, videtur implicare ullam temperiem conducere pro cognitione ejus quod est in voluntate alterius, ita ut significet juxta alterius voluntatem hanc vel illam rem.

\*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T X I .

*An melancholici possint futura prædicere.*

**P**RÆCITIONEM nihil aliud esse quam futurorum præcognitionem & prænuntiationem, ac proinde idem est querere an melancholici possint futura præducere, ac querere an possint divinare.

Secundò nota futura esse in triplici differentia: alia sunt quæ necessariò eveniunt, talia sunt effectus omnes qui necessariam connexionem dicunt cum suis causis, quorum scientia naturaliter contingere potest, ex eo solum quod cognoscamus causam inclinantem ad tales effectus, & necessariam cum illis connexionem habentibus; quæ futura etiam vi hujus vel alterius morbi possunt prædicti ex eo quod vi alicuius distemperici potest esse major conductientia pro acutiori cognitione & exactiori, dummodò sit circa objecta, cuius species præfuerint anteā: nam jam diximus cap. præcedenti, nihil novum nos posse cognoscere, nisi aliquo modo fuerint species in nobis, modo *soprà in prædicto capitulo* explicato. Ita tamen prædicta doctrina est intelligenda, ut futura non in se ipsis cognoscantur (nam hoc solum ad Deum spectat) sed tantum, in causis, ut manet explicatum.

Secundo modo sunt futura quæ ut plurimum eveniunt, ita ut non infallibiliter continentur in causis, sed ut plurimum eveniant, quæ etiam à nobis possunt cognosci & prædicti in causis per quandam conjecturam; sic Medicus prædictis salutem aut mortem in causis ipsis ut plurimum producentes tales effectus, de quibus etiam est certum nos ratione morbi posse habere præcognitionem ab ratione in prima conclusione tactam: undè colligimus quod his qui sunt prope mortem & etiam inter dormiendum melius cognoscunt futura à nobis assignata, quia anima tunc est magis abstracta à rebus externis sensibilibus, & sic magis apta est ad percipiendos motus qui ex impressione naturalium causarum imaginatione imprimuntur, quæ se habent ut dispositiones organorum ut perfectius potentiae in eis residentes operentur.

Tertio modo sunt futura quæ omnino contingentia & fortuita sunt, hujusmodi sunt consensus qui dependent ex libera hominum voluntate, & arbitrio, cuius cognitio & prædictio superiores vires quam humanas præquirit, ut de se patet. Unde ex dictis inferitur posse homines aliqua futura virtute Dæmonij cognoscere, quia intellectus superior, qualis est Dæmonum, potest plura cognoscere quæ distant procul ab humano intellectu, ac proinde ea possunt virtute Dæmonum hominibus manifestare; hoc autem non producendo speciem eorum, aut aliquam qualitatem per se, sed aut loquendo inito pacto, aut per aliquam imaginariam visionem,

tum præterea aliquam commotionem inphantasia causando ex qua signetur aliquid futurum; id autem fuit mediæ aliquâ causâ naturali corporali; undè etiam ex hoc ultimo colligitur alter modus quo possit naturali vi futurum aliquid cognosci: nam non est impossibile similem causam itâ commoventem applicari, sicut à Dæmone vi distemperiei ad id conductentis, dummodò semper concedamus illud futurum in altero contineri tanquam in signo, aut causa, quâ cognitâ de præsenti futurum possimus prædicere, quasi inauditum & inusitatum nobis, ex eo quod aliqua causa naturalis applicetur vel à Dænone, vel vi distemperiei mirabilem effectum continentem.

Ex quo fit non esse aliam potentiam divinativam quâ futura aliquo modo præter diætos cognoscant; nam si talis esset, circa objecta omnia, esset talis divinatio, quod est impossibile, & nullus dixit; tunc etiam quia futurorum ut talia sunt, non potest dari species; ergo nisi in causa cognoscantur quæ realem existentiam habet, cognosci non possunt; unde autem proveniat quod melancholici sapientissimi & solerti sint & indagatores, ratione cuius hæc futura cognoscant, sequent. cap. dicemus.

## C A P V T XII.

*An melancholici ingeniosi sint, & quæ sit causa.*

**S**TABILITUM problema Gal. est, melancholicos ingeniosos esse; sed videtur huic doctrinæ contrariari alijs locus Gal. lib. *Artis Medic. cap. 11.* ubi dicit *Ingenium signum esse cerebri substantia tenuis, tarditas autem intellectus crassa:* sed melancholici habent substantiam cerebri crassam, ab humore crasso ex qua fiunt, inducunt, aut ex quo nutriuntur: ergo melancholici, non sunt ingeniosi, sed potius tardi ingenij.

Sed ut veritas nostræ conclusionis magis elucescat, nota primò ingenium dici à gignendo, quia ex se aliquid gignat, ac proinde dicitur illa potentia quâ in nobis aliquid invenimus quod ab aliis non accepimus, itâ ut ex aliquo deducat quod latebat.

Sed quæreret aliquis, cuius facultatis, aut potentiae sit ingenium? Et respondeo nos non quærere de inventione quæ sit per verum discursum, sic enim ad intellectum pertinet; sed sermo est de potentia organica interna quæ intellectui subministrat: nam Galen. afferit temperiem cerebri cognosci ex ingenio acuto, aut tardo: ergo spectat ad potentiam organicam, utpote si ad solam intellectivam spectaret, non esset cur aliqui dicerentur habere acutum ingenium, alij verò obtusum; hæc autem potentia quæ intellectui subministrat communiter dicitur cogitativa ab omnibus, & merito, quia hæc habet deducere & plenè rem cognoscere; & quia non pertinet ad memoriam subministrare, cùm hæc solùm circa præteritum versetur, neque ad imaginativam, quia hæc ut sic versatur circa sen-

sata, at verò ingenia optima circa alia sunt.

Secundò nota tenuia dici à Gal. quæ celeriter comminui facile possunt; crassa verò è contrà. Sed restat nunc examinare an verum sit tenuitatem cerebri conducere ad bonum ingenium, & quâ ratione conducat. Circa primum certum est tenuitatem conducere ad bonum ingenium: nam licet sit secunda qualitas, optimè potest conducere, sicut durities in osse conductit ad proprium usum, deinde quia nomine temperamenti non tantum intelligit primas qualitates, sed alias secundas, & sic bonum ingenium potest reduci ad tenuitatem, licet secunda qualitas sit.


Sed difficilius est assignare rationem, quare tenuitas cerebri conducat ad optimum ingenium, & dicendum est cerebrum non habere tenuitatem excedentem, sed crassum esse; sed crassities est intensior in aliquibus hominibus, quâ in aliis, ac proinde minorem crassitatem vocat tenuitatem quæ ex parte organi conductit, ut operationes perfectius elicantur, ex eo quod potentia illa minori crassitie ( tenuitate dicta ) facilè penetrat quod est in objecto, ac proinde hac ratione conductit ad optimum ingenium.

Sed adhuc restat explicare quod Aristot. nomine melancholicorum intelligit atrabilarios qui fiunt ex atra bile mediocriter calida; à qua dixit non solum homines esse ingeniros, sed etiam excellentes in studiis Philosophiæ, vel Republica administranda, vel in carmine pingendo, vel in artibus exercendis; ad quorum omnium excellentiam, juxta viros doctos hæc omnia quæ sequuntur, requiruntur. Imprimis optima memoria; nam cùm hæc sit thesaurus in quo conservantur species quæ antea fuerunt cognitæ, multum refert eas conservari, ut perfectus quis evadat in qualibet doctrina; nam alijs, eodem modo se haberet sicut antea quâ res cognoscerentur; ad memoriam autem conducere atram bilem mediocriter calidam, ac proinde ex hac parte quod homines melancholici, aut atrabilarij ingeniosi, & periti in qualibet scientia sint, probatur: nam ratione siccitatis illius producitur in cerebro mediocris durities, quæ ad memoriam confert, quantum conduceat ad retentionem specierum, & ex alia parte calor mediocris qui in tali humore reperitur non valet liquare & fundere immodicè, ratione cuius species possint deleti: ergo conductit pro memoria talis humor, ac per consequens ex hac parte pro optimo ingenio.

Secundò ad dicta munera & officia cum excellentia pro calore, conductit valde promptitudo ad actiones; nam qui tardi sunt & pigri ad actiones, vix aut nunquam possunt arti aut scientiæ assuefieri. Hanc autem promptitudinem etiam causari ab atra bile mediocriter calida ratione temperiei, quam inducit, probatur ex Gal. lib. *artis Medicinalis cap. 3.* dum inter signa calidi & siccii cordis ponit promptitudinem ad actiones; cum hoc tamen docet, quod si immodicus calor & siccitas sint, afferit iracundiam, celeritatem & imprudentiam causare; ex quo fit quod cùm ex prædicto humoris modicus calor & siccitas

tas nascantur, conducere ad promptitudinem actionum : deinde studiositas & exercitium etiam requiruntur ; nam si quis quamvis optimo praeditus ingenio sit, curis & aliarum rerum cogitationibus immersus, veritatem scientiarum & aliarum artium non posse inquire diligenter, neque invenire, ex tali autem praedicto humore docet Galen. *cap. citato*, studiositatem causari : nam tales patientissimi sunt, & minimè proprij ad irascendum, ex ipso Galen, ac proinde facilè ad exercitium, & studium inclinantur ; accedit ad hoc quod in his non deficiat apprehensionis facilitas : nam licet nimia durities ab immoda- ca siccitate possit illam prohibere, tamen in praedicto humore affectis id non contingit ; siquidem siccitas corrigitur ex sanguinis humiditate.

Denique conductus timor aliquis, quia venientes homines culpan ignorantiae libenter à quovis addiscunt ; neque enim sibi ipsis confidunt, aut plurimum tribuunt ; quod autem dictus humor conductus etiam ad timorem aliquem, constat ex dictis *soprà* de symptomatibus hujus affectus, quia scilicet habent frigiditatem sufficientem ad timorem aliquem ; & quia frigus illud remittitur à calore sanguinis, non est dispositio ad timorem tanta ut ingenium & alia quæ diximus impediatur : ergo si atra bilis, quæ melancholicos constituit, & nomine hujus humoris dixit Aristot. esse ingeniosos, ad hæc omnia conductus, satis perspicuum est, tales ingeniosos duci à Philosopho non sine ratione aliqua.



### CAPUT XIII.

#### *De speciebus melancholie, & de essentia & parte affecta hypochondriacæ.*

**O**MNIMENTER apud omnes Autores tres species melancholie assignantur, una quæ fit per propriam passionem cerebri, alia per consensum cum toto corpore, & denique tertia quæ fit per consensum cum hypochondriis : de hac ergo tertia specie quæ hypochondriaca melancholia dicitur, modò in præsenti est agendum.

Sed duo sunt difficultia: primum in quo constat essentia hujus morbi : secundum quæ sit pars affecta in dicta melancholia hypochondriaca. Circa primum, aliqui dixerunt consistere in inflammatione partis primariæ affectæ, id tamen non probant : sed contra hoc insingo, quia iste affectus reperitur sine febre, ut constat ex communis ejus definitiōne dicente, *est delirium sine febre*, &c. sed si in inflammatione consistaret, seu tumore, constituereturque morbum instrumentalem, non posset esse sine febre : ergo. Et confirmatur, quia in hoc affectu nullum est symptomatum pathognomonicum demonstrans inflammationem, vel tumorem in hypochondriis, ut patebit consideranti, ergo : ac proinde solùm est verum quid nomine inflammationis intelligent Autores phlogosum & ardorem.

Alij affirmarunt hunc morbum consistere in obstructione seu oppilatione, quæ est in mesaraicis, ratione cujus alimentum non communicatur venis, & ibi ratione prohibitæ ventilationis aduritur, & vapores ascendunt ad caput melancholici, ac proinde esse morbum in cavitate vitiata affirmant. Sed hæc sententia rejicitur : nam melancholia hypochondriaca non semper fit ab obstructione dicta, sed multoties causatur nullâ existente, ut si à liene humor melancholicus mittatur in ventriculum, ibique detineatur, ita ut mittat vapores ad caput, tunc erit praedictus morbus utpote vapores sunt ejusdem rationis, sive obstante obstructione, sive non ergo causabitur praedictus morbus sine obstructione, ac proinde ejus essentia, in ea non est necessariò statuenda.

Alij denique affirmarunt morbum praeditum in distemperie cum humore consistere calida, aut frigida ; nam ex una parte sunt accidentia quæ videntur designare calorem, ut sunt ræctus & ardor maximus in præcordiis, sitis ingens, vomitus biliosus, & pulsatio quæ ibi reperitur. Et ratio ad probandum hanc distemperiem calidam sumitur à juvantibus, & nocentibus : nam videmus medicamentis frigidis maximam laxitatem habere, & bene esse. Ex alia verò parte, non desunt plura quæ probant distemperiem frigidam esse in præcordiis ; nam sunt ræctus acidus qui ex Gal. distemperiem frigidam ostendunt in ventriculo ; deinde multitudo flatuum, sputa copiosa, vomitus pituitosorum & crudorum succorum, & denique tarda coctio quæ omnia denotant in ventriculo frigidam distemperiem, ac proinde talis morbus debet consistere in frigida aut calida distemperie cum humore.

Nobis tamen dicendum est in melancholia hypochondriaca non esse tantum unum morbi genus, sed posse reperiri plures ; nam imprimis potest reperiri in ea obstructionem, ex eo quod humor melancholicus in piloro aut in venis ventriculi potest causare obstructionem & prohibitam ventilationem, ratione cujus præternaturam calefiat humor à fuliginibus detentis ob prohibitam ventilationem, fiatque phlogos & ardor, quæ Galenus vocavit inflammationem, quæ fit ut vapores descendant ad caput, & fiat praedictus morbus ; unde symptomata pathognomonica in melancholia hypochondriaca reperta oriuntur remotè ab obstructione dicta, & non immediata, quod sufficit. Unde etiam fit ut præter morbum in cavitate vitiata, à quo procedit symptomata in retentis ( utpote existente obstructione, alimentum non potest communicari ) calor causatus ex prohibita ventilatione etiam constituit morbum in temperamento lædenter actionem peculiarem, & peculiari modo : si autem per ustionem illam & ardorem fiat humor melancholicus ex sanguine ibi detento, habebit calor rationem causæ. Similiter contingit praedictus morbus ex eo quod jecur propter distemperiæ calidam generet plurimā quantitatē humoris nigri à quo vapores ad caput mittantur, ad quod obstructione non est opus, ac proinde tanquam diversum genus morbi constituit hujusmodi melancholia

melancholia hypochondriaca. Sed videre oportet quā ratione eveniant illa accidentia dicta quā modū calorem, modū frigus videntur demonstrare; non quidem quia reperiuntur in omnibus speciebus melancholia hypochondriacæ, ut dicemus; sed satis est in aliqua specie ejus inveniantur, ut quāramus rationem quare ita contingat, & quā sit causa, & præcipue quod explicazione indigeret, est quomodū in parte affecta existente ardore & calore immodico in parte obstrūcta, sint aliqua accidentia quā videantur frigidam distemperiem indicare, & ab ea nasci; circa quod aliqui affirmarunt in his esse duplē distemperiem, aliam calidam, & aliam frigidam in diversis partibus, & ex diversis causis, illa in parte obstrūcta, & hæc actū in ventriculo, quo fit ut prædicta accidentia sequantur. Neque mirum est causā existente calidā in piloro & in venis ventriculi, ventriculum non calescere, quia potest esse potentior frigiditas in ventriculo propter humorē melancolicum qui ad ipsum pellitur, ac proindè resistet magis causæ calidæ, & dicta accidentia sine dubio evenient.

Vallesius dixit hoc fieri propter permixtionem humoris in ventriculo à quo aciditatem in ructu fieri affirmat, & fatus à calore præternaturam ait posse elevari qui non sit potentior ad illos dissipandos.

Alij autem affirmarunt cum Averroë ab eodem humore omnia dicta accidentia contingere posse, ex eo quod in parte obstrūcta est calor extraneus & præternaturam, qui quidem spiritus valet resolvere, ratione cuius accidentia frigidæ distemperiei sequuntur, & à calore fatus & ructus elevantur; quo fit ut tum actiones à calore naturali fiant, & iste deficiat ratione resolutionis factæ à calore extraneo, necessariò in ventriculo sunt cruditates, & maxima copia flatuum ostendentia temperiem frigidam. Sed iste modus continet plura difficillima, ut postea, dum de cruditate ventriculi & de hydrope agentius, videbimus. Et quia licet spiritus deficiat, cùm calor præternaturam valens alterare partem sit præsens, non potest non esse distemperies calida præternaturam.

Ego tamen dico in hoc affectu semper adesse distemperiem calidam; attamen cùm resolvantur spiritus, deficit aliquid requisitum, communicandum mediantibus eis, nempe qualitas illustrans, quo fit ut per defectum hujus debilis reddatur facultas coctrix, ac proindè cruditates & ructus acidi eveniant quā videntur denotare distemperiem frigidam; in re tamen, sola est debilitas facultatis, & non distemperies frigida, sed potius calida, unde fit quod urgente magis debilitate, benè se habeant ægri remedij calidis, urgente verò magis distemperie calidâ, benè se habent remediis frigidis.

Denique in hoc affectu pulsatio in parte affecta reperitur quā evenit aut propter calorem immodicū faciente, quod arteria magis dilatetur, & sic sétiatur pulsatio in artibus immediatis, aut propter obstrukcionem factam ab humoribus, ratione cuius arteriae comprimantur; sic autem compressæ vehementes motus elicunt ad auferendum impedimentum.

Circa secundum quod inquirit quæstio dicendum est, non tantum in melancholia hypochondriaca pati pilorum & venas ventriculi, etiam quā sunt in ejus ore, ut ait Galenus: sed etiam lien, jecur, hæmorrhoides, uterus, & mesenterium, & cor, non ita ut omnes simul patientur, sed quod quælibet ex his partibus potest per consensum cum ea, cerebrum pati, & ita excitare hunc affectum hypochondriacum; neque credendum est partes enumeratas à Galeno debere necessariò pati, licet quā ab Avic enumerantur, patientur: sed potius existimandum, quilibet paciente ex his quā enumerantur ab Avicen. etiamsi non patientur ea quā à Gal. enumerantur, causari prædictam melancholiā hypochondriacam; nam optimè potest unctione sanguinis fieri humor niger in partibus dictis, & communicari vapores cerebro quin afficiatur ventriculus; quo fieri melancholiā hypochondriaca non per propriam passionem, ut pater, non etiam per consensum cum venis & arteriis, ut de se etiam conspicuum est: ergo erit per consensum cum hypochondriis, & talis dicetur; cum hoc tamen verum est frequenter accidere hunc affectum, paciente primariò ventriculo, & ceteris ejus partibus, suprà à Galen. enumeratis, licet non necessariò, ut dixi.

Denique omnia quā habent rationem causæ, aut occasionis ad hunc affectum, sunt omnes illæ ex quibus potest generari humor niger, ut sunt continui labores, vigiliae, & ex alimentis proportionatis cum tali humorē, tum etiam ex vitio lienis, jecoris, aut cordis & mensenterij, tum etiam suppressa evacuatio ut hæmorrhoides, & animi passiones, ut timor & tristitia. Neque mirum est id quod habent rationem symptomatis, ut sunt timor & tristitia, habere etiam rationem causæ ejusdem morbi; quia hoc etiam apertum in dolore est, qui simul est symptoma & causa doloris propter attractionem quam causat ex Gal. Neque etiam mirum ex passionibus animæ talem humorē generari, licet actiones simillimales sint, quia per accidens disponunt ad generationem talis humoris ratione siccitatis ab eis producetæ, quā positâ cum remissio calore fit ustio, & talis humoris generatio. Cætera autem omnia enumerata conducunt, quatenus vel vi distemperiei producunt plurimam qualitatem prædicti humoris, vel quia ratione alicujus consuetæ evacuationis retineatur crassus sanguis, & abundet in corpore. Quod totum latius apud Petrum Garciam in prædicto cap. ubi de quilibet causa ex assignatis in particulari agit: ego verò brevitatis gratiâ omitto.



## CAPUT XIV.

### *De preparatis ad melancholiā.*

**G**ORPORA paratiora ad melancholiā, enumerantur ab Hipp. qui dicit quod qui balbi sunt, aut calvi, aut gracili voce gaudent, parati sunt ad incidentum in hunc morbum: nra imprimis calvities ostendit.

dit siccitatem cerebri, quo sit ut ratione illius ad humorem nigrum sint dispositi, & per consequens ad hunc affectum.

Secundò loco enumerat balbutientes: sed advertere oportet ex Gal. quod hi dicuntur qui habent vitium locutionis non potente lingua dearticulare eas voces quæ P, T, & R, proferuntur: hoc autem plures habet causas; nam quandoque procedit ex linguae brevitate quæ anteriores dentes premere non potest ad prolationem, neque linguam extendere possunt ut illis innatur. Secundò potest procedere ex siccitate, ratione cuius contrahitur lingua & brevior fit, undè meritò dixit Aristot. salivam esse necessariam ad locutionem, quia humectat linguam, etiam si habeat alium usum, ut postea dicemus. Tertiò potest id contingere ex maxima humiditate à qua musculi linguae laxantur, & molles fiunt & imbecilles, & parum firmi ad motum redduntur, ob quam rationem ebrij & pueri balbutiunt, quod etiam contingit in ambulantibus, in quibus si molles & imbecilles reddantur musculi, non possunt crura firmare, & claudicant.


Altera causa hujus potest esse, magna intensio caloris in capite ob quam maxima velocitas imaginandi est, & cum musculi linguae moveantur, ex imaginatione non possunt exequi tantam velocitatem, ac proindè inter loquendum fit balbuties: aliam denique causam assignant, scilicet multitudo flatuum impedianter motum linguae ad locutionem.

Denique ait Avicen. quod corde existente calido & cerebro humido, esse causas incidendi in melancholiā: nam calido corde uritur sanguis, & in cerebro humido facilè recipiuntur vaporess. Neque valet dicere distemperiū siccum in cerebro esse dispositionem ut facilius incidat in talem affectum; nam facilius est incidere in morbos similes quam in dissimiles, ac proindè cum melancholiā sit siccum, facilius incidet in eam cerebrum siccum quam humidum: non inquam valet, quia licet cerebrum siccum per se conduceat, ut facilius incidat in morbos siccōs, per accidens tamen id non facit, ac proindè cerebrum humidum per accidens conduceat ad tales morbos, quatenus ratione humiditatis facilius recipit species & vaporess.



## DISPUTATIO XV.

### De Mania & speciebus ejus.



### CAPUT PRIMVM.

#### De essentia Mania.

**S**I attendamus Galen. & Avicen. communēmque Medicorum consensum, sic mania describitur, *Est delirium sine febre, potius cum furore quam cum metu, & tristitia, à calido & mordaci humore.* Quæ definitio datur per causam & symptomata per

quæ ab aliis affectionibus differt, ut de se patet; vocatūque ab Avicen. *Dæmonium Inpinum*; sed advertas, quæso hunc affectum posse febrem comitari, non quia sit vi humoris causantis maniam, sed ex alia occasione aut causa potest febris cum ea complicari, sicut de melancholia morbo diximus. Paulus autem furorem qui reperitur in mania sic explicat, *Porrò si quando flava bilis supra modum exusta in nigrum fiat mutatio, insaniam dictam Gracè maniam infert.*

Sed dubium est, qualis sit morbus in quo essentia mania consistit, & dicendum est cum communi Medicorum consensu, consistere in distemperie calida & siccā cum humore; & de calore planè colligitur ex eo quod furor, temeritas & audacia calorē vehementem ostendant.

Sed dices primò contra dicta, quia videtur ab atra bile maniam non posse causari, utpote licet ustione generetur, est tamen humor frigidus à prædominio, ac proindè non poterit calefacere cerebrum, neque furem & cætera symptomata mania causare poterit.

Respondetur verum probare argumentum si sermo sit de atra bile jam genita celsante alteratione contra naturam, ustione scilicet, aut putredine, mediis quibus producitur; at Autores quando atram bilem causam mania enumerant, de ea in fieri loquuntur, non autem de ea in facto, ut diximus.

Dices secundò, videtur hunc morbum non caulari tantum ab atra bile, sed etiam à flava, & fortè etiam solam distemperiū calidam & siccā sufficere sine humore ad maniam: quod probant: nam hujusmodi distemperies calida & siccā potest produci ab alia causa, & potius in majori intensione à flava scilicet bile, vel ab alio agenti, præterquam ab humore quo sit, ut eadem symptomata eveniant, sicut si ab atra bile fuisset, talis distemperies producta, vel si se sola absque aliquo humore fuisset in cerebro, ac proindè & ab alio humore potest induci tales morbus, & sine ullo etiā, solā distemperie perseverante prædicta accidentia pathognomonica mania causabūtur.

Sed dicendum nobis est, idem quod *suprà* asseruimus dum sermonem de melancholia morbo instituebamus, scilicet quod si solū consideremus manifestas qualitates, quæ in mania sunt necessariae, probat optimè argumentum ab alio humore præter atram bilem, & à sola distemperie calida & siccā posse symptomata pathognomonica mania causari; nam atra bilis tunc non habet nisi rationem causæ efficientis producentis: sed potest dari alia causa quæ easdem qualitates producat in cerebro: ergo eodem modo si ad qualitates manifestas attendamus, sequitur dictus morbus qui vocatur mania seu insania.

Restat solū ut dicamus quæ actio potentiae restringit lœdatur in hoc affectu. Et primò dicendum est quod quantum attinet ad passiones animi quæ in eo reperiuntur, necessariò lœdatur aestimativa judicans illud objectū esse conveniens aut secus, quod iudiciū sequitur necessariò actus appetitus prosecutioñis, aut fugæ, ita ut non stante illo iudicio, non possit operari appetitus, ac proindè necessariò debet esse lœsio in aestimativa quo iudicet obiectum

jectum conveniens aut non, ut dictæ passiones fiant, vel eliciantur ab appetitu.

Sed quantum attinet ad aliud peculiare delirium quo imaginatur se esse canem aut lupum, dicendum est esse læsionem in imaginativa; errat enim circa simplicia, cuius deliriū fecit mentionem Avic. dicens fieri tunc maniam cum sua applicatione in anteriori parte cerebri: sed in hac est imaginatio, vel saltim in ea magis relucet: ergo actio imaginativa est læsa. Neque quantum ad hoc est sola læsio in imaginatione, sed etiam in aestimativa, quia tales non solum imaginantur esse canes aut lupos, sed etiam id judicant se esse tales, ut constat ex actibus externis, ac proinde cum illud judicium sit actus aestimativæ, hæc etiam læditur in hoc peculiari delirio.

qua à nobis sunt assignatae in quantum ex illo generatur atra bilis quæ solum causa immediata est.

## CAPUT II.

### *De speciebus Maniæ & causis.*

**C**OMMUNITER ab omnibus Autoribus tam antiquis quam modernis duas species maniæ enumerantur; altera lycantropia dicta, id est lupina insanía quam Avicenn. cap. 20. encubuit appellat: talis autem dicitur quia hujusmodi affecti lupos imitantur in morib⁹: nam noctu domo egressi donec dies elucescat circa defunctorum monumenta vitam agunt; hoc autem nascitur ex eo quod imaginantur se esse lupos, ac proinde in morib⁹ eis assimilantur. Alia species dicitur *cynantropia*, seu rabies, in qua ita affecti arbitrantur in canes mutatos fuisse, & sic conditiones canis sequuntur. Hæc autem duas species penes diversa symptomata solum differunt, ita ut hæc secunda species propter mitiora symptomata quæ conditio&n & moribus canis assimilantur, mitigationem causam & non tam intensam unctionem petat, ac prima species, in qua symptomata sæviora, majorem unctionem in causa denotant, ut potè lupo rum moribus sunt valde similia.

Notare tamen oportet quod si juxta diversitatem objectorum species maniæ veniant assignandæ, cum ratione deliriū possint homines tali morbo affecti imaginari se esse oves, aut alia animalia, diversæ etiam species & innumeræ poterant assignari: sed quia hujusmodi morbo affecti frequenter, & ut plurimum se lupos & canes esse judicant, ita ut horum animalium mores intentur; idè hæ duas species ab Autoribus tantum enumerantur in mania, quia scilicet principaliores & frequentiores sunt.

Circa secundum quod inquirit quæstio, scilicet quæ sint causæ internæ antecedentes & foventes maniam, breviter dicendum est solum unam esse causam immediatam ejus, scilicet atram bilem, quod ex ferocitate accidentium satis perspicuum esse videtur; cæteræ autem causæ ex quibus atra bilis generantur, ut est melancholia, & flava bilis quæ per adiunctionem in atram mutantur, solum sunt causæ mediatae maniæ & specierum ejus.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## CAPUT III.

### *An hydrophobia sit species Maniæ.*

**R**o explicatione quæstionis supponendum est hydrophobiam esse morbum quam rabiem appellamus, non tamen pro quolibet statu dicitur hydrophobia, sed quando rabientes perveniunt ad statum in quo aquam tanquam dirum inimicum fugere tentant quod contingit aliquando in principio rabiei, aliquando vero post aliquod tempus provenit. Quo supposito definit Avicen. hydrophobiam his verbis. *Accidit cani rabies quæ est conversio sua complexionis ad melancholiā malam, malignam, venenosam:* Ergo juxta Avicennam est species maniæ, quia in textu prædicto ly melancholia interpretatur ab Autoribus pro eodem quod mania, ac proinde asserimus hydrophobiam esse speciem participantem essentiam & communem maniæ, & suprà maniam aliud symptoma addentem, scilicet metum & fugam aquæ præsentis.

Sed dices quia mania distinguitur à melancholia morbo, quia in ista invenitur timor, secùs vero in illa: ergo hydrophobia non potest esse species maniæ; siquidem in ea est timor & fuga aquæ. Pro cujus solutione indagandum est in quo consistat hydrophobia, vel quâ ratione fiat: circa quod innumeræ sunt sententiae, quibus rejectis proponimus primam conclusionem, scilicet quod timor aquæ in rabientib. hydrophobicis procedit ex peculiari delirio orto ratione talis distemperie ad id conductentis. Et probatur quia fuga rei convenientis supponit cognitionem illius rei quæ alias conveniens est, ac si non conveniens esset; sed talis cognitione est erronea; ergo intellectu assentiente necessariò supponitur delirium.

Est tamen dubium, cuius potentia sit hoc delirium, vel error, & imprimis quod erret aestimativa certum est, cum judicetur aqua, quæ conveniens est, ac si revera esset disconveniens: quod dubium latius magis patet dum explicabimus modum quo contingat.

Difficile autem videtur assignare quâ ratione hydrophobiæ affecti prius aquam cum ingenti siti appetant, eâ tamen visâ, aut quo-vis liquido liquore, statim fugiant & timeant tanquam quid disconveniens. Circa quod valde variant Autores: nam alij dixerunt hoc evenire propter antipathiam quam habent hoc morbo affecti cum aqua. Alij ad visionem spuma reduxere, alij deinde ad visionem transparentiæ & splendoris. Quas omnes sententias acutè refutat Petrus Garcia in hac disputatione, quas quisque in suo libello facile videbit; brevitatis enim gratiâ omnes impugnationes quæ ab eo conficiuntur omitto.

Nostra tamen sententia sit, tale symptoma contingere visâ aquâ, quia rabiens vi distemporei peculiaris apprehendit canem in aqua quam videt, adè vivaciter, ut intellectus tam actum nequeat corriger; sivecum canem invadentem apprehendat, judicat convenientis aquam fugere, etiamsi ipsam quando est absens ratione intensi caloris & siccitatis nimis appetere cogatur, qui actus erroneous quo canis apprehenditur in aqua, ad imaginativam pertinet. Hanc sententiam probat Petr. Garcia autoritatibus Gal. & Avicen. Et præcipua ratio ejus stat in eo quod nihil repugnans, vel falsum vi argumentorum quæ in contrarium flunt, deducitur ex ipsa conclusione.

Sed jam clamat contra nostram assertiōnem quoddam argumentum difficile, quo soluto, cætera omnia quæ diximus clariora fiant: argumentum autem est in hunc modum, si rabiens in aqua præsentí necessariò videt canem, ratione cuius fugit, etiam in aqua absente debet illum videre, ac proindè nequit eam absentem appetere, quod est contra ea quæ dicta sunt. Antecedens probatur, quia species quæ mittitur ab aqua præsentí ipsi imaginativæ, est omnino ejusdem rationis cum specie aquæ reservata in imaginativa, ratione cuius in absentia aquæ eam imaginatur: sed species aquæ præsentis necessariò repræsentat canem imaginativæ: ergo species aquæ absensis reservata in imaginatione, necessariò etiam repræsentabit canem in aqua, ac per consequens in absentia non debent eam appetere rabientes, ut diximus, sed potius eam fugere, sicut in ejus præsentia. Patet ultima consequentia, quia utraque species repræsentat aquam ut præsentem, ut constat ex *Disputatione de delirij natura, cap. 2.* Et ex alia parte est idem temperamenti ex parte potentia, & eadem potentia: ergo erit idem modus repræsentandi ac anteâ, quia ad representationem speciei internæ per accidens se habet, quod objectum in re sit præsens, vel secùs, præcipue cum entitas speciei non dependeat postquam producta est ab extrinseca conservatione in ordine ad representationem, ac proindè; vel etiam quando apprehendunt, vel imaginantur aquam absentem, fugiunt, quod est contra experientiam, vel quando in re præsentem aquam vident, non vident canem, ratione cuius timor & fuga prædicta in eis fiat.

Pro argumenti solutione, nota duplex objectum percipere rabientem hydrophobicum; unum verum, scilicet aquam quam videt, & alterum imaginatum, scilicet canem quem imaginatur videre, etiam adversas, quæso, rabientem nunquam aquam respuere, quia aquam imaginetur ut inconveniens, sed potius aquam semper, ut valde convenientem apprehendit, semperque elicit actum appetitus circa aquam, vel præsentem, vel absentem.

Dices: quâ ergo ratione fugit aquam? Respondeatur nunquam fugere aquæ præsentiam quia ipsam judicet inconvenientem in se, sed fugit ipsam non ratione ipsius, sed ratione canis, quæ vivaciter in ea apprehendit; itaque judicat convenientis fugere canem inva-

dentem; cum vero fuga canis non possit compati quin aqua simul fugiatur; siquidem intra eam appareret, indè videtur rabiens aquam fugere etiam si non aquam, sed canem visum fugiat. Majus tamen damnum & nocumentum timet rabiens inducendum esse ab illo cane, quâ sit emolumentum & requies quâ ex potius sumptione consequitur. Unde licet colligere in tali casu non delirare æstimativam circa aquam, quia ipsam semper apprehendit ut convenientem; delirat tamen ipsa imaginativa quatenus imaginatur aquam alter ac in se est, quia cum simplex existat ipsam componit cum cane invadenti, & indè per consensum errat æstimativa, quatenus apprehendit & judicat inconveniens & nocivum illud quod in re non est.

Quibus prælibatis ad argumentum dico verum esse quod species repræsentans aquam absensem, ex eo quod eam ut præsentem necessariò repræsentet, debeat simul figuram canis repræsentare quod, ut rectè probat argumentum, verum est. Deinde negamus consequentiam, scilicet quod fugiat rabiens dum videt canem in aqua imaginata eo modo, ac fugit; dum vero videt aquam præsentem. Ratio disparitatis in eo stat, quia dum rabiens imaginatur aquam & simul canem in ipsa, optimè corrigit hunc actum cognoscens aquam illam imaginatam esse, non vero in re præsentem, unde quasi per sequelam, vel naturalem instinctum in brutis & in hominibus per discursum infert rabiens illum canem esse etiam imaginatum, cum aqua in qua videtur, etiam ut imaginata cognoscatur; cum vero cognoscatur imaginatum esse canem, neque timet, nec fugit; at vero dum in re videt præsentem aquam, & simul canem in ipsa, habet minus fundamentum ad judicandum canem esse imaginatum, cum vere videat aquam, & canis appareat in ipsa, quapropter cogitur fugere, non aquam, sed canem ipsius aquæ. Quod canem fugiat & non aquam, patet, quia ex eo quod videat aquam, non extinguitur insatiabilis sitis quâ laborat; ergo etiam si videat aquam, adeat appetitus aquæ: ergo simul cum appetitu aquæ nequit impetrare actum fugæ respectu aquæ, ac proindè solum ratione canis quem in aqua videt.

Sed dices: quomodo potest corriger actum quo imaginatur canem in aquam imaginata, & non potest corriger actum quo imaginatur canem in aqua vera, si uterque actus ejusdem rationis est, respectu canis imaginati.

Respondetur quod ad corrigendum actum respicit facultas regens circumstantias quas valet apprehendere in ordine ad oppositum, vel actus, cum vero sit maxima circumstantia ad cognoscendum canem imaginatum esse cognoscere aquam in qua appareret, esse etiam imaginatam; indè valet hanc actum corriger, alterum vero secùs, quia revera videt aquam, & sic habet intellectus majus fundamentum ad sentiendum canem esse verum; quo videtur argumentum sufficienter solvi.

Ex quo patet simul in rabiente posse stare timorem & furorem; nam talia inveniuntur circa diversa objecta; siquidem timor est

circa aquæ potum propter malum quod ibi imaginatur, ex delirio dicto; furor verò non est circa prosecutionem aquæ, sed aut circa ea quæ inferunt vim ut bibant, aut alia diversa, & hæc possunt esse simul, & quia in rabiensibus præter affectionem ventriculi, est læsum cerebrum affectione, ex qua sequitur particulare delirium, sit ut ratione illius possit procedere odium aut timor aquæ; nam major causa in illo casu est ad timorem quam ex affectu ventriculi ad fruitionem actualem; denique constat hydrophobiam consistere in distemperie calida & sicca, quia ventriculus cogitur frigidum & humidum appetere, etiam si ratione distemperiei conjungendo speciem canis cum aqua pro viribus aquam fugere conetur, non ratione sui, ut diximus, sed ratione canis in ea repræsentati invadentis.

Indè facile solvi potest argumentum in principio positum, dicendo quod ille timor non provenit ex eo quod sit distemperies aliqua, conducens ad hoc ut objecta quæ timori non debent apprehendantur ut tremebunda, sed provenit ex peculiari delirio quo res quæ ex se si verè existeret timorem induceret, temperies verò quæ in hydrophobia reperitur potius conductit ad furorem & audaciam, licet respectu canis audacia non sit ratione antipathiae inter rabientes & canem.

## CAPVT IV.

## De Melancholia ex amore.

**A**UTORES inter species melancholiae amorem enumerant & videtur difficile ad melancholiæ reduci posse, quia amor est passio facultatis concupisibilis quæ in corde residet, peculiarem transmutationem inducens in corpore.

Sed notare oportet quod amor non dicitur passio melancholica ex eo quod semper sequatur hanc affectionem, sed quia quando amor excedit limites naturales, atque nimis inverteratus existit, adeò ut ad statum in quo curatione indiget perveniat, tunc oritur ex melancholica dispositione, quapropter ad melancholiæ reducitur, quia sed perseverantiam ipsius, atque ex solicitudine quæ in amore invenitur, copia humoris melancholici generatur.


Sed dices, quo pacto dicitur passio melancholica si in amantibus hujusmodi, metus & tristitia non reperitur, ut symptoma eorum.

Respondeatur metum & tristitiam non esse symptoma pathognomonicum cuiuslibet passionis ortæ à melancholico humore, sed illius speciei de qua diximus esse proprium symptoma, quam speciem propriæ melanholiam morbum appellamus; at verò amor passio melancholica dicitur, quia ab humore melancholico suboritur & nascitur.

Inquires undè proveniat quod amantes latentur, quandoque verò tristentur? Ad quod dicimus illud provenire ex peculiari modo quo causa cerebrum afficit. Itaque cum tali dispositione rem amatam ut convenientem &


lætitiam inducentem apprehendit; aliæ verò curæ & solicitudines quæ exinde oriuntur, tristitiam inducunt.

Circa partem affectam dicimus esse cerebrum, quia etiamsi verum sit quod amor est passio concupisibilis residentis in corde, tamē cùm h̄c de amore agatur quatenus symptoma est procedens ex dispositione melancholica cerebri; indè merito cerebrum pars affecta dicitur. Nota quod in hoc affectu non requiritur læsio in actu imaginationis, quia amantes optimè imaginantur rem amatam, verum æstimativa actum habet depravatum, quia apprehendit ut conveniens intensiori modo quam debetur objectum, unde quatenus actio imaginativæ, æstimativæ & rationis sunt cum majori efficacia, & perseverant, possunt dici actiones læsæ per augmentum.



## DISPVTATIO XVI.

## De incubo.



## CAPVT PRIMVM.

## De Essentia Incubi.

**I**N CUBUS dicitur ab incubando, ex eo scilicet quod ita affecti imaginantur aliquod onus sibi incumbere. Solet hic affectus præcedere epilepsiam & apoplexiā, & in nostro Hispano idiomate dicitur *Pesadilla*, sic definitur ab Avicen. fen. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 5. Incubus inquit, est agitudo in qua homo sentit, cùm in somnum ingreditur, phantasma grave super se cadens, & comprimens ipsum: & angustiatur ejus spiritus & intersecatur vox ipsius, & motus ejus. Ubi per ejus symptomata hunc morbum definivit, sumit tamen denominationem incubi à præcipuo symptomate in principio capitū assignati. Rursus alij Recentiores sic Incubum brevius definiunt, *Est phantasia in somnis corpus opprimens & gravans, motum, & loquela perturbans.*

Hoc ergo supposito queritur in quo constat ejus essentia. Circa quod aliqui affirmant esse morbum cerebri in compositione consistens in obstructione facta in viis ejus. Probant quia non est morbus in soluta unitate, neque in distemperie, ergo in compositione. Secundò quia unum ex symptomatibus, quæ in hoc affectu reperiuntur est diminutio sensus & motus, defectu influxus communicandi à cerebro: sed à nulla causa potest impediti communicatio influxus quam ab obstructione; ergo ista necessariò debet esse ut dicti effectus contingent, ac proinde in illa debet consistere.

Sed licet dicta symptomata & alia plura à prædicta obstructione nasci possint, nihil minus videtur unum ex symptomatibus incubi & præcipuum non posse otiri à prædicta obstructione, scilicet quod aliquis sibi aliquid

pondus imaginetur incumbere, ita ut ferè suffocetur, vixque aut nullo modo possit vocem emittere; videtur enim hoc symptoma ab obstructione non posse procedere, & omis- sis aliis modis dicendi, nos assertimus hujusmodi symptoma ab obstructione cerebri nasci, ratione cuius minus virtus quam in somno naturali communicatur ad sensum & motum; unde thorax minus dilatari potest, & respiratio fit cum majori molestia, non ob multitudinem humoris existentis intra thoracem molestantis & pondus facientis, ut aliqui sentiunt, sed ratione objecti molestantis ad respirandum intensius quam pro natura propter impeditam respirationem; defectus enim influxus ad motum communicandi facit quod thorax appareat cum majori ponde- re, ex quo procedit imaginationem apprehendere aliquid incumbere à quo suffocetur, ac proinde sit imaginatio depravata, unde omnia symptomata à morbo in obstructione consistente nascuntur. Unde etiam sit quod illa obstructio quæ necessaria est ad incubum, est major quam in somno naturali, & minor quam in epilepsia & apoplexia: ex quo sit ut in hoc affectu minus influat ad nervos & musculos thoracis quam per somnum naturalem, & sic manet improportionata virtus motiva cum pondere thoracis.

Ex dictis patet læsionem & depravationem esse in actu imaginationis: nam ex eo quod præcedente sensatione tactus in thorace quo percipimus aliquod pondus, imaginatio imaginatur magnam molem super se cadere, quod in re non est, & ita in ea est actio erronea, & delirium in incubis reperitur.

Sed dices: delirium sit à distemperie calida, aut siccata: sed in incubo datur delirium tanquam symptoma ipsius; ergo debet nasci à distemperie, ac proinde hic morbus non solùm in obstructione, sed etiam in distemperie consistet.

Respondeatur semper quod delirium nascitur ab intemperie, verum esse illam debere esse calidam, aut siccā, tamen in sententia Petri Garciae, delirium non causatur à determinata intensione caloris aut siccitatis, cùm multoties experiamur cum remissiori calore esse delirium, & non cum intensiori, quod ex eo est quod aliqua secunda qualitas conduct ad delirium, suppositis illis primis, nempè calor & siccitas: cùm autem in incubo defectu influxus communicandi varietur secunda qualitas, inde est quod cum remissio calore aut siccitate, sit delirium in incubo.

Dices etiam, ex compressione cerebri potest fieri somnus, ita ut diminuta sit communica-  
tionis fluxus à cerebro nervis & musculis thoracis, sicut quando hoc sit ab obstructione in qua dictum est consistere incubum: ergo non solùm in obstructione, verum etiam in compressione cerebri debet consistere. Patet consequentia, quia eodem modo sequentur omnia symptomata pathognomonica ex compressione quam ex obstructione.

Respondeatur dicendo quod si compressio ab illo se sit in parte posteriori præcipue, non est du-  
bitum, quia sit incubus in casu dicto, quod sit idem impedimentum ac per veram obstru-

ctionem ipsius partis. Unde Petr. Garcia venit intelligendus nomine obstructionis quodcumque impedimentum, ut communicetur virtus ad sensum & motum nervis, & præcipue musculis quibus thorax movetur, & sic diminutio virtutis debet intelligi in hoc affectu, præcipue in musculis thoracē moventibus. Constat etiā quod non in omni soporosa affectione debeat reperiri deliriū quod in incubo invenitur, quia in illis præcipue non est obstruc-  
tionis & impeditio communicationis influxus in parte posteriori cerebri, & in musculis quibus thorax movetur, vel si major est obstruc-  
tionis, faciet apoplexiā, aut epilepsiam, quibus sufficienter ratione symptomatum in cubus differt, ut suis capitib⁹ propriis con-  
stabit.


Denique dicimus actionem sensus externi esse læsam in diminutione, ut constat, quia cùm major obstruc-  
tionis sit quam in somno naturali, quid mirum quod sensus & motus di-  
minutè magis quam pro natura sint. Ulterius dicimus symptomata incubi in vigilia non posse stare, quia nequit esse obstruc-  
tionis quam ea valeat causare sine somno.

## C A P V T II.


### De parte affecta in Incubo.

**G**I R C A partem affectam existimarent aliqui esse thoracis venas; nam ex eo quod in illis sit maxima plenitudo, id est taliter affecti existimant aliquod sibi ineumbe-  
re onus, cum hoc tamen isti Autores fatentur cerebrum pati per consensum; alias enim actio imaginativa non poterat esse depravata & erronea, ratione cuius delirium in ea esse diximus.

Hæc tamen sententia peccat ex eo quod li-  
cet hac ratione possit contingere incubus, quando scilicet venæ thoracis patiuntur per propriam passionem, & cerebrum per con-  
sensum cum illis, tamen causam universalem cum hoc solū, talis affectus non explicat: nam ex eo quod cerebrum patiatur per propriam passionem obstrucionem, nullâ adstante plenitudine in venis thoracis, solū ex eo quod patiatur per consensum diminutè solū communicatà virtute musculis thoracis ad motum remanet improportionata virtus cum pondere thoracis, ut diximus, quo sit ut incubus detur per propriam passionem cere-  
bri, nullâ adstante venatum thoracis reple-  
tione: ergo pars affecta non explicatur ab his optimè; sed ita debet explicari ut semper pa-  
tiatur cerebrum sive per consensum cum ve-  
nis thoracis, sive per propriam passionem. Quæ autem pars cerebri afficiatur est dubium, & dicendum est tam partem anteriorem quam posteriorem æquè affici, quia tanta læsio est in imaginatione residentis in parte anteriori, quam in respiratione & sensu, quibus à par-  
te posteriori virtus communicatur.



## DISPUTATIO XVII.

*De Vertigine.*


## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Vertigo, & an habeat species.*

**V**ERTIGO est quædam affectio quæ nomen sumit à symptomate suo ; quia scilicet qui ipsam patiuntur , verti & circumvolui dicuntur , ita ut res quietæ videantur in gyrum moveri ; quapropter sic Avicennas vertiginem definivit *fen. 1. lib. 3. tr. 5. cap. 1.* *Vertigo*, inquit, *est ut habenti ipsam imaginetur quæ res super ipsam volvantur, quare non regit se, ita ut firmetur, immo cadir.* Unde Paulus dixit nasci hunc affectum cum frigidus glutinosusque humor cerebrum occupat. Est ergo vertiginosus aliquis quando imaginatur rem quietam in gyrum moveri , & etiam requiritur quod caput & proprium corpus ejus qui vertigine laborat , videatur moveri.

Hoc ergo prænotato, circa species vertiginis dicendum est quod ex peculiari aliquo accidenti addito supra circumvolutionem , aliam speciem communiter constituunt Medici quæ *scotoma* dicitur , & alio nomine teñebrosa vertigo , ex eo quod hæc species præter circumvolutionem rerum quæ conspi ciuntur , ægroti sensus videtur repente destrui , cum sibi tenebras circumfundi opinantur. Sed juxta hanc modum philosophandi necessariò tenemur assignare aliam tertiam speciem quæ vertiginosi non possint se contine re , sed decidant. Et ratio esse videtur , quia ex eo speciem peculiarem scotiniam dictam constituunt , quia in ea reperitur aliquod peculiare accidens conjunctum , nempe laesio in visione ; sed similiter datur vertigo in qua reperiatur aliud peculiare symptomata spectans ad facultatem motivam ; ergo sicut constituunt secundam speciem vertiginis , tertiam propter eandem rationem debent constituere.

Unde infertur vertiginem differre ab epilepsia , quia in hac reperitur motus concussivus membrorum , in illa vero licet quandoque ægroti decidant , & non possint contineri , nihilominus nunquam talis motus concussivus in ea invenitur.



## CAPUT II.

*Quæres præternaturam sit vertigo.*

**I**MPRIMIS videtur vertiginem non esse rem præternaturam : nam neque est causa , cùm nullus morbus sit qui à verti-

gine producatur ; neque est symtoma , quia hoc debet oriri à morbo : sed in vertigine nullus est morbus à quo oriatur, utpotè nullo existente morbo quotidie experimur , ut res quietas in gyrum videamus moveri, ut patet in talento argenteo existente immoto in fundo vasis , quod videtur moveri , ex eo quod aqua moveatur : & hoc etiam patet fæpissimè in plurimis diversis objectis , nullo existente morbo : ergo semper idem continget , ac proindè in vertiginosis tale symtoma non est necessarium quod nascatur à morbo , ac proindè assumpsum , nempe nullam esse ex tribus rebus præternaturam , manet probatum.

Sed dicendum nobis est vertiginem esse rem præternaturam , quod imprimis constat ex eo quod curationem per remedia medica postulet ; dicimus deinde in vertigine verum & rigorosum symtoma inveniri , à quo ipsa sumit denominationem. Ad cujus assertio nis intelligentiam notare oportet unam & eandem actionem intrinsecè invariata non habere rationem symptomatica & præternaturam , sed ex aliqua impotentia potest nasci naturali , & eadēmet protrsus quantum ad intrinseca se habente fieri symptomaticam , ex eo solum quod adsit morbus à quo dimanet , & hujus stant quamplurima exempla : non ergo erit mirum quod ex eo quod quis videat res externas quæ in re quiescent , moveri in gyrum sine aliquo morbo , semper hujusmodi actio depravata & erronea , sine morbo debeat contingere. Neque ex eo quod in vertiginoso pars quæ elicit actionem intrinsecè codem modo se habeat , dicere debe mus actionem illam depravatam visus non esse symptomaticam ; nam licet pars quæ eam elicit intrinsecè sit invariata , nihilominus actio potest esse symptomatica defectu aliquius requisiti ablati per morbum , licet non sit in cerebro sicut externa visio vitio medij potest esse erronea in naturalibus licet non morbosa , sed solùm provenire dicitur ex aliqua naturali impotentia.


Ex quibus manet solutum argumentum Adversariorum : nam licet eademmet actio intrinsecè invariata dicatur depravata , non tam symtomatica , quia non nascitur à morbo , sed solùm ex vitio medij , & ex naturali impotentia , ut patet quandò videmus numeros quietos in aqua qui videntur moveri , ex eo quod aqua moveatur , nullo existente morbo in parte visionem elicente ; tamen eademmet actio si nascatur à morbo , dicetur sine dubio symptomatica ; hoc autem in vertagine contingit , erit ergo ejus actio præternaturam.

Sed restat dubium explicandum , quisnam morbus sit à quo tale symtoma procedit. In qua re validissima & communis opinio fuit vertiginem consistere in obstructione facta in viis cerebri à flatu crasso contento in ventriculis ipsius : sed hæc opinio non videtur firma ; imprimis quia obstructio nihil facit ad prædictum symtoma , utpotè si non move rentur flatus , ita ut causarent inordinatum motum in spiritibus , ullatenus res apparent in gyrum moveri : sed ad motum flatuum nihil facit obstrucțio ; non ergo ista est morbus

bus à quo tale symptoma nascitur.

Deinde quia illud sine quo poneretur symptoma, & eo posito cessaret, nihil conductus ad hujusmodi symptoma, neque ab eo dimanari dicere quis potest: sed sine obstruktione ponitur symptoma prædictum; nam si citra fatus calcheret cerebrum à Sole, ita ut spiritus asserventur magis quād pro natura, adquisitāque levitate petant locum sursum, appositōque impedimento retrocedant, tunc sine dubio est motus inordinatus spirituum, & sine obstruktione facta à fatus: ergo inordinatus motus spirituum causatus à fatus, per accidens se habet ad tale symptoma, & non est dicendus morbus à quo necessariò sequitur motus rei externæ in gyrum; nam fatus in tantum conducunt ad hoc, in quantum causant motum inordinatum spirituum: sed etiam ab alia causa, ut dictum est, potest nasci hujusmodi motus inordinatus: ergo obstrukcio fatus non est morbus immediatus à quo necessariò tale symptoma nascatur.

Dicendum ergo nobis est tale symptoma non nasci immediate à morbo, sed mediante motu inordinato spirituum; morbus autem à quo talis motus inordinatus causatur, est distemperies calida valens elevare fatus, ad quorum motus moventur spiritus, vel valens attenuare spiritus, ratione cuius sursum ascendat; & cùm impediatur ejus motus, inordinate movetur per totum cerebrum, vel ab impulsu producto a corpore impidente, vel ab aliis spiritibus, vel vaporibus qui ascendunt sursum, & alios expellunt ad latus; sic enim sequitur talis spirituum inordinatus motus: dicitur autem prædicta distemperies frigida, quia non discutit & resolvit fatus, licet in re calida sit, quæ tantum valet eos elevare, & hinc nascitur ratio ob quam in senibus & tempore hiemis talis morbus communiter contingat: nam cùm in senibus sit plurima quantitas humoris pituitosi & fatus: & ex alia parte sit calor minor quād sufficiat ad resolvendum, necessariò est quidquid requiritur ad prædictum morbum, scilicet calor qui valeat elevare fatus, ad quorum motum etiam motus inordinatus spirituum necessariò sequitur: tamen non valet hujusmodi calor ob suam remissionem discutere. Hinc etiam intelligis quare dixit Paulus fieri vertiginem cùm frigidus crassusque humor & glutinosus, cerebrum occupat, loquebatur enim de causa materiali à qua ratione distemperiei calidæ in qua morbus prædictus consistit, elevantur vapores qui causent prædictum motum inordinatum.



### CAPUT III.

*Unde procedat ut in hoc affectu res quiescens appareat moveri.*

**O**MMUNITER ab omnibus defenditur hoc peculiare symptoma quo res quietæ apparent moveri, in vertiginosis nasci ex inordinato motu spirituum,

aut vaporum secum deferentium spiritus: hoc autem nullo alio argumento probat Galen. quād ex his quæ extrinsecus contingunt: nam si quis crebrò circumvolvatur, etiam si quiescat, aliquo temporis spatio videntur res moveri, quasi in gyrum, etiam si quiescant: hoc autem nullam aliam causam habere potest, nisi quod ex illo motu corporis spiritus aut humores moveantur inordinato motu: ergo cùm quis tali laborat morbo, ut videantur res quietæ in gyrum moveri, similis erit causa, scilicet motus inordinatus spirituum.

Sed quæres à quo fiat talis motus inordinatus spirituum, cùm citra occasionem exterioram vertigo accidit: Et Respondeo moveri à flatibus secum spiritus deferentibus. Sed rursus quæres à quo efficienti fatus moveantur in gyrum?

Respondeatur, quod fatus ob levitatem suam sursum moventur; cùm autem inventant impedimentum, revertuntur in latus, secum etiam spiritus deferentes, virtutem verò ad illum motum ad latus ex impidente corpore, motum eorum sursum adquirunt. Sed mihi videtur dicendum illum motum in gyrum non causari à corpore impidente, sed ab impulsu aliorum vaporum, sursum etiam ascendentium propter incompossibilitatem corporum in eadem parte, & sic vapores qui existebant cùm impedianter sursum moveri, & ex alia parte sint alij vapores priores impellentes, à fortiori versus latera debent eos impellere, & sic sequitur eorum motus in gyrum.

Sed cùm non semper inordinatus spirituum motus fiat vi motū vaporum secum spiritus deferentium, ut constat ex Avicenna qui non semper intercedere fatus fatetur, dicendum est quod etiam spiritus possunt inordinate moveri absque alio deferente, ita ut eorum motus vertiginosum symptoma inducat; moventur autem à levitate contranaturam adquisita, & indè fit quod sursum ascendant & detineantur, & vi corporis impeditis ad latus moyentur, ut ait Petrus Garcia, vel impulsu recepto ab aliis spiritibus sursum ascendentibus, ut nos paulò ante diximus; aut possunt moveri ab alio agente, vel motore impellente illos, & quandoque ex motore spiritus exterius, sicut percussione capitatis, & fractione cranij, ita ut comprimat cerebrum & faciat spiritus moveri circulariter, & undose; omnibus autem his modis potest fieri inordinatus spirituum motus, & per consequens vertigo.

Vel dic cum Capivacio talem motū speciem posse nasci ex debilitate facultatis retentricis non potentis retinere, ita ut nullā existente debilitate in expultrice, impellat spiritus, & indè motus eorum inordinatus sequatur.

Sed quæres quæ sit causa propter quam dum quis vidit aliquid in gyrum moveri conversis oculis ad alia quiescentia appareat moveri.

Respondeo ex eo esse quia moventur spiritus quando corpus in gyrum movetur, postea autem conservatur motus ipsorum, duratique facile, ex eo quod sit corpus facile mobile:

mobile : quando autem quis videt rem ad extram moveri , moventur spiritus , eo quod oculus sequitur motum corporis & convertitur versus partes illius , ex quo fit ut spiritus etiam moveantur ab oculis , & postea per continuationem qui existunt in cerebro extensione impulsus moventis; non aliter quam moto vase , moventur partes aquae in eo existentes , etiamsi ipsum vas quiescat , sic ergo moto oculo qui sequitur motum corporis in gyrum , quoad partes corporis convertitur , sequitur etiam motus spirituum qui postea conservatur , & sic quiescentia moveri apparent.

Ex eo autem quod motus qui est sensibile commune modificet speciem sensibilis propriam quae in spiritu recipitur , non sequitur quod ea quae quiescant , appareant moveri , quia species quantumvis modificata motu , non potest esse causa efficiens realis motus , sicut neque si spiritus moverentur ab alia causa , species objecti quiescentis faceret ipsum objectum quiescere ratione illius modi , quia cum non producat ille modus alios effectus materiales , neque motum aut quietem producit.

Sed dices contra nostram doctrinam , ex eo quod medium sensationis moveatur , non est necessarium res externas moveri , ut patet in aere qui est medium ad videndum colores qui etiam si agitetur & moveatur , colores non apparent ut moti : sed spiritus , se habent ut medium per quod defertur species ab externis sensibus ad internos : ergo licet spiritus moveantur , non ideo debet apparere objectum quod videtur moveri , si in re quiescens est . Sed ad id respondent aliqui , spiritus non tantum se habere ut medium , sed ut instrumentum ad actiones , ac proinde sicut ex motu calami verbi gratia qui est instrumentum ad scribendum (& idem dico de quolibet alio instrumento ) scriberet quis trepidè , ita etiam ex motu spirituum qui instrumenta sunt objectum appetet moveri . Tamen contra est quia spiritus non sunt vere instrumentum sicut instrumenta artis ; nam haec effectiva sunt actionum ; spiritus autem nullo modo sunt eliciti actionum , ac proinde nihil mirum quod si instrumenta artis moveantur , sequatur actio tremula , & ob motum spirituum objectum non appetat moveri si revera quiescit .

Sed poterit quis respondere quod spiritus præterdicta munera , & munus producendi qualitatem influxam necessariam ad sensum & motum , habet aliud , scilicet conservandi species & producendi eas in sensibus internis & in cerebro ; quo fit ut si spiritus quiescunt , solùm appareat objectum in uno situ ; si autem moveantur , cum in eis sit species , & eas producant appetit objectum his , seu in duplice situ , quia in diversis partibus cerebri recipitur , & sic appetit objectum moveri quod revera quiescit . Sed contra est , quia non potest habere ortum hoc symptoma ex eo quod species in spiritibus conserventur in absentia objectorum , vel secundum , quia licet fateamur speciem propter spirituum motum bis produci in organo secundum diversas partes ejus , non tamen sequiturappa-

tere moveri , sed solùm duplice operatione cognosci , sicut quantumvis in duplice oculo , vel duplice aure producatur species objecti , nihil aliud facit quam quod duplice operatione cognoscatur , non vero quod appareat moveri : ergo hoc idem contingit in cerebro .

Deinde quia prædictum symptoma non minus contingit quando præsens est externum objectum , quam si abesset : sed quando est præsens , species recipitur in aere medio , qui quantumvis moveatur , non appetet objectum moveri ; ergo similiter quantumvis moveantur spiritus , ex eo quod species in eis recipientur quando est præsens objectum , non apparebit moveri .

Alij dicunt ad prædictum symptoma non sufficere motum spirituum intra cerebrum , sed esse necessarium crassos vapores aut spiritus crassiores factos descendere ad oculos & apponi ante humorem crystallinum , qui in eo spatio moveantur , & sic propter reflexionem specierum per crassos vapores qui moveantur , appetit res quiescentes moveri non aliter quam nummus existens intra aquam , quando aqua movetur per reflexionem specierum nummum representantium per diversas lineas , & non per lineam rectam , quod non contingit in aere ob ejus tenuitatem : ad hoc enim quod species reflectantur oportet corpus quamdam crassitudinem habere . Fundamentum autem hujus est quia non sufficit laesio alicujus actionis internæ ad hoc symptoma nisi visio laedatur .

Sed iste modus dicendi falsus est , sicut & præcedens , quia in vertigine non solùm res externa appetit moveri , sed clausis oculis quando nihil extra videtur , caput laborantis & totum corpus ejus appetit moveri : sed tunc talis motus non potest nasci ex eo quod reflectatur & modificetur species alicujus objecti externi à vapore crasso se movente ante humorem crystallinum : ergo ratio dicta est insufficiens .

Nobis autem dicendum est cum Galeno & Medicorum omnium opinione prædictum symptoma reduci ad inordinatum motum spirituum animalium in cerebro ex eo præcisè quod hujusmodi spiritus habeant ratione medij ad hanc lesionem circa objecta externa , idque ratione specierum , non quidem ut absorbat prior sententia , quia species bis producatur in diversis partibus cerebri discontinuis , ita ut aliqua pars illius sine specie remaneret , sed quia species objectorum in spiritu modificantur ex ejus motu , ita ut objecta apprehendantur quasi quod moventur , ut contingit in aqua mota in qua nummus videtur moveri propter modificationem ejus speciei cum motu medij , scilicet aquae . Neque ad hoc est necesse spiritus adquirere maiorem crassitudinem quam pro natura habent , sed sufficit propria crassities . Unde colligimus impertinens esse ad hoc ut prædictum symptoma sequatur quod spiritus animales conservant species , aut secundum in absentia objecti externi ; quia etiam si non conserventur in eis cum in illis recipientur , & producant alias idem symptoma contingere ex eo solum quod impotentia conserventur species & producantur in spiritibus iterum .

Cum haec nostra se-  
tentia te-  
nemur  
fateri se-  
sū inter-  
nū de fa-  
cio co-  
gnoscere  
sensibile  
comune ,  
scilicet  
motum  
quā  
prīus fuit .  
Afferit-

rit cognitum per aliquem sensum externum, ex eo quod cognoscitur species objecti modificationem per motum spirituum que ad intra motu venient.

Afferit quidam nostræ Scholæ Primarius, doctrinam Petri Garciae circa naturam vertiginis sustineri non posse ob allatum inconveniens à nobis *capit. proprio in margine*, ob speciale argumentum ab eo positum, videlicet quia idem in specie objectum semper producit speciem ejusdem naturæ: sed motus in quolibet corpore est idem in specie; ergo semper producit speciem ejusdem naturæ: sed positâ specie motus albi in imaginazione, imaginatio non conciperet objectum album motum, secùs verò positâ in potentia visivâ: ergo si motus spirituum est ejusdem speciei in hinc cum motu corporis albi verbi gratiâ, & positâ specie hujus in imaginazione, non imaginabitur album objectum motum, ex eo quod non sit denudata, & proportionata talis species albi moti cum imaginatione, sequitur à primo ad ultimum quod species modalis motus, producitur ab spiritibus agitatis ut circumvolutis non possit immutare imaginationem, quemadmodum species albi moti quæ recipitur in potentia visiva, non immutaret imaginacionem si in ea poneretur usquequod denudetur.

Hoc argumentum putat difficillimum, & convincere contra Petrum Garciam evidenter: sed non videt solam diversitatem numericam in speciebus motus sufficere ad hoc ut prædicata quæ de uno verificantur non verificantur de alio, licet in specifica convenienter, ac proinde species motus spirituum poterit esse proportionata, et si hæc non potest immutare imaginationem quia prius debet migrare per sensus antecedentes ad imaginationem. Tota vis argumenti refunditur in hoc quod est non posse imaginationem percipere objectum quod prius non fuerit sensatum per sensum externum; & hæc est difficultas communis, quam in margine adduco in hoc libro, ac per consequens non erit speciale dubium ab eo positum in doctrina Magistri.

Aliud adducit contra Magistrum, scilicet quod sequatur ex ejus doctrina quod prius facultas visiva videat objectum quietum, & postea ut motum: nam prius est potentiam visivam recipere speciem objecti externi quieti, ut reverâ quiescit, & postea quod producatur in imaginatione alia species ejusdem objecti, solo numero diversa, & hac receptâ in spiritibus, ipsisque motis modificetur species sensibilis proprij à motu spirituum; & denique producatur in imaginatione: sed ante totum hoc prius visiva facultas debet elicere visionem objecti ut quieti, quia tali specie informatur: ergo semper debet antecedere perceptio objecti quieti ante perceptionem istius ut moti. Sed non videt hic Autor ita instantaneum esse tempus quod mediat ut non sit sensibile ad hoc ut hæc perceptione distinguantur, & sic nihil contra Petrum Garciam adducit.

Attamen in hac re diverso modo philosophatur, & dicit, absque modificatione ulla motus, objectum reverâ quietum, imaginationi apparere ut motum; ait enim spiritibus in gyrum motis, necessariò producere successivè in diversis partibus subjecti (ce-

rebri scilicet) speciem objecti ad extra existentem quem habent in se receptam, & conservatam; & cùm talis species repræsentet objectum in diverso loco, ex propria natura, vel quia producitur ab agente existente in diverso loco, nempè spiritu, vel quia in diversis partibus cerebri in quibus subiectantur ipsæ species, diversimodè situatum percipitur, quia fiunt plures sensationes successivæ, speciebus receptis in diversis partibus cerebri in gyrum; hinc fit ut absque modificatione ulla objectum reverâ quietum moveri appearat.

Sed tamen contra istum Autorem plura meo videri difficillima militant; nam vel tale objectum appareat moveri in vertiginosis, præcisè propter motum spirituum in gyrum, habentibus virtutem conservandi speciem quæ hoc ipso quod producatur in potentia repræsentat objectum in diverso loco, quia spiritus eam producens, est in diverso loco successivè dum in gyrum movetur; & hoc modo incidit in idem inconveniens, ac ipse Petrus Garcia; nam tunc jam per aliquam speciem repræsentatur motus, hoc est objectum in diversis localibus præsentiis, nam alio modo, percipi non potest motus melius, ut idem Autor fatetur) sed talis species motus ad intra producitur, quin ad extra præcesserit; ergo quemadmodum, per modificationem concessam à Petro Garcia ex motu spirituum, sequitur imaginationem percipere aliquod objectum quod non fuerit perceptum per visum; sic in hac opinione.

Si verò dicas objectum apparere motum, quia prædicta species sensibilis proprij recipitur successivè in diversis partibus cerebri in gyrum. Contra etiam argumentor; nam hoc non est necessarium ut objectum imaginetur motum; nam solo posito, inordinato motu spirituum, si per possibile vel impossibile, omnes species objecti reciperentur in unica parte subjecti repræsentarent objectum sub diversis præsentiis, ut patet in probabiliori opinione dicentium omnes partes extensionis cuiuslibet objecti subordinari in productione speciei impressæ; in quo casu in qualibet indivisibili parte medijs repræsentatur totum objectum extensum: ergo sic similiter licet producantur diversæ species, à diversis spiritibus, vel ab eodem in diversis locis existenti in unica parte subjecti, nempè cerebri, imaginabitur objectum motum, quia quælibet species repræsentat objectum in diverso loco ubi est spiritus speciem producens; ergo impertinens est quod producatur species successivè in diversis partibus subjecti, ac per consequens ruit doctrina Recentioris.

Præterea si successivè producitur species in diversis partibus cerebri, prius fieri debet sensatio objecti in una parte, & deinde in alia, & sic de aliis partibus: ergo quælibet sensatio quæ prior fuit altera, jam præterivit, dum altera subsequetur, in nova parte cerebri: sed si præterivit & non actu est, non poterit objectum apparere vel imaginari ut movetur actualiter, quia ad hoc sensationes in gyrum in diversis partibus simul & actu deberent esse: ergo non appetit moveri

moveri objectum, quia successivè in diversis partibus cerebri producatur species illius.

Si verò respondeas ibi manere conservatas species in diversis partibus in quibus successivè producuntur, & hoc sufficere ut simul per novam excitationem sentiatur, & imaginetur objectum in diversis partibus, sequitur quod clausis oculis sit vertigo: & quia Autor affirmat per parvum tempus non esse inconveniens, quia affirms hoc à fortiori esse concedendum toto tempore quo conservantur spiritus in quibus species subiectabantur, usque dum resolvantur. Probo etiam per multum tempus & etiamsi resolvantur prædicti spiritus vertiginem esse concedendam, adhuc clausis oculis: nam species possunt conservari in diversis partibus potentiae imaginativæ in quibus fuerunt productæ ab spiritibus: ergo poterunt simul excitatis conducere ut objectum sentiatur in diversis partibus clausis oculis: sed hoc ipso erit vertigo, ut ipse Recentior probat; ergo. Et si dicat absentibus spiritibus in quibus species conservabantur, hoc esse impossibile, arguo sic in illum. Cur species existentes & conservatae in diversis partibus potentiae, non poterunt producere in spiritibus qui de novo sunt geniti (clausis adhuc oculis) alias species, sicut species existentes in spiritibus producunt eas in potentia, & in diversis partibus illius, ut Recentior tenet, ac per consequens de novo immutabunt potentiam secundum diversas partes, & erit vertigo per multum tempus, clausis oculis, quod ipse negat.

Dices, primò sequitur ex hoc, sine motu spirituum animalium vertiginem fieri: nam vapore crasso existente moto, intra cerebrum etiamsi quiescat spiritus, fieri productio specierum in cerebro cum ipsa modificatione: fieri ergo idem symptoma.

Respondetur per vaporem motum intra cerebrum non fieri modificationem in illa specie, prout à subiecto, medio quo communicantur species internæ, quia modifica-tio non fit nisi à corpore in quo subiectantur: cùm igitur non subiectantur in vaporibus crassis, sed in spiritibus, indè est quod per motum spirituum fiat modificatio in speciebus, non verò per motum vaporum: sed reverè nullum est argumentum, quod probat non posse in illis vaporibus subiectari species objectorum, ac proindè possumus dicere ut à calumnia Galen. liberemus, nomine spirituum etiam intelligere vapores: dicere autem in spiritibus esse peculiarem dispositionem ut in ipsis species recipientur, & non in vaporibus, videtur ad libitum, & sine ratione.

Dices secundò: species non potest modificari nisi ob sensibile commune quod est simul cum proprio: sed motus medijs est in alio subiecto ac proprium visibile de quo est sermo: ergo species hujus à motu existente in alio nequit modificari. Sed facile Respondetur negando antecedens; non

enim est necessarium sensibile commune esse in eadem parte, ac est proprium, ut faciat dictam modificationem: Et probatur quia medietas baculi existentis in qua appareat densior quam alia existens in aere, solum quia medium scilicet aqua, per quam illa medietas videtur, est densior: ergo non est necessarium quod sensibile commune modificans proptimum, sit in eadem parte in qua est proprium. Et hujus rei stant quiamplura exempla quæ brevitatis gratiâ omitto.

Dices tertiod: licet, ut dictum est, ad prædictum symptomam non sit necessarium quod species conserventur in spiritibus, tamen de facto conservari in eis concedimus: sed si ita est, species quæ conservantur, non poterunt modificari per motum eorum utpote videtur necessarium de novo species debere produci, ut modificentur: sed non possunt de novo produci, cùm similes jam sint productæ in spiritibus, & duo accidentia solo numero diversa in eodem subiecto non possunt existere juxta Philosophos. Ergo.

Respondetur quod licet non producantur de novo species cum eisdemmet quæ conservantur in spiritibus appareret res moveri, si spiritus moveantur, & non esse necessarium quod de novo producantur species. Id patet in exemplo externo: nam ponamus intra aquam quiescentem existere nummum, species ejus reflectitur, & modum quietis habet: nam per motum non redditur aqua apta ad reflexionem, tunc sic moveatur aqua, tunc enim eadem numero species quæ in ea est recepta modificatur illo motu & nummus appetit moveri & anteà quiescere, & ratio est, quia ideo quando objectum movetur product modum in specie sua, quia est modus, scilicet modus in ipso, sed quando movetur medium cum specie quam recipit vel conservat species internum modum diversæ præsentiae successivè adquirit, ergo in alia quam producit, causabit modum qui repræsentet objectum sub tali modo, etiam si motus in alio sit quam in objecto, ac proinde ex eo quod moveantur spiritus animales, talis modus motus potest produci in speciebus quæ in eis conservantur, posteà autem species quæ est in spiritibus modificata per motum eorum, necessariò in potentia interna debet de novo producere speciem modificatam illo motu: nam in specie objecti quæ in potentia conservatur, non potest produci illa modificatio, cùm indipendenter ab spiritibus conservetur in potentia qualibet interna quæ habeat vim conservandi & hoc sufficit ut objectum visibile appareat moveri imaginationi, non autem visui: ad hoc autem ut visui appareat objectum moveri, necessarium est de novo produci speciem ab objecto in spiritibus, quibus motis producatur in ea illa modificatio, & indè species quæ est in spiritu producat aliam modificatam in ipsa potentia, quo fieri ut objectum visui appareat moveri: ad hoc autem ut imaginationi tantum appareat moveri, & non visui, sufficit quod

species objecti quæ cōservabatur in spiritibus per eorum motum modificetur, & rursus hæc species modificata producat similem in potentia, quo sit ut statim imaginetur quin objectum moveretur, transacta verè vertigine, cùm adhuc maneat species cum illo modotus, percipiet imaginatio objectum moveri, sicut anteā, sed non erit talis actio symptomatica, quia jam morbus cessavit.

Ultimè denique dubitatur quâ ratione fiat ut in aliquibus vertiginosis sētiatur proprium caput moveri; & licet aliqui ad imaginacionem depravatam id reducant, tamen non apparet possibile, cùm non sit propria species sensibilis quæ repræsenter proprium caput laborantis; modus autem motus debet modificare speciem sensibilis proprij: cùm autem hæc videatur impossibilis, etiam difficile videtur aliquem vertiginosum posse imaginari proprium caput moveri. Sed dicendum nobis est quod saltim per reflexionem possit dari species propria capitatis illius qui laborat vertigine; hæc autem potest in spiritibus conservari; quo fit ut si moveantur spiritus, illa species modificationem recipiat, & rursus producat aliam in imaginatione, ut paulò *sapræ* diximus; quo fit ut imaginationi appareat proprium caput moveri, licet non visui: hoc autem non omnibus vertiginosis evenit, vel quia non necessariò in omnibus debet esse propria species capitatis, saltim per reflexionem, vel si est talis species in spiritu, potest contingere ut adeò sit remissa, ut non possit intendere illam quæ est in cerebro, licet moveantur spiritus, non perducetur modus in illis speciebus, & sic non apparebit caput moveri. Denique sequitur ibi non esse actionem externi sensus cum deceptione: nam non est visus, cùm clausis oculis hujusmodi symptoma quo proprium caput appetit moveri, contingat: si tamen aliquis esset, maximè tactus; in hoc autem deceptio non potest contingere, quia perciperet objectum quod reverà moveretur, & non aliud; tactus enim solùm percipit rem moveri quatenus eam tangit in diversis præsentii, quo fit ut adhoc ut percipiat objectum moveri, reverà tangat eum in diversis præsentii, & sic quoad motum non possit decipi; in sensu autem visus est diversa ratio, quia percipit objectum per diversas, lineas in quo post esse deceptio.

quia efficiatur per consensum, ut quando ex ventriculo, vel qualibet alia parte descendant vapores ad cerebrum quæ secum movent spiritus, & prædictum motum inordinatum vapores dicti in spiritibus causant. Quod autem cerebrum sit pars affecta, constat ex Paulo dicente fieri vertiginem cùm frigidus glutinosusque humor cerebrum occupat: Et pro hac parte stant quamplures autoritates aphoristicæ, in quibus hoc expressè faretur; brevitatis tamen gratiâ ab eis supercedere decrevi. Quando autem tenebrosa vertigo est, non solum cerebrum, sed oculi patiuntur per consensum, sicut in alia specie in qua concidunt, patitur per consensum spinalis medulla; unde nervi aut musculi motorij procedunt.

Dices contra nos, quia videtur prædictum symptoma contingere citra affectionem cerebri: nam ex eo solum quod oculi patientur, itâ ut ante humorem crystallinum vapor crassus ponatur, itâ ut moveatur, sine dubio apparebit res extrâ moveri: sed hoc symptoma nullius est morbi præterquam vertiginis: ergo cùm possit vapor communicari oculis sine capite, sequitur caput in hoc affectu non necessariò pati.

Sed pro solutione hujus argumenti oportet explicare cuius facultatis sit prædictum symptoma; unde constabit an sola apparatio rei externæ ut motæ constituant illud. Et dicendum nobis est in vertigine actionem facultatis internæ laedi; neque laisionem esse in actione visus, aut alicuius sensus externi necessariò. Ex dictis probatur, quia si ut dictum est, cerebrum est pars affecta: ergo aliqua ejus actio debet laedi: hæc autem affero esse imaginativa potentia, & probatur ex Avicenna dicente, *Vertigo est ut habenti ipsam imaginetur quod res super ipsum volvantur*. Et probatur à sufficien̄ enumeratione: nam in hoc affectu, non est laesa aestimativa, cùm laborantes judicant verè res non moveri, licet moveri imaginacioni appareant: similiter actio memoriz in eis laesa non est, ut patet. Restat ergo laisionem esse solùm in actu imaginationis, quia error juxta simplicia ad imaginacionem pertinet, ut si quis dicat tibicines adesse, error est in imaginativa; sed itâ se habet quando quis apprehendit rem moveri quæ reverà quiescit; ergo cùm hic error sit circa simplicia, ad imaginationem spectat, & est in actione depravata, quia non est ablata, cùm fiat, neque diminuta, quia non est remissior secundum intentionem quam pro natura erit: ergo erit depravata.

Hinc ergo Respondeo ad argumentum suprà positum, concedendo illo modo posse decipi visum, non tamen erit vertigo, quia hæc semper & necessariò postulat laisionem in imaginatione, neque sufficit laisionem in visione sine laisione imaginationis; neque ex laisione sensus externi, sequitur necessariò debere laedi actum imaginationis, ut superiorius diximus, & sic ex laisione solius visus non sequitur idem symptoma, nec vertigo potest dici.

Sed

## C A P V T I V .

*De parte affecta, facultatéque cuius actio est laesa.*

**O**MMUNIS sententia inter Autores est, in vertigine partem affectam esse cerebrum, sive afficiatur per propriam passionem, ut quando in eo sit causa quæ sufficiat pro inordinato motu spirituum, aut

Sed objicies contra dicta, quia si in vertigine actio imaginandi est laesa contra objecta visus, non est ratio cur non laedatur circa objecta tactus & auditus, & ceterorum sensuum objecta, quia omnes indigent spiritibus; ergo cum hi moveantur; objecta omnium sensuum necessariò debent apparere moveri imaginationi, ac proinde non solum erit vertigo circa objecta visus, sed circa omnes sensus erit deceptio; quod experientia constat esse falsum: nam solum ea quae videntur, apparent moveri, non verò ea quae audiuntur, aut tanguntur, etiam si per hos sensus motus & quies percipientur. Et augetur difficultas: nam idem per visum ea quae quiescent apparent imaginationi moveri, quia species sensibilis proprij quae in ea est, modificatur per motum inordinatum spirituum, & sic species representat modum motus: sed similiter species quae sunt in imaginatione sensibilium aliorum sensuum sunt aptæ ad representandum modum motus causatum à motu objecti, & spirituum: ergo tunc percipiet imaginatio objecta aliorum sensibilium ut mota, ac proinde circa omnia erit vertigo, quod est contra experientiam.

Huic dubio respondet Petrus Garcia in vertagine laesâ imaginationem decipi solum circa visibile, & non circa objecta aliorum sensuum externorum, quia laesio illa imaginationis est proportionalis huic objecto visus, & non aliis, ita ut si cum in externis experimur aliquid esse medium aptum ut species quae est in ipso producat aliam cum modo motus; aliquod autem medium ineptum esse ad hoc, ita dicere possumus spiritus esse accommodatos ad productionem modi motus in specie visibili, & non in specie aliorum sensuum externorum, nisi ab extrinseco cum modo motus species aliorum sensuum præter visus sensum, producantur, & ita negandum est species aliorum sensuum modificari per motum internum spirituum, in quo autem consistat hæc diversitas ex parte spirituum, ait Petrus Garcia non posse exactè dici & explicari; quo, meo videri, argumentum videtur in sua prima vi manere.

Sed fortasse posset aliquis respondere non decipi imaginationem circa objectum tactus aut auditus in modo motus, licet spiritus in quibus recipiantur eorum species moveantur, quia potentia non aliter sentit objectum moveri per hos sensus, nisi quatenus tangit objectum in diversa praesentia nunc quam antea (& idem dic de auditu) in quo non potest esse deceptio, ut patet. At verò visus non aliter percipit objectum moveri, nisi quatenus representatur per diversas lineas; cum ergo licet quiescat, potest representari per diversas lineas, ex eo quod moveatur medium in quo recipiuntur (dummodo non sit ita renue, sicut aer in quo non potest esse reflexio specierum) indè evenit ut motis spiritibus in quibus recipitur illa species visibilis, objectum representetur per diversas lineas, licet quiescat, & sic imaginationi appetit moveri.

Dices ulterius: sequitur omnem vertiginosum toto tempore quo laborat vertigine, omnia objecta percipere ut mota, quae in re quiescent: probatur, quia cum spiritus mo-

veantur, qualibet species objecti visibilis modificabitur per motum spirituum, & sic repræsentabit objectum ut motum.

Respondet spiritum non esse necessarium secundum omnem partem moveri, neque species omnes esse in qualibet parte spiritus, & sic non qualibet species modificabitur motu spirituum. Præterquam quod potest non approximari potentia hæc vel alia species, & sic licet sit modificata non apparebit objectum moveri, & quia adhoc ut appareat objectum moveri, debet esse nova productio speciei, aut conservatio, ut *suprà cap. precedenti*, diximus, & sic objecti cuius non sit nova productio, non apparebit motus.

Dices iterum, quia videtur in vertigine non solum esse laesione in imaginatione, sed etiam in potentia cogitativa & memoria, quia imaginativa producit in aestimativa speciem rei motæ quae in re non moventur: ergo aestimativa (& idem dico de memoria) percipit rem moveri quae reverè non movetur, ac proinde ejus actio erit laesa. Deinde quia non minus possunt modificari in spiritibus species cogitativæ per eorum motum inordinatum, quam species imaginativæ: ergo non minus una potentia quam alia percipiet objectum moveri quod reverè quiescit.

Respondet quod sicut potest esse dispositio præternaturam in organo quæ laedatur unam potentiam, & non alteram, ut *suprà in disp. de laesione memoriae* dixi; ita potest esse vitium in spiritu proportionale, ut laedatur actio imaginativæ, & non aestimativæ: neque ex eo quod imaginatio producat speciem objecti moventis in aestimativa, sequitur aestimativam errare, quia potest corrigerem actum, ut de facto contingit, & hoc etiam facit, licet species ipsius cogitativæ modificantur motu: nam facile corrigit illum actum, & cognoscit motum illum solum esse imaginatum. Et ratio est aperta, quia in prædicta potentia nullum est vitium in propria temperie, ac proinde non est quod impedit ad hoc ut corrigit illum actum. Tenebrisca tandem efficitur vertigo ex opacitate corporis in potentia visiva existentis, quæ impedimentum sit etiam lumini externo.

## C A P U T V.

### *De causa Vertiginis.*

**A**d curationem non est parvi momenti (causam vertiginis investigare; sic enim ex Gal. vertigo propter inordinatum motum spirituum, tum humorum, nomine quorum vapores etiam plures intelliguntur: causam ergo hujus inordinati motus querimus. Et ut certa ab in certis separeremus, dicimus vertiginem secundum accessionem aut posse fieri à causa procaractica, vel externa excitante internam morbosam (nam alias vertigo symptoma non erit) aut denique potest fieri citra causam externam.

Causæ procatarractæ vertiginis sunt aspergillus terum externarum quæ circumvolvuntur, aut agitatio ejusdem corporis, vel capitis in gyrum: nam in his spiritus sumunt occasionem ad motum ob rationem *suprà dictam*, tunc etiam quando quis vidit rem ex alto, est occasio ut moveantur spiritus, non quia producatur ab extrinseco aliquod movens, sed medio timore existimo moveri, sicut in aliis passionibus animi. Similiter densitas cerebri à frigida vel secca causa, etiam est occasio prædicti motus spirituum, ex eo quod densato cerebro occluduntur pori & detinentur vapores, qui secum movent spiritus, & in hoc casu est peculiaris ratio morbi consistens in densitate distincta ab alia ratione morbi quæ flatus generantur; nam hæc in distemperie calida consistit, quæ valet elevare flatus, & ab aliquibus frigida dicitur, quia eos non valet discutere & resolvere.

Deinde aliam causam assignat Paulus, scilicet compressio cerebri, aut confractio calvariae, ratione cuius spiritus impulsum recipiunt & incipiunt moveri; deinde calor externus, etiam ad id conducit, aut quadratus elevare valet flatus, attenuando materialem causam ex qua fiunt, crassum scilicet & frigidum humorum; aut quia attenuat spiritus & leviores reddit, siveque incipiunt moveri. Quod significavit Avicennas dum asserit, *Et quandoque fit non propter motum vaporis in cerebro, sed propter malitiam complexionis in ipso.*

Dices: posito quod causæ externæ non causant vertiginem absque interna dispositione quæ sit hæc, ratione cuius in aliquibus sit vertigo, & in aliis non. Resp. internam dispositionem esse debilitatem cerebri, ratione cuius cerebrum non possit detinere spiritus ne moveantur inordinate; accidit etiam quod ratione debilitatis facile recipit tam internas quam externas impressiones. Deinde ex parte spirituum etiam potest esse dispositio ad vertiginem: nam sicut in externis videmus aliqua corpora esse magis apta ad recipiendum impulsum, ut moveantur, alia minus. Idem etiam poterit contingere in spiritu ut propter aliquam causam præternaturam, ita afficiantur patientiæ, ut levi causa accidente externâ vel internâ virtutem recipient, ut moveantur.

De causa interna dicimus esse omnes illas quæ valent spiritus movere, ut vapores calidi aut humores à Galeno adducuntur. De flatibus non est dubium: nam præterquam quod insinuat Gal. à vaporosa materia excitari, experientia etiam compertum & ab omnibus Practicis satis usitatum, ut plures hoc morbo affecti liberentur, sectione arteriarum post aures, quia impeditur communicatio vaporum ad cerebrum per illas vias. Avicennas magis universaliter locutus fuit, dicens in omni specie vertiginis incipiendum esse à sectione venæ cephalica, & deinde venas quæ sunt post aures debere secari, non aliter nisi quia per hoc impeditur vaporum communicatio.

Sed dubitabis an vertigo sit ab humore mediato, idest an sit necessarium in flatum

mutari ab ipso humore, immediate fiat. Et dicendum est ut plurimum fieri ab humore mediato, idest converso in flatum, quia opus est causam sursum moveri, & hunc motum non possunt habere humores, tamen non implicare fieri aliquando ab humore, nullo interveniente flatu: nam poterat humor moveri sursum à parte irritata impulsa communicato, in quo casu inordinatum motum spirituum causabit, ac proinde vertiginem, à flatu tamen fieri frequenter certum esse debet.

Inde fit etiam non solum à pituita, sed ab omnibus humoribus posse elevari flatus qui sufficiant pro motu inordinato spirituum, verum etiam ipsi humores immediate, ut dicimus paulò *infra*, quando possunt moveri sursum ratione impulsus ab aliqua parte irritata; quo fit ut ab omnibus humoribus tam mediato quam immediate modo explicato vertigo causari possit.


## CAP V T VI.

### *De differentiis Vertiginis.*

**G**O M M U N I T E R jam receptum est ab omnibus Autoribus tres esse species vertiginis; prima per propriam passionem: Secunda per consensum cum omnibus venis, vel saltim cum majoribus & amplioribus quæ in corpore sunt: Tertia per consensum cum ventriculo: istæ autem tres clauduntur in duobus, hoc est quando patitur per propriam passionem, vel quando patitur cerebrum per consensum; in omnibus autem debere pati cerebrum certum est ex dictis: nam alias non esset aliqua ejus actio lœsa; contrarium autem experientia constat, cum videamus in vertiginosis lœsam esse imaginationem; signum ergo est evidens pati cerebrum in qualibet hujus effectus specie.

Licet autem Autores solum faciant mentionem de illa specie vertiginis in qua patitur cerebrum per consensum cum ventriculo. Tamen non est dubium quin sint aliae partes cum quibus cerebrum consentit & vertiginem pati solet, tales sunt uterus atque cor, ex quibus & aliis possunt vapores elevari, licet ut plurimum fiat ex stomacho; ob quod ventriculi in speciali faciunt mentionem Autores.

Sed adverte quod quando fit per consensum cum ventriculo, non est necessarium ob hoc communicari aliquam substantiam cerebro; sed satis est communicari qualitatem fine materia: quænam autem hæc sit dubitatur, & dicimus nullam esse qualitatem secundam, cum hæc per continuæ alterationem produci nequeat, esse tamen calorem communicatum per continuæ altetatione qui valet spiritus attenuare, ratione cuius sursum inveniuntur, & ejus motus inordinatus fit, ac proinde vertigo.



## DISPUTATIO XVIII.

*De Epilepsia.*

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Epilepsia, & in quo consistat natura hujus morbi.*

**E**PILEPSIA ab omnibus Medicis inter soporosas affectiones solet connumerari & præcipue apud Aristotelem in fine lib. de somno & vigilia, & à Galen. sic describitur lib. 3. de locis cap. 7. dicens *Atque morbus comitalis, convulsio est omnium partium corporis; non perpetua, sicut in emprosthotono, & opisthotono & tetano videre est, sed quæ ex temporum accedit intervallis; neque solum hac re, sed mentis quoque ac sensuum oblatione. Ex jam dictis convolutionum generibus differt.* Ubi verbum *convulsio* ponitur loco generis, & per verbum *non perpetua*, differt ab illis speciebus convolutionis numeratis in definitione in quibus perpetua convolutione repertur, id est longo tempore durans; in epilepsia vero non est perpetua, id est non durat per longum tempus, sed quibusdam intervallis adest, & postea cessat; tum etiam quia dicta convolutione quæ in epilepsia, morbo comitali dicta repertur, est simul cum laesione sensus & motus, ut potè in ea cerebrum afficitur, & in aliis convolutionibus non.

Avicenn. tamen *fen. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 8.* sic explicat ejus naturam, *Epilepsia est agritudo prohibens membra animata ab operationibus sensus & motus & erectionis non integra.* Ecce ubi Galen. per symptomata, & Avicen. per morbum epilepsiam definiunt, ut frequenter esse solent.

His ergo prælibatis, quæritur in quo consistat hujus morbi essentia. Circa quod communiter solet affirmari epilepsiam consistere in obstructione ventriculorum cerebri. Et ratio quæ pro hac sententia adducitur, est sequens, quia in epilepsia est privatio sensus interni & externi, ita ut sit unum ex ejus symptomatibus: sed nequit esse privatio hujusmodi, quin sint obstructi ventriculi cerebri, cum aliter non possit impediti transitus spirituum animalium: ergo in obstructione debet consistere.

Alia est opinio afferentium hunc morbum non consistere in vera obstructione ventriculorum cerebri: Et probant primò quia si epilepsia in obstructione ventriculorum vera consistit, non differret ab apoplexia quæ in obstructione etiam consistit, & ab eodem humorē facta. Neque valet dicere in apoplexia esse majorem obstructionem & sic differre ab epilepsia in qua multo minor est. Tamen contra est, quia sequitur ex hoc semper præce-

dere epilepsiam quando quis laborat apoplexiā: probatur; nam cùm repletio illa cavitatum in apoplexia non fiat simul, necessum est ut præcedat minor repletio ad maiorem repletionem necessariam ad apoplexiā: sed si necessariō debet præcedere minor repletio in ventriculis, necessariō debet præcedere epilepsia, cùm hæc in minori repletione consistat: ergo nequit dari apoplexia quin præcedat ad eam epilepsia, quod est absurdum, ac proinde non secundum magis & minus in genere obstructionis differunt: debet ergo epilepsia in alio quam in obstructione ventriculorum consistere. Et simili fundamento etiam debebamus colligere etiam post apoplexiā sequi epilepsiam, cùm illa obstructio apoplexiæ non deficiat simul, sed successivè, ac proinde dum diminuitur, est minor obstructio quæ non sufficiat ad apoplexiā, & constitutæ epilepsiam.

Similem sententiam huic tenet Rondeletius *cap. de epilepsia*, ita ut affirmet non solum epilepsiam per propriam passionem, sed etiam per consensum, non consistere in obstructione; sed solum in hoc affectu propter irritationem concuti cerebrum ad expulsionem nocentis. Et probat, quia si in obstructione ventriculorum cerebri consistet impedita communicationem spirituum animalium, sequitur quod sicut in epilepsia cessat sensus, cesseret etiam motus, aut remissiori modo fieri, cùm eadem sit virtus ad utrumque: sed constat motum valde intensiore fieri; non ergo in obstructione consistit. Secundò quia sternutamentum est quadam epilepsia parva, & tamen in illa nulla est obstructio, sed quadam irritatio facta in cerebro, mediâ quâ movetur ad expellendum nocivum: ergo idem in epilepsia magna debet contingere.

## CAPUT II.


*Quo pacto solvant Autores argumenta Fernelij & Rondeletij adducta.*

**V**I SUM fuit in præsenti cap. argumenta supra posita à Fernelio & Rondeletio dissolvere juxta aliorum placita; & quidem qui affirmant epilepsiam in obstructione consistere, respondent ad argumentum Fernelij dicendo non esse necessarium epilepsiam semper præcedere apoplexiā: nam licet verum sit quod successivè apoplexia fiat, ita parvo tempore causatur, ut illa minor obstructio quæ physicè præcedit non est sufficiens ad causandam epilepsiam medicam, nam ita parvo tempore durat, ut prius quam accidentia epilepsiae sensibilia sint, sit integra cerebri obstructio, ac per consequens apoplexia, & ejus symptomata, & idem dico de epilepsia quam dicebant subsequi necessariō ad apoplexiā: nam propter eandem rationem propter quam diximus epilepsiam non debere præcedere ad apoplexiā, debemus dicere non subsequi ad eam.

Ad argumenta Rondeletij respondent Autores

tores & ad primum dicunt communiter omnes motum illum qui in epilepsia reperitur non fieri à facultate animali motiva, & ideo non indigere virtute cerebri aut spirituum; quando autem dicitur majorem virtutem requiri ad motum quam ad sensum, intelligitur de motu facultatis animalis, quæ subordinatur appetitui. Cum hoc tamen verum sit quod in apoplexia, & epilepsia partes non omnino privatim virtute ad sensum & motum, sed remisè communicari à cerebro; quæ sit ut non sentiant nisi objectum sit intenso valde molestans.

Ad secundum argumentum dicimus sternutamentum in rigore non esse veram epilepsiam parvam, adhuc per consensum, dici tamen parvam epilepsiam propter similitudinem in motu, quo facultas intendit expellere nocivam. Hoc autem responsum est juxta opinionem dicentium epilepsiam in obstructione consistere; in quavis tamen opinione negandum est, epilepsiam esse veram convulsionem, ut *infra* latius dicemus.



### C A P U T III.

#### *In quo ponitur vera sententia.*

**N**O BIS autem circa hanc rem videtur dicendum solam cerebri obstructionem non sufficere ad generationem epilepsiae: nam duobus modis epilepsiam posse fieri dicimus, aut cum vera obstructione, aut citra illam, semper tamen erit verum epilepsiam esse morbum instrumentalem consistentem in cavaitate vitiata.

Quod vero sola cerebri obstructio non sufficiat ad epilepsiae generationem, sic notum facio: nam unum ex symptomatibus pathognomonicis epilepsiae, est concussio omnium partium corporis, vel plurium nervosarum, sed per solam obstructionem talis concussio fieri nequit, sicut non est quando in qualibet alia cavitate partis sentientis est humor obstruens: ergo morbus non est sola obstructio; sed potest fieri citra illam, quando videlicet cerebrum irritatur ab humore, sive per propriam passionem, sive per consensum, sive obstruat, sive secus, quo sit ut cerebrum comprimitur ad expulsionem illius versus ventriculos ejus. Ecce ubi datur morbus in cavitate vitiata per compressionem cerebri sine propriæ dictâ obstructione, non est ergo ad epilepsiam necessaria, neque sola sufficit. Quam sententiam clare dixit Avicen. & Gal. & alij plures Autores afferentes præter obstructionem necessariam esse irritationem in cerebro, ex qua concussio quæ repetitur in epilepsia sequatur. Quod totum late qui voluerit videre, potest apud nostrum Petrum Garciam in hac dissertatione, capite praedito.

Vallesius noster circa hanc rem existimat quod licet obstructio epilepsiae ab obstructione apoplexia differat secundum magis & minus, ut constat ex Gal. 4. de loc. cap. 2. dicente, *Verum in sopore & morbo comitiali rentes magis cerebri, corpus minus &c.* Ta-

men morbum constituentem epilepsiam non differre secundum magis & minus à morbo constitutive apoplexiā: nam symptomata horum morborum non differunt secundum magis & minus; nam in apoplexia est actio sensus & motus ablata, in epilepsia est actio quantum ad motum depravata: ergo hujusmodi affectus non differunt secundum magis & minus, licet quoad obstructionem ita differant, quia privatio sensus in utroque morbo secundum magis & minus est.

Sed ratio quæ *sprā* est posita ad probandum necessariò reperiiri aliquam obstructionem in epilepsia indiget examine; sumitur autem ratio ex defectu sensus interni & externi, qui non posset esse nisi adstet obstructionis impediens communicationem spirituum animalium à cerebro in omnes partes. Nobis autem videtur dicendum quod licet in epilepsia sit humor in cerebro obstruens ejus ventriculos, nihilominus non esse necessarium ut symptoma dictum sequatur, scilicet privatio sensus interni & externi. Assumptum probo: nam hujusmodi privatio potest procedere ab alia causa nempe ex compressione ipsius cerebri, quæ moveret ad expellendum nocivum humor irritantem, quæ non minus cavitates occupat quam humor: ergo eodem modo impedit communicationem, ac proinde idem symptoma sequitur ex oppressione cerebri versus ventriculos quam ex vera obstructione ex symptomate: ergo non colligitur necessariam esse obstructionem, licet fateamur hanc reperiiri in epilepsia.

Sed dices, sequitur ex hac doctrina, quod durante ipsâ accessione per intervalla partes privari sensu, & postea minimè quod est contra experientiam. Sequelam probo, quia quando comprimitur cerebrum, est defectus spirituum animalium; quando vero dilatatur spiritus, debent communicari; siquidem cavitates sunt majores, quo sit ut in ipsa accessione, modò sit privatio sensus, modò non.

Respondet eadem vim habere argumentum in opinione, dicentium epilepsiam per consensum fieri sine vera obstructione solum per compressionem cerebri; siquidem etiam in illa quæ per consensum sit, est defectus sensus. Præterea respondeo intra exiguum spatum fieri hanc cerebri agitationem, ita ut ventriculi destituantur spiritibus, ac proinde toto tempore accessionis, erit privatio sensus: est ergo tanquam certum tenendum quod in epilepsia quæ sit concussione cerebri, non est obstructio morbus à quo procedit ille motus concussivus.

Hinc sequitur morbum à quo ille vitiosus motus oriuit esse illum à quo procedit dolorosa & molesta sensatio, sive sit solutio continua, sive distempuries, ut quis voluerit opinari; respectu veræ privationis sensus, morbus est occupatio cavitatum ab alio corpore, sive per obstructionem, sive compressionem cerebri, ut *sprā* dictum est. Neque ex eo quod in substantia cerebri sit exiguis sensus, colligere debemus irritationem dictam in ea non sentiri, quia licet sit in substantia cerebri exiguis sensus, sufficiens tamen ad percipiendam irritationem objecti valde molestantis, unde irritation non sit in membranis

membranis solum; sed in substantia cerebri, ut potè membranæ non moventur ab insita facultate, sed ad motum substantiæ cerebri, & sic ad motum convulsivum oportuit irritationem in substantia fieri; alias enim non fieret talis motus; neque est credibile cerebrum moveri in subsidium membranarum facta in his tantum irritatione, quia principalior est pars cerebrum ipsis membranis, & sic non potest moveri in subsidium alterius minus præcipuæ; posset autem moveri si esset pars minus præcipua.

Dices: sequitur ex nostra doctrina quod in epilepsia per propriam passionem posse cerebrum concuti sine aliquo sensu qualitatis irritantis, ex eo solum quod humor obstruens impedit motum naturalem ipsius cerebri. Probatur; nam eadem facultate quam moventur cor & arteriæ, movetur cerebrum: sed cor & arteriæ sola variatione finis sine cognitione ejus, diverso modo moventur: ergo similiter cerebrum per solam obstructiōnem impudentem motum ejus naturalem, poterit vario motu moveri & concuti.

Respondetur quod quantumvis impedimentum sit ad motum naturalem tam in corde quam in arteriis & in cerebro, solum faciet majorem dilatationem aut compressionem celeriorem, aut crebrei pro diversa urgentia finis; motum vero concussivum nunquam fieri sine irritatione quæ cogat facultatem illum modum motus facere quo concuti videatur.

Unde inferimus duplēcēm esse modum quo fit epilepsia juxta Gal. doctrinam, primum per concussionem cerebri (an vero hæc sufficiat ad motum nervosarum partium cap. sequenti videbimus) alio modo fit epilepsia per obstructionem cerebri sine concussione ipsius, ita ut communicetur causa aliqua irritans origini nervorum, quam motus concussivus in partes corporis sequatur, in quo casu erunt omnia symptomata pathognomonica epilepsiae: nam defectus sensus causabitur ab obstructione, & concussio partium corporis à portione humoris irritantis communicata origini nervorum.

Dices: si obstruitur cerebrum, necessariò concutitur ad ejus expulsionem, quia irritatur, & sic semper erit concussio in cerebro.

Respondetur Gale, nunquam fecisse mentionem hujus motus cerebri causati vi humoris impudentis & obstruentis, & dicimus quod licet concedamus reperi, esset impertinens ad talem affectum, quia sine illo sunt necessaria symptomata.

multories vocasset convulsionem motum convulsivum, constat ex ejus doctrina quampluribus in locis, quos quisque videre potest apud Garc. in hoc cap.

Sed dubium est, an nomen *convulsio* in definitione epilepsiae significet verā convulsionem, an vero motum convulsivum: circa quod Comes Montanus tanquam certum supponit nomen *convulsio* in definitione epilepsiae significare rigorosam & veram convolutionem, & non motum convulsivum: quod licet ille non probet, probari potest ex eo quod convulsio est contractio muscularum versus suam originem præter voluntatem: sed hujusmodi est in epileptico motu; ergo in epilepsia est vera convulsio.

Sed vera sententia est in epilepticis non esse veram convolutionem, sed solum motum concussivum, sive contractio illa muscularum fiat per motum cerebri, sive per irritationem in origine nervorum. Et probatur: nam in nulla vera convolutione talis modus reperitur in musculo laborante: ergo non est cur dicamus motum epilepticorum esse veram convolutionem, ut potè est modus motus qui in vera convolutione non invenitur.

Præterea quia dixit Galen, quod convulsio epilepticorum non erat perpetua sicut in opisthotono, emprosthotono & tetano: sed potius per certa intervalla repeteret: sed si esset vera convulsio, nulla esset causa ob quam non esset perpetua, sicut prædicta: ergo. Et ratio fundamentalis est quia vera convulsio, aut per repletionem, aut per inanitionem causari debet: sed quæ reperitur in epilepsia nullam causam istarum habet, non ergo est vera convulsio.


Hinc respondeo ad argumentum *suprà* possum, quia licet motus epilepticus sit per contractionem nervorum versus suam originem, nihilominus quia illa contractio non sit à morbo solum, sed à facultate, id est vera convulsio non potest nominari; requirit enim ad veram convolutionem tanquam conditio necessaria quod contractio fiat à solo morbo.

Hinc sequitur motum concussivum esse inseparabile symptomma cuiuslibet speciei epilepsiae: nam etsi ab Avicen. dicatur aliquam speciem sine illo dati, debet intelligi sine motu concussivo in ipso cerebro, quando scilicet fit epilepsia à materia obstruente, & non irritante; nunquam tamen fit epilepsia sine motu concussivo muscularum per communicationem portionis humoris, origini nervorum, vel muscularum irritantis ad ipsum motum.

Denique dubitamus an prædictus motus concussivus in epilepsia debeat esse universalis, ita ut in qualibet specie epilepsiae omnes corporis partes moveantur. Et respondeo verū esse ad epilepsiam omnes muscularos simul agitari in qualibet parte, neque in rato paroxysmo cuiuslibet epilepsiae simul: neque in definitione dicitur omnium partium, aut universalis convulsio, quia actu ita sit; sed quantum agitat ex vi morbi, ita possit fieri.

Sed quæres, unde nascitur ut quidam epileptici convellantur, & alij non, sed unius secundum alias partes, & alij secundum alias.

Respondetur



## C A P U T IV.

*An vera sit convulsio in epilepticis.*

*N*ostram con-  
vulsivum  
non esse id  
dilata-  
tionis &  
compre-  
ssionis,  
sed tu s erit noster iermo; & quidem quod Gal.

**P**OST QUAM jam egimus de natura epilepsiae, restat quod agamus de ejus symptomatibus: & quidem duo sunt ac motu à nobis enumerata, privatio sensus, de quo satis dictum habemus, & convulsio universalis totius corporis, de quo in præsenti to-

Respondeatur in opinione dicentium con-  
cussionem omnium partium oriri à concus-  
sione cerebri, consequenter debemus dicere  
id evenire quia cerebrum non irritatur secun-  
dum omnes partes, & ita solùm illi musculi  
moventur qui correspondent parti cerebri  
quæ moveruntur. In alia verò opinione dicen-  
tium musculos moveri ratione communica-  
tionis humoris irritantis versus ejus originem  
facilius respondemus dicendo illos musculos  
moveri quibus in eo tempore fuit communi-  
cata materia quæ valeat irritare.

Si verò loquamur de motu muscularum,  
qui sit communicata aliquâ portione humo-  
ris irritantis ad originem nervorum, nullo  
adstante motu concussivo in cerebro, & sola  
obstructione ejus ventriculos occupante, ra-  
tione cuius in epilepsia est privatio sensus;  
tunc dicimus hujusmodi motum pertinere ad  
facultatem animalem motivam, quia fit præ-  
cedente cognitione seu sensatione: si enim  
non esset irritatio, talis motus in eis non  
esset quo concutiuntur ad expellendum no-  
civum.

Neque contra nostram conclusionem fa-  
cit, quod si ille motus sit à facultate animali  
motiva, & eadem virtus est ad sensum & mo-  
tum, quomodo intensus est motus?

Respondeatur etiam in illa parte, quæ mo-  
vetur esse virtutem ad sensum, & de facto  
sentire, haberéque sensum proportionatum  
ad talem motum; etiamsi sensus remissior sit,  
quam in bene valentibus; sufficiens tamen  
virtus est ad sensum proportionatum cum il-  
lo motu, etiam si vis diminuta sit.

Sed mihi videtur dicendum contra Petr.  
Garciam, etiam motum concussivum cere-  
bri esse animalem, quia fit præsupposita sen-  
satione, sicut motus muscularum qui à no-  
bis dicitur animalis.

*Non ne-  
gat Petr.  
Garcia  
motum  
cerebri  
esse ani-  
male, sed  
motum  
musculo-  
rum fa-  
ctum vè  
morùs ce-  
rebrí, si-  
cūt mo-  
tus rami  
moto  
truncu-,  
quod non  
contra-  
dit  
Petr.  
Garc.*

## C A P V T V .

*Cujus facultatis symptomata sit  
haec concusſio.*

**P**ro hujus rei exacta intelligentia no-  
tare oportet, vel in præsenti esse ser-  
monem de motu concussivo ipsius ce-  
rebri, de quo ait Petr. Garcia tunc moveri  
cerebrum per modum naturæ, licet ab ani-  
ma sentiente procedat, estque respectu hu-  
jus actio depravata ex irritatione præcedenti,  
deinde non est dubium ibi reperiri naturalis  
facultatis expellentis symptomata, quando ce-  
rebrum lacessitur & concutitur ad expulsionem.

Sed in præsenti solùm est sermo de motu  
concussivo muscularum, circa quod Valle-  
sius affirmavit lib. 5. controversial. cap. 16. esse  
symptoma facultatis animalis motivæ execu-  
tivæ motus: Et probat ex eo quod talis mo-  
tus fit præcedente sensatione, vel cognitione,  
& mediis muscularis fit media irritatione: ergo  
est motus animalis. Neque valet dicere hunc  
motum non posse à nobis cohiberi, & sic  
non esse animalem & voluntarium, quia etiam  
si respiratio dormientium à dicta facultate  
animali fiat, tamen ejus motus à facultate  
non potest cohiberi propter impedimentum  
somi: sic ergo in epilepsia talis motus ne-  
quit cohiberi ratione morbi, contrarium autem  
contingeret si non esset morbus: Præter-  
quam quod ego existimo non esse de ratione  
motus animalis quod nos possimus eum co-  
hibere, vel non: juxta hanc verò Vallesij sen-  
tentiam musculari moventur virtute communi-  
cata à cerebro, tali enim dispositione indi-  
gent ad actionem illius facultatis.

Nostra tamen sententia sit, quod si loqua-  
mur de motu muscularum qui fit ex motu  
ipsius cerebri se habentis ut trunci, & mus-  
culi ut rami ab eo procedentes; tunc sicut  
moto trunco ad ejus motum moventur rami,  
sic moto cerebro ad ejus motum, musculari ab  
eo dependentes moventur, qui motus in mus-  
cularis est omnino naturalis, quia neque fit à  
muscularis ratione sui, sed ad motum alterius:  
neque fit in eis præcedente cognitione sen-  
satione: ergo quando musculari ad motum  
cerebri moventur, ejus motus omnino natu-  
ralis est, & nullatenus requirit irritationem  
nec sensationem præcedentem in eis: quo fit  
satis ad argumentum Vallesij qui absolutè de  
motu muscularum loquens, ait esse facultatis  
animalis motivæ.

## C A P U T VI .

*Quæ pars affecta in epilepsia.*


**O**MMUNIS consensus omnium Me-  
dicorum est in epilepsia partem affectam  
esse cerebrum, sive dictus affectus sit per pro-  
priam passionem, sive per consensum, quod  
ex laesione actionum quæ in eo contingit ma-  
nifestum sit.

Sed cum supra dixerimus hunc morbum  
esse instrumentalem affectis cerebri ventricu-  
lis, vel ab humore crasso & glutinoso, vel  
sola compressione cerebri, nunc in præsenti  
examinandum restat, an hujusmodi affectio  
debeat esse secundum omnes cerebri ventri-  
culos, an verò solùm secundum aliquos. Cir-  
ca quod breviter nobis dicendum est pati ce-  
rebrum secundum omnes ejus ventriculos, &  
imprimis quod secundum anteriores patiatur,  
constat ex eo quod ita affecti frequenter lae-  
sionem patiuntur in visu, & auditu, & in his  
quæ pertinent ad faciem, ita ut motus de-  
pravati lacertorum, faciei & palpebrarum  
sequantur, & sic frequenter eorum quæ per-  
tinent ad faciem, quæ omnia ex anteriori  
parte cerebri procedunt, ex eo quod nervi ab  
illa deriventur, & dependant; signum ergo  
est partem anteriorem cerebri pati, cum nervi  
qui ab illa originantur, laedantur & depra-  
vati moveantur.

Quod autem medium ventriculum pati-  
tur, constat ex laesione cogitativæ quam in  
hoc affectu experimur relidere in medio  
ventriculo: Et similiter probamus posteriore-  
rem ventriculum pati ex laesione respiratio-  
nis & aliarum partium quæ à posteriori ven-  
triculo originantur. Sed adverte nos non col-  
ligere pati ventriculum posteriore, exeo  
quod

quod museuli quibus thorax movetur, originem ducant à ventriculo posteriori : nam, ut docet Gal. ab spinali medulla dimananat quæ in cervice est ; sufficit tamen ad veritatem nostræ sententia spinalem medullam à posteriori parte cerebri procedere, ita ut ex læsione illius partis cerebri respiratio lædatur, etiam si possit lædi ex læsione solius spinæ. Galenus tamen in fine cap. 7. lib. 3. de locis dicit. *Cum itaque spirationem vehementer impediat difficulterque procedentem videris, non parvam in cerebro morbidam dispositionem esse conjicere debes; idque in seporosis morbis quos nimur omnes in cerebro fieri manifestum est.*

Unde deducimus læsionem in respiratione non esse tam intensam, sicut in apoplexia, & esse intensiorem quam in caro. Unde etiam fit omnes internas actiones, scilicet cogitativam, memoriam & imaginationem læsionem pati quoad diminutionem, & de imaginatione de qua poterat esse majus dubium constat, quia jam probavimus partem anteriorem cerebri lædi, in qua præcipue vis imaginandi residet. Quantum vero attinet ad læsionem rationis & memoriæ, perpendite verba Galen. 3. de locis, cap. 7. dum dicit: *Accedit ad hæc, ut is, qui sic laborat, neque videat, neque audiat, neque ullo sensu quidpiam percipiat, ac ne consequi quidem possit, quid factum sit: sed cum memoria viribus ratio quoque luditur. Quibus verbis clarè constat in hoc affectu estimativam & memoriam læsionē pati.*



## C A P U T VII.

### *An epilepsia fiat à pituitoso & crasso humore.*

**M**AIOR Medicorum pars tenet epilepsiam per propriam passionem semper fieri à pituitoso & crasso humore, qui tanquam excrementum cerebri ponitur, & per nares & palatum expurgatur; quo sit ut si hujusmodi humor non expurgetur, incident homines in epilepsiam per propriam passionem. Quod confirmat Gal. & alij plures antiqui Autores & confirmant ex subita hujus affectus generatione & discussione quæ non fieret si ab intempérie alia caufaretur.

Sed hanc communem veritatem turbare videntur aliqui Autores existimantes epilepsiam non fieri à frigido & crasso humore, ut vulgo intelligitur. Probant primò quia si ab hoc humore fieret, non esset differentia inter apoplexiā, paralyssin, & epilepsiam, cùm omnes ab eodem humore caufarentur; sed facilè huic argumento possumus respondere pro prima sententia dicendo sufficienter separari hujusmodi affectus penes tam diversa & manifesta symptomata quæ in eis reperiuntur, & ratione majoris, vel minoris obstructionis, licet ab eodem humore fiant.

Dices epilepsiam & apoplexiā etiam differre in causa: sed apoplexiā fiat à frigido & crasso humore: ergo epilepsia ab eo non fit: Antecedens probo: nam epilepsia potest fieri per consensum, nervis aut cerebro non obtinentibus causam; apoplexiā autem minimè: ergo differunt in causa, tum quia epilepsia fit subito, apoplexiā vero & paralyssis minimè:

differunt ergo in causa. Sed ad hoc etiam possumus satisfacere pro prima sententia dicendo quod sicut epilepsia potest fieri per consensum per susceptionem alicuius indebiti ab alia parte communicati, ita etiam causa faciens apoplexiā potest ab alia parte mitti in cerebrū, ac proinde erit apoplexiā per consensum; quod autem probat argumentum est quod quando epilepsia fit per consensum, non contingat ex crasso humore, non vero quando fit per propriam passionem quod nos fatemur libenter, & dicimus crassum humorē non esse causam universalem omnis epilepsiae, ut cap. seq. clarissimum patebit. Verum tamen est quod epilepsia quæ fit per consensum potest curari remediis solum adhibitis in parte primaria affecta mitiente, quod in apoplexiā per consensum non potest fieri: hoc autem nascitur ex eo quod cùm in epilepsia ratione motus concussivi cerebri, humor vel vapor missus ab alia parte in ipsum expellitur, & discutitur, quod non contingit in apoplexiā.

Nobis igitur sententiam & Gal. placitum amplectentes, dicendū est, epilepsiam à frigido & crasso humore obstruente fieri, & similiter à flatibus qui sine dubio obstruere valent, & impedire possunt communicationē spirituum, ut cap. de Apoplexia manifestè patet. Quod placitum sufficienter possumus defendere solutione argumentorū quæ pro contraria parte adducuntur, & præterea ratione tradita ab ipso Gal. quæ sic se habet: Epilepsia subito fit & solvitur; ergo non fit à siccitate, sed ab humorē crasso obstruente. Ubi adverte non excludere flatus à causa epilepsiae, sed solum posuit exemplum in humorē: ergo juxta Gal. certum est ab humorē crasso epilepsiam caufari posse, quin in ejus ratione flatus excludat.

Sed contra Gal. rationem arguit Averroës 1. 3. collectaneorum c. 41. nam dissolutio humoris debet esse per coctionem, nam nihil aliud est quam dominatio naturæ supra humorē, decoquendo ut retineat quod est conveniens nutrimento, & aliud expellat: sed hoc in humorē frigido & crasso non potest fieri, nisi longo tempore, ergo non optimè colligit Gal. epilepsia subito generatur & dissolvitur: ergo caufatur ab humorē crasso & frigido. Sed facile respondeatur pro Gal. nostro, dicendo dissolutionem in epilepsia non fieri per coctionem; hæc enim quam longum tempus peteret: sed per expulsionem humoris aut flatuū à ventriculis cerebri qui humorē vel flatu erant obstructi, & impediti; hæc autem expulsio non requirit longum tempus, & sic subito fieri dixit Galenus.

Dices: humor tenuis facilius pellitur & brevius: ergo non ex eo quod subito dissolvatur epilepsia, debemus colligere ab humorē crasso & frigido caufari: sed potius ab humorē tenui. Sed respondere possumus humorē tenuē facilius imbibiti in substantia partis lœsae ratione pororū, & sic difficilius expellitur. Quod confirmat quod humorē crassi existentes in ventriculo facilius expelluntur quam tenues, immo uti solent adeo imbibiti ut singultum excitent.

Unde fit quod licet à crasso & pituitoso humorē epilepsia caufatur, non ideo frequenter in senibus reperiri dicendum nobis est, ex eo quod in his magna qualitas hujus humoris generatur. Ratio autem cur in pueris frequenter

ter contingat, & non in senibus, & quia hic morbus frequenter contingit ex debilitate cerebri ex propria natura: qui autem debiles sunt non possunt in epilepsiam non incidere in ætate pueritiae, præsertim cum in ea crudii & crassi humores generentur: si autem quis pervenit ad senectutem quin hoc morbo corripiat, signum est cerebrum habere robustum, & sic senibus frequenter non contingit, sed pueris & adolescentibus magis. Neque valet dicere quod cum in pueritia dictus humor in plurima quantitate generatur, quod pueri frequenter incident in apoplexiā magis quam senes, quod est contra experientiam: non inquam valet, quia cum sint maximè porosi, maximè transpirabiles sunt; unde fit ut plurimum resolvantur, & ita nunquam aut raro perveniant ad tantam obstructionem in cerebro quæ causet apoplexiā, licet minorē causent, quæ valeat ad epilepsiam.

Hinc etiam fit, rationem quare citò incidunt & resolvantur ægri in epilepsia, non esse difficultem, licet fit per propriam passionem: nam humor contentus potest expelli per nares, & palatum, & rorsus in cerebro iterum potest congeri quantitas sufficiens dicti humoris, & sic citò repetere & dissolvi paroxysmum epilepsie.

### CAPUT VIII.

*An ex alio humore possit fieri epilepsia.*

**C**ONSTAT jam ex dictis epilepsiam ex pituitoso humore causari posse, & similiter ex fumo vapore, ut patet in epilepsia per consensum. Dubium ergo est utrum ab alio humore causari possit: Et primò quantum attinet ad melancholiā, dubium nobis non est ab ea epilepsiam tam per propriam passionem quam per consensum causari posse. Ratio est aperta, quia sive ad epilepsiam requiratur obstratio, sive compressio cerebri, præsupposita irritatione quam mediā moveatur ad expellendum humorē irritantem; hæc omnia potest facere humor melancholicus: ergo ab humorē tali omnia symptomata pathognomonica epilepsie fient, causare ergo potest epilepsiam. Quod autem ab humorē melancholico per consensum possit fieri humorē affectus constat, quia humorē tali moto in venis potest elevari ab illis in cerebrum, quo fiet ut omnia dicta symptomata fiant quæ diximus requiri ad epilepsiam.

De sanguine verò major solet esse disceptatio; sed nobis dicendum est etiam epilepsiam causare posse: Et probatur quia potest obstruere sua quantitate & corporatur, & similiter potest irritare cerebrum, vel suo pondere si non putrefiat, vel alia qualitate acri, si putredinem patiat: quo fiet ut comprimiratur cerebrum ad expulsionem illius & omnia dicta symptomata eveniant quæ epilepsiam comitantur & similiter à sanguine potest fieri per consensum, ut diximus de melancholia. De bile similiter in nostra doctrina est philosophandum: nam ut *dissēquenti* probabimus, potest obstruere, poterit ergo epilepsiam cau-

sare, ut ex dictis cuique contemplanti patet: Accedit quod potest suā acrimoniā irritare, & sic compressione movebitur cerebrum ad ejus expulsionem; unde in nostra doctrina hoc sufficiet ut epilepsia fiat cum ratione irritationis motus convulsivus fiat, & ratione compressionis privatio sensus, eo modo quo dictum est. Præterea quia si concedunt Autores flatum obstruere posse, & sic hunc affectum causare, multò melius id faciet bilis.

Potest similiter fieri per consensum cum ventriculo: nam inanito, & fame laborante, copia hujus humoris biliosi fertur ad eum, & vapores elevantur ad caput; ex quibus omnia dicta symptomata eveniunt; ita ut non tantum vapores eleventur ex crudo & pituitoso humore existente in ventriculo calore ipsius bilis agente & alterante, sed etiam ex ipso humore bilioso elevari vapores afero quæ sufficient ad hunc affectum: Et licet dictus humor se habeat, ut materia, tamen idemmet se habet ut agens alterans serum ipsum ex quo elevantur tales vapores, calore bilis agente in serum. Præterquam quod potest accedere alia causa putrefaciens quæ valeat esse efficiens vaporum qui elevantur ab ipso humore.

### CAPUT IX.

*An epilepsia possit fieri à siccitate.*


**C**OMMUNIS Medicorum consensus est epilepsiam non posse causari à siccitate, & probant ratione Galeni: nam iste affectus citò generatur, & citò solvit: sed si fieret à siccitate, fieret paulatim & paulatim solveretur: ergo epilepsia non fit à siccitate. Et confirmatur quia cerebrum adeò humidum est ex sua natura, ut non possit exsiccari adeò ut vivo animali faciat epilepsiam.

Sed dices: in syncope est subitus virium lapsus, & inter causas ejus ponitur distempries siccata: ergo siccitas ad subitam immutationem & alterationem potius conductit quam contrariatur, ac proinde hoc non obstat quominus epilepsia à siccitate possit causari, sed possumus respondere pro Galeno dicendo quod quando negavit rationem causæ epilepsie siccitat, intelligit per siccitatem defectum substantiæ humidæ, quæ cum subito fieri non possit, ut de se patet, nihil mirum quod ab ea non causetur epilepsia, & de hac siccitate debet intelligi Avicenn. dum dicit non posse cerebrum ad tantam siccitatem pervenire ut spasmetur, quin moriat corpus prius.

Sed cum siccitas quæ facit syncopem non sit facta ex defectu substantiæ humidæ; sed fiens quæ ab agente extrinseco producitur in parte, opòret nunc examinare an ab hac possit causari epilepsia, & subitus motus. Et breviter dicendum nobis est neque in nostro corpore esse substantiam quæ ratione siccitatis valeat irritare, & causare motum epilepticum: neque possibile est talē immutationem à siccitate in cerebro. Et probatur: nam non potest irritare siccitas ad expulsionem; ergo non

non potest ab ea motus epilepticus , seu con-  
vulsivus fieri. Antecedens probatur : nam  
nervi quibus inest vis sentiendi quantumvis  
reddantur siccii ( ut in marasmo evenit ) non  
irritantur : ergo neque cerebrum quantumvis  
siccum sit. Et confirmatur quia siccitas non  
ponitur inter causas facientes dolorem.

Præterea probatur , quia etiam in mania-  
cis valde exsiccatum est cerebrum , & in ex-  
quisita phrenitide laborantibus , & tamen non  
fit epilepsia , neque talis irritatio quæ causet  
motum epilepticum in his affectibus : ergo  
siccitas ullo modo epilepsiam causare potest:  
neque potest vivo animali adesse tanta sic-  
citas ut substantia mollis cerebri indurata &  
veluti concreta cesset à motu quodammodo.



## C A P U T X.

### *De speciebus epilepsiae , & an à nuda qualitate possit contingere.*

**G**ALENUS noster tres species epilep-  
siæ enumerat : primam per propriam  
passionem: secundam per consensum cum ven-  
triculo: tertiam per consensum cum alia parte  
qualibet nostri corporis , vel cum omnibus,  
enumeratur tamē ut distincta, quæ fit per con-  
sensum cū ventriculo, quia frequenter accidit.

Dices: ex hac doctrina sequitur non esse  
epilepsiam per propriam passionem , sed om-  
nem epilepsiam fieri per consensum : nam à  
qualibet causa fiat , diversa debet esse pars  
quæ congerit excrementa ab illa quæ ea re-  
cipit & obstructionem patitur , vel irritatur,  
aliàs non fieret subitò & repente paroxysmus:  
oporet ergo causam epilepsiae mitti ab una  
parte in aliam quomodocumque & in qualibet  
occasione caufetur : sed hoc ipso quod fit  
per communicationem unius partis in aliam,  
fit per consensum: ergo tam pro hoc modo fit,  
& non dabitur epilepsia per propriā passionē.

Respondet Vallesius negando omnem fie-  
ri per consensum : nam tunc per consensum  
dicitur cùm una pars consentit alteri ; non  
verò cum idem sibi ipsi secundum diversas  
partes ejus : hoc autem in cerebro contingit,  
quando ejus substantia mittit in ventriculos  
humorem obstruentem, & sic dicitur per pro-  
priam passionem , quia cerebrum totum per  
modum unius semper sumitur, licet in se ha-  
beat plures partes.

Sed licet hoc modo sufficienter fiat satis  
argumento posito : tamen ratio nunquam  
contra nos probat : nam non est necessarium  
in omni epilepsia quod una pars congerat  
humorem, & altera illum recipiat : neque id  
est necessarium ut subitò & repente fiant pa-  
roxyymi, quia præcisè si in substantia cerebri,  
aut in solis ventriculis congeratur humor  
obstruens, statim irritabit ad expulsionem, &  
fiet epilepsia; fiet etiam, ut dixi, subitò , nam  
humor qui congeritur non irritat in qualibet  
quantitate, sed quantitate determinata, quo fit  
ut statim ac tanta sit, subitò & repente irra-  
bit, licet non irritet quando congeritur, & sic  
quando congeritur donec fiat quantitas suffi-

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

cienis & tanta, non erit epilepsia.

Difficilior tamen est explicare utrum epi-  
lepsia à nuda qualitate irritante causari possit  
ita ut nulla substantia quamvis non obstruat,  
communicetur cerebro, sed solum nuda qual-  
itas, utrum scilicet tunc possit epilepsia causa-  
ri: Et dicendum nobis est id posse contingere,  
ut in morsu viperæ , vel si qualitas venenosa  
in nostro corpore generetur, & cerebro com-  
municetur. Et probatur: nam si aliqua substanc-  
tia tenuis communicetur ut vapor, vel quælibet  
alia quæ nullo modo valeat obstruere ce-  
rebri ventriculos : sed sola qualitate irritante  
agit in cerebrum, & eum irritet, tunc sine du-  
bio apud omnes erit epilepsia ( si opinentur  
obstructionem non esse necessariam, sed suffi-  
cere compressionem cerebri ad impedirem  
communicationē spirituum, ut nos latè proba-  
vimus *suprà* ) sed hujusmodi qualitas irritans  
potest comunicari per continui alterationem  
cerebro, ut in morsu viperæ , vel qualitate ve-  
nenosa intra nostrum corpus generata : ergo  
tūc à nuda qualitate sine dubio erit epilepsia,  
cum ratione irritationis cōprimatur cerebrum  
& fiat motus concussivus ad expulsionem il-  
lius quod irritat; quo fit ut omnia symptoma  
pathognomonica hujus affectus sequan-  
tur , ac proinde à nuda qualitate poterit cau-  
sari epilepsia.

Neque ex hoc sequitur quod in omni febre  
maligna, ut est punicularis, esse epilepsiam ,  
quia licet in nostro corpore sit qualitas vene-  
nosa, non tamen quilibet respicit omnia mem-  
bra, & habet sympathiam cum omnibus : sed  
quædam venena cum partibus determinatis, &  
non cum aliis. Sic ergo in præsenti dicere pos-  
sumus illam qualitatē malignam non habere  
sympathiam cum cerebro , & sic in febribus  
punicularibus non datur epilepsia.


Sed poterat contra hoc objici: nā si illa qua-  
litas producatur usque ad cerebrum, & tætu  
irritet ipsam cerebri substantiam, cur quælibet  
illa sit, non causabit, vel poterit causare in ce-  
rebro motum epilepticū , & cætera accidentia  
epilepsiae propriae. Sed nota quod ad epilepsia  
non requiritur necessariò repetentia, neq; pa-  
roxyymi , quia etiamsi iste morbus non habe-  
ret nisi unicam accessionem , epilepsia vera  
diceretur , non ergo ex natura hujus morbi  
requiruntur paroxysmi diversi , & diversæ  
repetentia , & accessiones.

Deniq; dubitabis, an possit fieri à nuda qua-  
litate prima aliqua faciente doloré hujusmo-  
di affectus : nam cùm possit aliam producere  
per continui alterationem, potest pervenire ad  
cerebrum in quo dolorem excitabit, & irrita-  
bit, non est cur ei degenetur. Sed nobis vide-  
tur id non fieri ab aliqua ex primis qualitati-  
bus; nam sæpè videmus fieri dolorem capitis  
ex distemperie primarum qualitatum, esseque  
vehementem , & tamen non concurrit cere-  
brum ad expulsionem : ergo ratione primæ  
qualitatis id nequit contingere.

Sed dices : etiam experimur multoties fieri  
dolorem capitum à flatu distendente, & tamen  
non fit epilepsia, & concussio cerebri : ergo si  
ab his causis irritantibus non fit, etiam neque  
ab aliis, epilepsia fiet , vel ab omnibus debet  
causari.

Sed huic argumento possumus respondere  
A A a 2 rationem

rationem diversitatis stare in peculiari repugnantia certæ qualitatis ad cerebrum; à quo cum tali molestia tantaque irritatur, ut motu concussivo moveatur ad expulsionem. Si vero quis voluerit addere peculiarem modum laetionis à tali qualitate fieri, nihil dicet repugnans, etiamsi in particulari non possit explicari quisham sit. Hoc idem contingit in motu concussivo & in rigore febrium, juxta commune omnium placitum: nam nervi non concutuntur quomodcumque irritentur, sed est necessarium ut peculiariter laetantur & irritentur, ut motus ille concussivus, & tremor fiat.



## CAPUT XI.

*An epilepsia finiatur in paralyсин.*

**T**ota difficultas hujus capitum est explicare duo loca Galen. quibus videtur contrariari: nam in uno ait epilepsiam finiri in paralyсин, & in alio id expresse negat. Primum testimonium est 4. de loc. c. 2. ubi ait, *Inter soporem vero & apoplexiā morbus comitialis medius est, convulsionem afferens universo corpori, sed in paralyсин non finitur.* Alius locus est ipsius etiam Gal. 4. acutorum comm. 27. ubi dixit, *Nam quod eas qua apoplexiā, vel epilepsia ad aliquam ex non præcipuis partem irruunt paralyses.* Et constat quod post epilepsiam possit sequi paralysin; nam humor per concussionem non solum potest discuti, sed in aliquam partem debilem mitti: ergo tunc fiet paralysis.

Sed haec duo testimonia in optimo sensu interpretari possunt: nam quando afferit epilepsiam in paralyсин non finiri, non intelligit quod nunquam ita contingat, sed quod non ita frequenter; sicut ex apoplexiā: Ratio autem quare post apoplexiā frequenter incidimus in paralyсин, est; nam cùm in apoplexiā sit virtus magis oppressa quam in epilepsia, indè fit quod in hac potest facilius humor per nares, & per os expelli extra corpus, aut per aliam viam, cùm sit maximus conatus cerebri in movendo; in apoplexiā vero non ita contingit, cùm sit virtus magis oppressa, & sic ex hac frequenter incidimus in paralyсин; non autem ita frequenter ex epilepsia, ac proinde Gal. hanc frequentiam negavit epilepsia, & concessit in alio loco quandoque finiri epilepsiam in paralyсин.



## DISPUTATIO XIX.

*De Apoplexiā.*

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Apoplexiā.*

**A**POPLEXIA nomen si recte consideretur, nihil aliud sonat quam percussionem lethalem: nam qui ita afficiuntur, sic se habent, ac si essent lethaliter percussi; nam cadunt sine sensu & motu, &

sic hoc nomen à symptomate impositum facit. Sic Gal. lib. de diff. sympt. c. 3. dixit: *Sicut apoplexia cùm est totius corporis resolutio, unà cum restringi partis, functionibus coabit.* Sed quid sit apoplexia oportet scire.

Avicen. fen 1. lib. 3. tr. 5. cap. 12. ait. *Apoplexia est ociositas membrorum à sensu & motu propter oppilationē contingentem in ventriculis cerebri, & in cursibus spiritus cerebri sensibilis & motivi.* Hoc idem omnes moderni & antiqui insinuant, licet non eisdem verbis; ut autem omnia quæ in apoplexiā reperiuntur comprehendantur, sic ab omnibus describitur, *Apoplexia est integræ cerebri obstrucțio cum omnimoda privatione sensus & motus, lastonique respirationis.* Merito tamen in hac descriptione mentionem facimus de obstructione; nam licet humor qui obstruit, non possit non causare aliquam distemperiem in cerebro; tamen quia præcipua symptomata ab obstructione nascuntur, & non à distemperie; ideo hujus non sit mentio, sed illius; nam ratione obstructionis integræ in ventriculis cerebri impedit transitus & communicatio spirituum animalium omnibus partibus sentientibus; quod sit ut in hoc affectu sit totalis privatio sensus & motus medicè loquendo, licet si physicè loquamur, aliqua sit communicatio, licet servetur in aliquibus speciebus apoplexiæ, sufficiens virtus ad sensibilem motū respirationis.

Hinc constabit quâ ratione apoplexiā differat à reliquis affectionibus: nam à syncope differt, quia in hac non solum (cùm sit passio cordis) actiones animales possunt sensibiliter auferri, sed vitales, idque claram constat ex pulsu: nam in syncope ferè deficit, in apoplexiā vero solet esse integer, nisi cùm jam morti sunt proximi, in syncope vero à principio morbi languidus est pulsus: præterea differunt in colore, nam in his qui syncope laborant, est sicut in cadavere, non ita in apoplecticis contingit.

Deinde differt à lethargo, quia in hoc sunt actiones diminutæ; & quia febris in eo adeat continua ex putrescenti humore orta; at vero in apoplexiā sunt ablatae actiones sensus & motus modo explicato, & ulterius carent febre, ita ut quantum est vi hujus morbi non sit necessarium humorē putrefieri in cerebro; si autem in apoplexiā adsit febris à principio, ut ait Avicen. habet ortum ex apostemate cerebri, distinguiturque à lethargo tunc actione ablata sensus & motus, & visus respirationis. Deinde à caro & catalepsi differt penes difficultem respirationem, ut diximus supra: ab epilepsia vero differt quia in hac minor est obstrucțio, & quia non est omnimoda ablatio sensus & motus, neque epilepsia habet tanquam proprium symptomam difficultem respirationem; & denique deferunt quia in epilepsia reperitur ille modus motus quem in apoplexiā non experimur.

Sed ut finem imponamus huic capiti advertere oportet, obstrucionem requisitam pro apoplexiā non solum debere esse in ventriculis cerebri, sed etiam in ejus substantia, vel corpore, nomine cuius poros obstructos intelligimus, nam si substantia cerebri non obstrueretur, etiamsi ventriculi ejus obstruantur, non esset illis talis privatio; nam iatra po-

ros existeret animalis spiritus in aliquo tempore in quo fieret operatio, & similiter influxus.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P V T II.

*In quo consistat essentia hujus morbi.*

**S**i in hac re attendamus, Gal. clare inveniemus semper existimasse essentiam apoplexiae in obstructione ventriculorum cerebri consistere, etiamsi ejus substantiam similiter debere affici afferat; ac proinde afferit esse morbum instrumentalem, & nullatenus in temperamento. Ita ipse l. 3. de locis cap. 7. ubi ait. *Apoplexia quod subito eveniat, aut frigidum succum, aut crassum, aut viscidum, qui cerebri principales ventriculos affatim implet, non totius substantia intemperiem causam esse manifestum est.* Qui bus verbis manifeste fatetur in obstructione, non in intemperie consistere. Idem tuetur Avic. in sua definitione ubi dicit apoplexiā contingere propter oppilationem in ventriculis cerebri. Idem pluribus aliis in locis traditur quos qui voluerit inveniet apud Petrum Garciam.

Nobis tamen dicendum est sententiam Gal. esse veram, quatenus affirmat apoplexiā esse morbum instrumentalem, & non in intemperie: nam si ab aliqua intemperie causaretur, maximè frigida, quantevis per illam aut resolvuntur spiritus, aut densatur cerebrum, sed cum frigiditate quæ hoc valeat facere, nequit compati uita, ab ea ergo hujusmodi affectus causari nequit. Aliud quod dicit Gal. scilicet ab obstructione causari semper, est etiam verum, si nomine obstructionis non intelligat rigorosam obstrucionem, sed solam impeditam communicationem spirituum, sive per quantitatem humoris verè obstruentis & occupantis cavitates ventriculorum, sive per magnam compressionem cerebri quæ non minus impedit communicationem spirituum quam obstructio: nam per compressionem ventriculorum cerebri circa latera cerebri propinquiora sunt, cum magis accedant ad se se: ergo non erit locus, ut spiritus qui communicandi sunt permaneant, ac proinde sicut carus & alij affectus soporosi per compressionem dictam fieri possunt, quid mirum quod si major sit compressio, apoplexia causetur; certè nihil mirandum, cum positâ hac compressione omnia symptomata apoplexiæ fiant.

Dices: potest fieri apoplexia ex inflammatione cerebri: sed haec non facit obstructionem in ventriculis cerebri: ergo citra illarum sit apoplexia.

Respondeatur per inflammationem cerebri ipsam substantiam magis extendi, quo sit ut ad pensum quo extendatur, ventriculi sunt minores, & sic per magnam inflammationem impeditur cavitas, ac proinde communicationem spirituum deficit, & apoplexia causetur, ex inflammatione modo explicato, & sic manet semper esse morbum instrumentalem.

Sed oportet explicare rationē quā Galenus

probat in distemperie frigida apoplexiā non consistere, quæ sic se habet. Apoplexia subito fit, & subito solvit: ergo non fit à frigore. Contra quam rationem sic aliqui objectiunt, quia licet per illud verbum *subito*, breve tempus intelligatur, ut etiam fatetur ipse Galenus; tamen experientia compertum est, plurimos apoplecticos non solum spatium unius diei, sed & magis durare, signum ergo est quod subito non solvatur.

Sed omissis aliis dicendi modis quibus Autores variant in explicatione illorum verborum, *subito fit*, & *subito solvit*, dicendum nobis est juxta Gal. placitum, non significare quomodounque tempus, sed potius invasionem morbi nullo alio præcedente morbo Medico sensibili, ac proinde apoplexiā communiter causatur nullo alio præcedente morbo sensibili: si vero aliquando aliter contingat, erit ex accidenti ( sèpè enim apoplexiā post alias morbos fit. ) Frigus enim si fingamus adçō in cerebro crescere posse, ut temperiem spirituum corrumperet, aut ventriculos coalesceret, atque ita apoplexiā excitaret, non fieret subito & repente, id est quin alter morbus sensibilis priùs adcesseret, qui Media curatione indigeret: nam postularet frigiditatem esse in maxima intensione ad illam coartationem ventriculorum, aut ad corruptionem spirituum, infra quam intensiōē frigus morbum sensibilem faceret. Et licet verum sit quod quando movetur humor ad cerebri ventriculos, priùs una pars occupet locum quam alia, tamen antequam faciat occupationem necessariam ad apoplexiā, non facit alium morbum Medico sensibilem, quia tam parvum est tempus inter minorem occupationem quæ non sufficit ad apoplexiā, & sufficit ad epilepsiam v.g. aut quemlibet alium morbum in obstructione consistentem, ut pro parvo illo tempore non possint fieri symptomata pathognomonica quæ pro illo debentur, & sic non est morbus antecedens ad apoplexiā sensibilis Medico.

Sed dices: Idem possit dici de frigore: nam quando alteraret ad apoplexiā faciendam, licet in remissiori gradu valeret efficere alium morbum, tamen nisi cesseret alteratio non indigebit propriā curationē propter breve tempus, quod intercederet: si autem cessaret indigebit propria curationē, sicut si humor cessaret fluere tempore quo non erat sufficiens obstructio pro apoplexiā; tunc enim faceret alium morbum expostulantem propriā curationē sine dubio: ergo propter hanc rationem non bene probat Galen. à frigore non posse fieri apoplexiā: ac denique quando dicit *subito solvit*, non potest intelligi quod solvatur non remanente alio morbo, nam priùs deficit pars humoris quam totus humor obstruens.

Sed his non obstantibus pro Galeno Respondeamus dicendo quod si frigus faceret apoplexiā, ex natura rei ante tantam intensiōē faceret alium morbum sensibilem priū, humor vero prout obstruens minimè, quia licet humor moveatur successivè, & frigus etiam alteret, ita tamen frigus ante illam intensiōē etiam continuo tempore productam, sensibiliter laedit actiones; neque

enim qualibet alia ulteriori intensione sunt lassiones alterius morbi, scilicet apoplexia (si eam valeret causare) in humore vero obstruente id non contingit, sed potius celeritate motus praeveniuntur: verum quidem est quod si humoris motus cessaret secundum medietatem quantitatis, quod faceret aliud morbum: sed id non contingit in apoplexia, quod patet experimento.

Hinc deduco quod quando apoplexia causatur ex inflammatione cerebri, tunc non sicut phrenitis, licet adsit febris continua: nam quoties ab una causa possunt duo effectus nasci, vel duo genera morborum, unum qualitate per alterationem, aliud vero quantitate, licet minor occupet locum, prius tamen eo tempore antequam sequatur alteratio requisita ut fiat morbus temperamenti, prævenitur ulteriori quantitate, & fit aliter morbus instrumentalis prima invasione, v.g. minor qualitas sanguinis etiam tumorem inducentis, sufficit ad phrenitidem si putrefiat, aut ad delirium, quod ratione temperamenti excitatur, quam ut inflammatio tanta sit quae efficiat apoplexiā; præsente autem humore antequam sufficienter alteret partem ad illos affectus, fluit in tanta quantitate ut causet apoplexiā, sique non necessarij præcedit ad hanc alter affectus, sed solū ex accidenti.

Denique non possumus contraria ratione convinci si dicamus apoplexiā etiam causari ex vulnere penetrante ventriculos cerebri: nam non aliter ab obstructione causatur, nisi quia ratione hujus partes privantur sensu & motu, ex eo quod deficiant spiritus animales: sed similiter in prædicto vulnere deficient spiritus, quia deficerunt ventriculos: ergo sicut symptomata apoplexiā ex prædicto morbo, vulnere scilicet, ac per consequens vera apoplexiā. Et licet cum febre conjugatur, nihil obstabit quo minus talis dicatur: nam etiam quando quis laborat apoplexiā ex inflammatione cerebri, habet febrem, & tamen hoc non obstat ut vera apoplexiā dicatur, ergo idem in vulnere dicere possumus.

### C A P U T III.

#### *De causis Apoplexiæ.*

**M**NES Medici unanimiter fatentur apoplexiā fieri posse ex pituitoso humore, quod expressè tenet Galenus pluribus in locis, & 3. *aphor. comment.* 23. dicit fieri hanc passionem quando caput repletur pituita, & *comment.* 31. ait. *De apoplexiā autem quid oportet dicere?* Nullus enim morbus adeò est senili etati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus. Id quod pluribus in locis confirmat expressis verbis.

Neque contra hanc doctrinam facit illa *Hip. sententia 6. aphor. text. 57.* in qua assertit apoplexiā fieri maximè à quadragesimo anno usque ad sexagesimum, in quo tempore

non abundat maximè pituita, sed in tempore sequenti, sed ait in dicto tempore maximè fieri: ergo ab alio humore præter pituitam fieri sentit.

Respondeo non loqui de apoplexiā quæ causatur ab atra bile quæ in illo tempore magis viget in corpore. Neque ex eo quod pueri licet excrementis pituitosis abundant, raro incident in apoplexiā, aliquid contra nostram conclusionem sequitur: nam cum pueri habeant naturalem facultatem robustam, raro expectant integrum obstructionem cerebri quæ ad apoplexiā requiritur, sed ante illam propter irritationem conantur expellere, ex eo quod habeant facultatem motivam quæ concutitur cerebrum robustissimam, licet aliam naturalem expultricem quæ mediis fibris fit, debilem propter humiditatem habeant. At vero in senibus virtus est torpida, & sic non insurget ante integrum obstructionem, ideoque frequentius sunt apoplectici, & faciliter somnolenti senes quam vigiles in hunc morbum incident.

Hinc deducimus missionem sanguinis in hoc affectu fieri ad revellendum humorē à capite qui per venas communicatur, & ad illum evacuandum ex parte affecta, & ad commovendos humores ipsos, & si fortasse in apoplexiā facta ex pituita, non conveniret sanguinis missio, propter eandem rationem non conveniret in illa quæ fit ex succo melancholico, cum etiam obstructio sit extra vas, & humor frigidus.

De melancholico humorē nobis etiam dubium non est quin possit facere apoplexiā, quod præterquam quod est expressum Galen. ratione etiam confirmatur, quia melancholicus humor potest integrè obstruere ventriculos cerebri, quia crassus est; ergo etiam poterit causare apoplexiā, ex eo quod positā tali obstructione omnia signa pathognomonica apoplexiā sequuntur.

Sed major solet esse dubitatio de duobus humoribus qui restant, scilicet de sanguine & bile. Et quidem de sanguine plures sunt autoritates Avicennæ & Galen. quibus videatur probari ab illo apoplexiā causari posse, quas quisque poterit videre in nostro Petro Garcia. Et ratione etiam confirmatur hoc placitum quod tanquam verum amplecti debemus. Nam sanguis sola multitudine, crassitie qualibet seclusa, potest obstruere & occludere ventriculos cerebri: sed adstante tali obstructione deficit sensus & motus: ergo ratione illius erit vera apoplexiā, quia potest replere poros, cerebri etiam, ut contingit in vera ejus inflammatione.

De bile autem licet raro contingat, tenendum nobis est, etiam posse apoplexiā causare: nam bilis licet nullam habeat crassitatem, potest tamen in magna quantitate esse, ita ut obstruat ventriculos cerebri: ergo tunc erit privatio sensus & motus, ac proinde apoplexiā. Antecedens, scilicet quod bilis sua quantitate possit obstruere constat: nam potest sua qualitate implere poros cerebri, ut contingit in erysipelate; ergo si fuerit plura hujus humoris quantitas, poterit implere cavitates majores, quales sunt ventriculi cerebri: poterit ergo sua quantitate obstrue-

re, & per consequens apoplexiam causare.  
Sed dices: Si apoplexia potest causari à  
bile, sequitur non fieri subitò, id est nullo  
præcedente morbo. Sequelam probo: nam  
cùm bilis valdè irritans sit priùs quàm no-  
ceat quantitate obstruendo, irritabit sua qua-  
litate, ac proindè movebitur cerebrum ad  
eius expulsionem, & epilepsia fiet antequam  
fiet apoplexia: non ergo fiet subitò in sensu  
explicato, vel dicendum est non causari à  
bile.

Respondetur bilem priùs posse esse in ma-  
gna quantitate quàm alterationē realem pro-  
ducat sufficientem, mediā quā fiat irritatio, si  
multā copiā repente, & subitò moveatur ad  
cerebrum: quo fiet ut priùs non sit irritatio  
quando minor est quantitas, neque sensibilis  
alius morbus Medico producatur: Tum etiam  
quia non oportet semper bilem esse tam  
acrem & mordacem ut pellatur à natura, quia  
juxta hanc qualitatem irritantem sunt gra-  
dus; nihil ergo mirum quod possit inveniri  
in ventriculis cerebri, quin talem irritatio-  
nem pariat antecedenter.

Dices iterum: ea quæ deobstruunt, tem-  
perie calidæ & siccæ sunt, & tenuium par-  
tium: sed bilis hujus naturæ est: ergo non  
potest obstruere, sed potiùs deobstruere, ac  
proindè apoplexiā non poterit causare.


Respondetur facile dicendo verum esse ea  
quæ deobstruant habere prædictas qualita-  
tes, hæ tamen convenient contra causam quæ  
crassitię obstruit, quæ non obstant, ut dic-  
amus, bilem sua quantitate obstructionem pa-  
rere: præterquam quod licet bilis sit humor  
aliis tenuior, potest tamen ab aliis attenuari  
ut facilius educatur.

De flatu major solet esse dubitatio an apo-  
plexiam causare possit. Et breviter dicimus  
à flatibus apoplexiā causari posse, licet non  
difficulter solubilem. Probatur: nam somnus  
naturalis potest causari à flatibus, aut vapo-  
ribus ad cerebrum ascendentibus, in quo mi-  
nor est communicatio sensū & motū quàm  
in vigilia, ut experientiā compertum est:  
ergo tunc talis somnus & impeditio commu-  
nicationis ratione obstructionis: ergo si adeò  
multus & in magna quantitate fuerit flatus,  
& aliquam crassitię habeant, non mirum  
quod tantam obstructionem in ventriculis  
cerebri causari possint, ut omnimoda priva-  
tio sensū & motū medicè sequatur, ac proindè  
apoplexiā causetur.

Neque contra nos facit quod spiritus in  
cerebro commiscentur flatibus, ac proindè  
non impellantur, & fortasse tantam crassi-  
tudinem aut majorem habent spiritus quàm  
flatus, ex eo quod ex his illi per coctionem  
generentur quæ crassitię parit, ac proindè  
cùm spiritus non destituunt cerebri ventri-  
culos, non erit privatio sensū & motū, ac  
proindè neque apoplexiā ex flatibus. Nam  
ad id Respondeo imprimis quod à crassis fla-  
tibus possent spiritus pelli, præterquam quod  
licet non pellantur, non ideò partes non  
privantur sensu & motu; nam illa permixtio  
non fit secundum exiguae partes. Si tamē con-  
cedatur permixtio adhuc secundum partes  
exiguas, adhuc nihil contra nos probat: nam  
illa expulsio spirituum ad extra non est ne-

cessaria: nam satis est opponi crassos flatus  
obstruentes inter spiritus & spinalem medul-  
lam, nervosque alios, ut influxum non reci-  
piant quia medium est impeditum.

Denique inferimus fumos carbonis lädere  
homines dissipando & corrumendo spiritus  
vitales; tamen cùm trahitur per nates ad ce-  
rebrum potest ita ejus ventriculos replere, ut  
incidat in apoplexiā; nam per illorum va-  
porum multitudinem aut crassitię integrā  
fiet obstructio, ac proindè apoplexiā causa-  
bitur, quod constat ex eo quod Medici eis-  
dem remediis quibus apoplexiā curant, solent hos curare.



## C A P V T IV.

### Quæ sit pars affecta in Apoplexiā.


**E**R TU M & indubitatum inter Au-  
tores in hac re est, in apoplectica af-  
fectione cerebrum pati, ut constat ex  
privatione sensū & motū omnimoda, quæ  
in ea reperitur: nam cùm cerebrum sit prin-  
cipium à quo virtus ad sensum & motum reli-  
quis corporis partibus communicatur, defi-  
ciente in omnibus partibus, signum est prin-  
cipium à quo dimanat, scilicet cerebrum af-  
fectum esse, secundum ejus ventriculos præ-  
cipue, & licet circa ventriculos posteriores  
sit plurimum ipsius cause facientis hunc af-  
fectum, utpote ex eis communicatur virtus  
spinali medullæ quæ origo est quampli-  
orum nervorum quæ in nostro corpore sunt,  
tamen negari non potest, etiam cerebrum  
pati secundum anteriorē ventriculum; nam  
aliás non esset ociositas sensū & motū in  
anteriori parte capitis; nam nervi quibus  
partes faciei habent sensum ab anteriori  
ventriculo capitis procedunt, ac proindè cùm  
partes faciei careant etiam sensu & motu, an-  
teriorē cerebri ventriculum pati in apople-  
xiā necesse est.

Sed dubitabis, an sicut in reliquis affecti-  
bus partes laborantes possunt affici per pro-  
priam passionem, & per consensum cum aliis,  
ita in apoplexiā possit contingere. Circa quod  
certum est in apoplexiā cerebrum posse pati  
per propriam passionem, & per consensum  
quando consensus est per receptionem alicuius  
indebiti, ut contingit quando ab alia parte  
in cerebrum mittuntur vapores crassi ob-  
struentes, vel humores valentes obstruere  
cerebri ventriculos.

Sed major dubitatio est an cerebrum in  
hoc affectu possit pati per consensum quando  
consensus est per privationem alicuius debiri,  
ita ut in apoplexiā cerebrum pati dicatur, ex  
eo quod privetur aliquo sibi debito, ita ut  
ratione hujus sequatur omnimoda privatio  
sensū & motū. Aliqui circa hanc rem exi-  
stimārunt ita posse contingere ex eo quod ar-  
teriae soporiferæ per quas à corde in cere-  
brum communicant spiritus vitales, sint  
occlusæ; nam hoc ipso quod occluduntur,  
non possunt tales spiritus communicari ce-  
rebri; & cùm sint materia ex qua fiunt spi-  
ritus

titus animales, indè fit ut per defectum vitalium tanquam per materiae defectum deficiant animales, ac proindè virtus ad sensum & motum reliquis corporis partibus non communicetur, quo fieri ut per privationem alicujus debiti apoplexia causetur. Ad quod accedit quod cum calor influens vitalis sit virtus generalis requisita ad hoc ut omnes corporis partes operentur, hac non communicata, non erit sufficiens principium ad communicacionem virtutis ad sensum & motum ex parte cerebri: per privationem ergo alicujus debiti etiam spiritus vitales non se haberent ut materia respectu animalium, hujusmodi dicta apoplexia per consensum causari non repugnat.

Nos tamen hanc prædictam sententiam amplectendam suscipimus, scilicet talem apoplexiā esse veram per consensum, licet differat ab apoplexiā per propriam passionem, in hoc, quod apoplexiā dicta per privationem alicujus debiti, nullo modo fiat subito; imprimis quia non potest fieri brevi tempore, nam licet spiritus animalis ex vitali generetur, non tamen statim ac deficit vitalis, partes privantur sensu & motu, præcipue quia spiritus animalis qui modò genitus est, & sufficiens ad actiones illas, non postulat continuam generationem spiritus vitalis, quā deficiente pereat subito, sed aliquo tempore durat, contrarium autem contingere si vis ad sensum & motum à corde in cerebrum communicaretur. Deinde prædicta apoplexiā per consensum, non fieret subito, hoc est non præcedente alio morbo, ut supra illud verbum subito, explicui: nam à fortiori in affectis per consensum debet præcedere morbus in parte primariò affecta. Quando autem supra diximus apoplexiā fieri subito, id est nullo alio morbo præcedente, debet intelligi, de illa quā fit per propriam passionem, non de illa quā fit per consensum, quod non tollit, ut hæc dicatur apoplexiā vera; nam in ea sequentur omnia symptomata pathognomonica apoplexiæ: nam cum calidum influens vitale sit necessarium ad omnes actiones, erit similiter ad sensum & motum, & ex consequenti illo deficiente cessabunt, & similiter cessabit respiratione ob hanc eandem rationem: unde fortissima apoplexiā potest fieri per defectum communicationis spirituum vitalium, licet conservarentur spiritus animales in cerebro, dummodo vitales non producantur; numquam tamen hujusmodi apoplexiā fieri subito, ut dixi, neque post paucum tempus, quod voluit Gal. dum dixit, *Neque immediate post causatur, sed aliquo tempore transacto, non tamen parvo.* Iuxta quem modum philosophandi non erit difficile intelligere flatum venas intercipientem, similem morbum parere: nam distendendo vasa hæc, poterit comprimere & reddere mutos.



## C A P U T V.

*De speciebus sive differentiis Apoplexiæ, & unde sumantur.*

**D**UXTA quæ precedentī cap. dicta sunt, duæ sunt species apoplexiæ, altera per propriam passionem, & altera per consensum, de quibus nullus Medicus dubitat: sed præter has, aliæ quatuor species enumerantur quæ ex diversa lassione respiratio- nis desumuntur. Prima species est in qua noīa apparet respiratio, neque spuma circa os; nam si aër non ingrediatur & permisceatur cum humido, spuma non est, & hæc est gravissima apoplexiā. Secunda species est in qua licet servetur respiratio, tamen aër attrahitur cum magna violentia, & etiam est fortis. Tertia est minor, licet etiam sit fortis, in qua neque intensa, neque violenta est respiratio, inæqualis tamen & inordinata atque intermitte. Quarta est in qua respiratio aliquem servat ordinem, tamen est difficilis & lœsa.

Sed circa has species duæ restant examinanda difficultates. Et à prima incipientes, est an verum sit quod in prima specie homo privatur respiratione, id est an animal vivere possit sine respiratione, sic enim intelligemus, an in prima specie animal illâ omnino privetur.

Circa hoc dubium expressum videtur apud Arist. lib. 5. meth. c. 5. ubi exp̄resse sentit animal sine respiratione vivere non posse. Idem tenet Gal. l. 6. de locis c. 5. ubi afferit. *Quippe in confessō est & spirationem à vita, & vitam à respiratione separari non posse: adeò ut viventem non spirare, & spirantem non vivere impossibile sit.* Id etiam constat in his qui suspenduntur, & exemplo illius servi cuius fecit mentionem Gal. 2. de motu muscularum, c. 6. ubi affirmat se interfecisse cohibitâ respiratione, & non alio modo qui suspenduntur moriuntur, nisi quia deficit respiratio: nequit ergo esse vita sine respiratione, ac proindè his poterat quis persuaderi non esse aliquam speciem apoplexiæ in qua non sit respiratio, cum probatum sit vitam sine illa manere non posse, & sic quando dicitur ablata in specie assignata, intelligitur quo ad sensum, non quia omnino deficiat, quia revera respiratio est, licet non sentiatur à nobis.

Nobis tamen dicendum est animal posse vivere sine respiratione, licet parvo tempore, atque adeò posse vivens per aliquos morbos privari omnino respiratione etiam insensibili per breve tempus, ac proindè dari apoplexiā fortē in qua nulla sit respiratio. Probatur assumptum ex Arist. l. 1. de historia animalium c. 11. ubi dicit: *Sed datur vivendi facultas, etiam si respiratione defit.* Et ratione probatur, quia respiratione est ad attemperandum calorem nativum: sed in morbis prædictis & aliis hujusmodi potest causa adeò remittere calorem, ut non indigeat refrigerio medio aëre attracto motu thoracis: ergo in hoc eventu nulla respiratione est necessaria. Et confirmatur quia calore cordis remisso, differentiae respi-

respirationis quæ erant ad intensionem caloris conpescendam & remittendam, minores sunt: ergo si adeò remittatur, ut non indigeat refrigerio, cessabit omnino respiratio.

Neque valet si dicas quod antequā animal perveniat, ad tantam frigiditatem, ut non indigeat attemperatione, necessariò deficiet & vitæ privabitur, quia experimus aliqua esse animalia frigidis succis referta, quæ in latebris terræ degunt sine respiratione: ergo idem poterit contingere in reliquis animalibus. Neque valet si rursus respondeas quod cùm prædicta animalia minus calida sint quam cætera animalia perfecta, possunt conservari cum valde remissio calore quæ attemperationem non exposcet, & ita sine respiratione possunt vivere: at verò animalia perfecta & sanguinea postulant intensiorem calorē ad suam cōservationē, & sic non possunt vivere cū calore ita remisso ut attemperatione non indigeat ab aëre attracto per respirationem. Tamen contra est, quia major calor est in benevolentι quā in morbo animali, sed id non obstante in bene valente potest prohiberi respiratione per aliquod tempus, licet parvū, quin animal vitæ privetur: ergo multò melius in animali morbo, id contingit, cùm in eo sit remissior calor qui nō expostulat tam celerem attemperationem. Et confirmatur quia mors defectu respirationis aut contingit suffocatione ratione multitudinis fuliginis, aut contingit à nimio calore: sed quomodo cumq; contingat est opus augmento harum causarū notatu digno, quod fiat in tempore quo vita sit, etiam si non respiret: ergo tunc tempore illo quo prædictæ causæ augmentur in sufficiente intensione & quantitate pro morte, erit vita sine respiratione, non ergo repugnat pro parvo tempore carentia respirationis, etiam insensibilis cum vita.

Sed dices contra nos, quia videtur primam nostram rationem quā probavimus nostram conclusionem esse nullius momenti: nā finis respirationis non solum est attemperatio caloris nativi qui est in corde, sed etiā est ventilatio ut reaccendatur hujusmodi calor, & generatio spirituum animalium, & hujus finis in apoplectis est magna necessitas: ergo licet tā remissus possit esse calor ut indigeat aëre ad attemperationem, ac proindè ex hac parte nō indigeat respiratione; tamen cùm alij fines partiales, videlicet ventilatio & spirituum generatio valde urgeant, nunquam non poterit non esse respiratione licet non propter hunc finem, propter alios assignatos: sed hæc si aliquam habent vim, non solum probant debere esse respirationem, sed etiam eam debere esse sensibilem: nam isti partiales fines qui positi sunt, sensibilem respirationem postulant, cùm ipsi metu excedant, ut sentiri possint.

Sed propter hæc argumenta nobis videtur dicendum quod si respiratione cessat, nō tam est quia deficiat ille finis attemperandi, quā quod desit virtus ex parte efficientis, ad movēdum thoracē, ex eo quod tanta potest esse obstrutio in cerebro ut virtus ad nervos & musculos thoracis nō distribuatur, defectu cuius non sequatur respiratione, licet adstet fines sufficiētes. Et confirmatur, quia ut respiratione fiat debet sentiri prius objectum sensu tactu, ad hoc ut stimulet ad illam: sed vi obstructionis poterit

deficere virtus in nervis thoracis ad illū sensum; ergo tunc non irritabit & instimulabit objectum, & per consequens respiratione non fiet, non quidem defectu finis, ut probabat ratio prima à nobis posita, sed defectu efficientis non potentis defectu virtutis cōmunicandæ elicere illum motum thoracis.

Similiter potest vivens per breve tempus vivere sine pulsu, quod eadem ratione quā probavimus de respiratione probatur: nam ad suffocationem aut tantam intensionem quæ valeat vivens interimere requiritur tempus: ergo licet deficiat pulsus, vivens vivet toto illo tempore quo causæ augmentur in sufficiēti intensione, ut interficiant. Unde quando Arist. dicit impossibile esse vitam sine respiratione, planè debet intelligi de longo tempore, quod est verum, non quod parvo tempore sine illa non possit vivere, ut satis dixi.

## C A P V T VI.

*An in aliis speciebus apoplexiæ servetur respiratione.*

**S**I doctrinæ *soprà* traditæ stemus, videatur nullam esse speciem apoplexiæ in qua respiratione servetur: nam à cerebro, omnibus partibus corporis cōmunicatur virtus ad sensum & motum: sed aliæ partes defectu hujus virtutis privantur sensu & motu: ergo etiā musculi thoracis respirationi deservientes hac virtute debent privari, ac proindè nulla erit species apoplexiæ in qua servetur respiratione, sed potius si doctrinæ generali stemus, in omnibus debet esse ablata respiratione, præseruit cùm cerebrum læsum sit æqualiter ad omnia instrumenta.

Sed cùm constet experientiâ plures apoplecticos respirare, examinare oportet quā ratione id fiat, quo etiam faciemus satis simili dubitationi quā quæri solet cur inter dormendum cœsset motus localis aliorum membrorum nisi raro, & tamen servatur respiratione. Sed huic dubitationi si doctrinæ positæ stemus, clarè patet quā ratione contingat: nam certum est in somno, & etiam in apoplexia qualibet, partes non privari omnino virtute influente ad sensum & motum, imò quod aliqua virtus communicetur, licet remississima, ut in apoplexiæ, & minus remissa, ut in somno, omnes fatentur. Unde sit quod cùm illa virtus quæ communicatur, valde remissa sit, objecta cōmunitia & quæ valde intense non irritant, non sentiatur: illa autem quæ sufficienter irritant, sicut contingit quando aliquis vi aliqua excitatur à somno, ut punctione acūs; unde sit quod si aliqua virtus communicatur musculis thoraci deservientibus, nihil mirum quod respiratione servetur tam in somniantibus quam in apoplectis. Sed urget ratio quare omnes partes non moventur si æqualiter omnibus virtus licet remissa communicetur.

Respondetur cum Galen, idèo esse quia in musculis thoracis magis irritatur & stimulatur natura ob magnam necessitatem motus thoracis, sicut qui fugit propter aliquid malum imminens, vehementius moveretur & conatur, quam si aliter moveretur.

Sed dices : respiratio est actio spontanea quæ postulat ex propria natura cognitionem objecti : sed in apoplectis non est objectum quod cognoscatur, etiam si vis aliqualis ad sentiendum sit : ergo ip̄ illis non potest esse respiration, sicut neque motum aliarum partium.

Respondetur concedendo majorem, & negando minorem : nam in apoplectis de quibus est sermo, non solum est virtus interna sufficiens ad cognoscendum, sed etiam externa aliqualis ad objectum quod immutat sensum tactus partium quæ sunt juxta thoracem, & sic præcedente illâ sensatione tactus, incitantur partes ad respirationem : nam circa partes illas solet esse ardor & fervor & molestia illata ex causa suffocante, quæ cùm non sint neque similia in aliis partibus præter thoracem, nihil mirum quod aliæ non moveantur.


Oportet tamen advertere quod licet ad motum animalem partium non sit opus semper præcedere actum sensus externi, nam per species reservatas in cognoscente, potentia sufficienter potest cognoscere objectum & immutari appetitus, & sic exequi motum & cessare ab illo ; tamen in præsenti casu in prædictis apoplectis est necessaria sensatio externa tactus ad hoc ut elicatur motus respirationis : nam cùm species plurium serventur quæ poterant deservire ad motum aliarum partium ratione cognitionis, ad id incitantis, cur thorax potius quam aliæ moveri deberet : neque enim ex parte specierum servatarum est differentia : oportet ergo ut in apoplectis dictis sit motus respirationis, & non aliarum partium, quod sit irritatio ab objecto externo tactus in musculis thoracis, ut sic à selsu externo & interno cognoscatur, & sic talia instrumenta operentur qualia sunt necessaria ad illâ actionem : nam si opus est ambulare, non movet musculos brachiorum, & similiter si pungatur digitus inter dormiendum, pars illa fugit & contrahitur, & non alia.

Unde fit quod quia hujusmodi irritatio mediâ quâ fit respiratio, est valde consueta ratione illius, non excitetur animal à somno, licet sit sufficiens ad apponendum opus ; sic contingit in homine rustico consueto affligi morsibus pulicis qui non excitatur, licet moveat partes quæ vellicantur.



## DISPUTATIO XX.

### De Paralyse.



#### CAPUT PRIMVM.

*Quid sit Paralysis, & quomodo differat à quibusdam affectionibus.*



DE M sonat hemiplegia quod paralysis, idest resolutio, quæ sic communiter definitur, Paralysis est privatio sensus tactus & motus in determinata parte. Unde ab apoplexia solum distinguitur paralysis ratione partis affectæ : nam in illa est privato sensus &

motus in omnibus partibus corporis : in ista vero solum in dimidia parte corporis, vel in qualibet alia parte determinata. Unde etiam fiat quod cùm in apoplexia simul sit privatio sensus & motus, etiam in paralyse (quæ ratione partis affectæ solum ab apoplexiadifferit,) simul in parte determinata quæ afficitur debet esse privatio sensus & motus ; si autem servetur sensus sine motu, & è contraria in aliqua parte (quod quomodo fieri possit dicam alibi) tunc qualis debeat dici talis affectio, nunc non curamus, poterat tamen dici paralysis imperfecta.

Alterum dubium restat examinare, scilicet quo pacto possit contingere ut paralyse afficit totum integrum latus, altero manente incolumi. Huic dubitationi possumus Respondere cum Avic. quod quando natura irritata pellit materiam, pars illa recipit quæ debilior est, & illa non recipit quæ robustior, sed potius resistit ; unde fit quod quando paralyse afficit totum integrum latus, est quia illæ partes ob suam debilitatem faciliter recipiunt, partes vero alterius lateris robustiores sūt, & sic resistunt, & totum latus incolume manet.

Sed Vall. probabilius solvit difficultatem positam, dicendo quod quando medietas cerebri aut spinalis medullæ obstructionem patitur, tunc contingere solet unum latus affici, altero incolumi manente, ex eo quod virtus quæ à cerebro communicatur per lineas rectas producitur, idest secundum rectitudinem partis quæ recipit in ordine ad efficiētem causam, ex quo fit ut si medietas sit obstructa, in parte quæ ei correspondet non producatur virtus ab alia parte cerebri, vel spinalis medullæ, quæ sana & sine obstructione est, quia pars sana non servat rectitudinem cum partibus quæ eam servant cum parte quæ obstructa est, & non sana; sicut si nubis satis densa apponetur medietati Solis, tunc lumen non communicaretur parti aëris correspondenti corpori denso, sed tantum communicabitur illis partibus aëris cum quibus habeat rectitudinem, & nullum est impedimentum.

Ex dictis sequitur paralysem differre ab apoplexia, ex eo quod cùm in ista omnes ventriculi cerebri patiuntur, partes omnes preventur sensu & motu, quod non contingit in paralyse : sed si in hac aliquando patitur cerebrum, ut in hemiplegia, non tamen secundum omnes ventriculos, sed secundum medietatem, & adhuc hoc non est necessarium ad paralysem, ut patet in ea in qua peculiaris pars illis actionibus caret. Ex qua differentia sequitur quod in apoplexia sit necessariò laesio in operibus sensuum internorum, è quod cerebrum laesum est, in paralyse vero non est necessarium hujusmodi actiones laedi, licet aliquando ut in hemiplegia cerebro obstructo secundum medietatem id contingat. Deinde differt paralyse à torpore ex parte symptomatis secundum magis & minus : nam torpor dicit diminutum sensum & motum propter diminutam virtutem ante confirmatam paralysem : A tremore etiam differt quia in eo est solum diminuta virtus motiva. Et tandem à gangrena separatur quia in hac non est totaliter amissus sensus.

## C A P U T II.

*Quæ res præternaturam sit paralysis,  
et quis morbus intercedat.*

**G**U M res præternaturam sit in triplici differentia, vel morbus, vel causa, vel symptoma, quærimus in præsenti quæ ex his sit paralysis, circa quod omnes ferè convenienter esse morbum à quo symptoma, hoc est privatio sensus & motus, proeedit in parte hoc morbo affecta; unde nascitur ut Autores quandoque uno & eodem nomine symptomaticis appellant morbum ipsum; in paralysi ergo est symptoma ablata actionis à solo morbo originatum.

Sed dubitatio major est quisnam sit talis morbus à quo tale symptoma quod in paralysi experimur, nascitur. Circa quod videtur quod sit obstructio, quia apoplexia & paralysis, ut *soprā* diximus, convenient in ratione morbi, ita ut inter alia quantum ad morbos attinet, solum differant secundum magis & minus: sed morbus in quo consistit apoplexia est obstructio, sive nomine obstructio non solum intelligamus veram obstructionem, sed etiam compressionem: ergo similiiter paralysis in hujusmodi obstrukione consistere debet.

Nostra tamen sententia est paralysim aliquando consistere in vera obstrukione, licet non semper: Probatur autoritate Galen. lib. 2. de causis sympt. cap. 2. ubi asserit, *Diximus enim nervum vel frigore densatum, vel à crassis humoribus obstructum, vel à quavis alia causa pressum, in paralysim incidere.* Et ratione etiam probatur, quia si humor crassus occupat cavitatem quæ est in principio nervi, sine dubio pars privabitur sensu & motu, defectu virtutis quæ debuit communicari per spiritum: ergo tunc erit in illa parte symptoma paralysis, non ab alio morbo nato, nisi ab obstrukione in principio nervi facta.

Sed dices contra nuper dicta, quia privatio sensus & motus non potest nasci à sola obstrukione: ergo nunquam in illa potest consistere morbus in paralysi. Antecedens probatur, quia virtus non communicatur neque influit per cavitates (etiam si demus nervos eas habere, quod non est verum nisi in nervis opticis secundum omnium consensum) sed per substantiam ipsorum quæ constituit parietes & latera cavitatis; cum ergo obstructa cavitate substantia maneat eodem modo, colligitur aperte non impediri productionem illius qualitatis per latera nervorum, ac proindè quantumvis obstructi essent, non esset privatio sensus & motus in illis: nequit ergo paralysis in obstrukione consistere, neque adhuc in aliqua occasione.

Resp. imprimis quia omnes concedunt in apoplexia quæ sit ab obstrukione humoris reperi in partibus in quibus sit obstructio hujusmodi symptoma, scilicet privatio sensus & motus: ergo quemadmodum id concedunt in apoplexia, id debent concedere in paralysi;

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

in apoplexia vero nullomodo contingit nisi quia per obstrukionem cavitatum, vel ventriculorum cerebri pelluntur spiritus qui in cavitatis sunt per incompossibilitatem duorum corporum, unde fit quod cum in ventriculis ratione obstruktionis deficiant spiritus, etiam deficiunt in nervis rectitudinem habentibus cum ventriculis: sic ergo in hemiplegia contingit quæ dimidiam partem cerebri obstruit, & paralysis dicitur in qua etiam ab illa mediate cerebri pelluntur spiritus, & sic dimidiae parti corporis rectitudinem habenti cum illa parte cerebri quæ obstruktionem patitur, deficit virtus ad sensum & motum, ex eo quod principium à quo communicanda erat, cat et spiritibus expulsis propter obstruktionem.

Sed si sermo sit de paralysi respectu particularis nervi, est major difficultas; sic posito quod nervi non sunt cavi, & virtus per latera possit communicari, ac proinde hæc paralysis videretur nunquam in obstrukione consistere.

Sed Resp. obstruktionem quæ particularem nervum afficit esse in principio illius; unde fit quod in principio nervi non sint spiritus qui possint communicari ratione incompossibilitatis duorum corporum per obstruktionem factam in cavitate quæ est in principio nervi, & licet verum sit quod hujusmodi spiritus extra corpus non pellantur, sed maneant in alia parte cavitatis residuum quia tota cavitatem non est necessarium esse obstructam; tamen cum hoc non sit cōmunicatio virtutis partibus inferioribus, quia oportet esse secundū rectitudinē, & non sit propter humoris impedimentū.

Sed nota quod paralysis quæ consistit in obstrukione, specie medicā differre à convulsione, & non secundum magis & minus: nam obstructio in paralysi est in cavitate magna quæ valet impeditre transitum spirituum: at in convulsione obstructio solum est in porositatibus nervorum aut muscularum, sique ipsos secundum latum extendit, & eos contrahit secundum longitudinem, ex eo quod in tumorem elevat partem; constat autem tumorem esse morbum alterius rationis ab obstrukione: ergo specie medicā differunt dicti affectus. Unde colligis quod si aliquis nervus haberet cavitatem & repleretur humore, tanta quantitas posset esse ut contraheret, & convellet & absque eo quod humor intra poros ipsum esset, faceret utrumq; effectum, paralysim scilicet & convulsionem, & ita differentia posita est vera ut plurimum, non tamen semper; præterquam quod alia assignatur differentia, scilicet quia in convulsione partes debent mutare situm secundū in paralysi.

Dico secundò, non semper reperiri in paralysi unum morbi genus, scilicet obstruktionem, sed esse alios ad quos quandoque potest reduci, nempe ad obstruktionem, ad compressionem ad solutionem continuitatis, & ad temperamentum. Probatur quia si apoplexia potest fieri, non solum ex obstruktione, sed ex compressione quæ sit à tumore præternaturam, sive iei: ergo etiam hemiplegia quæ paralysis dicitur, ab his potest procedere, neque solum vitio cavitatis, sed etiam vitio substantiæ nervi, hujusmodi affectus potest contingere, ut si deficiunt & comprimantur, quæ omnia clare docet Gal. lib. 2.

de causis sympt. c. secundo, dicens, *Diximus enim nervum vel frigore densatum, vel à crassis humoribus obstructum, vel à quavis extrinseca causa pressum, in paralysim incidere.* Et quod à solutione continui fiat satis omnibus compertum est: ex quo constat paralysim non reduci ad unum genus morbi, de temperamento autem cap. sequenti dicemus.

## CAPUT III.

*An Paralysis fieri possit à distemperie.*

**M**AIORIS difficultatis est examinare an paralysis fieri possit à distemperie sine humore, sive cum humore, dummodo humor non suā corporaturā, sed tantum suā qualitate distemperando afficiat partem. Et videtur id fieri non posse: nam apoplexia & paralysis à similibus morbis sunt, ut satis dictum habemus: sed apoplexia non potest fieri à distemperie præsertim frigida, quia subito fit, & distempes non subito producitur; ergo similiter in paralysis id debet contingere, ac proinde à distemperie nequit fieri. Secundò quia in hydrope satis frigus in sensum est, sine febre, & tamen non est paralysis: ergo hæc non fit à distemperie: nam si ab aliqua, ea deberet esse frigida.

Nobis tamen dicendum à distemperie posse fieri paralysim; id autem præterquam quod testimonio Avicen. Gal. & Aëtij, potest confirmari; ratione etiam, quia propter distemperiem partes possunt privari sensu & motu, etiam nullo alio sensibili symptomate præsente: ergo cùm symptomata paralysis nullum aliud sit, poterit à distemperie causari. Quæ autem sit hæc distempes à qua prædictum symptomata fit, dubium est: tamen nobis dicendum eam esse distemperiæ frigidam, & probatur quia stupor & torpor differunt à paralysi secundum magis & minus: sed illi affectus à frigore possunt fieri: ergo etiam paralysis à frigore poterit fieri, si sit in aliqua majori intensione; frigus autem facit paralysim, quia corruptit temperiem spirituum, & ipsos spiritus, undè impedit communicatione virtutis ad sensum & motum, quæ medijs illis produci debebat, & per consequens pars hac distemperie affecta caret sensu & motu & labitur in paralysim. Sed licet hæc solutio probabilis sit, tamen aliam efficacrem assignare possumus: nam ratione frigiditatis redduntur nervi incapaces & inepti ad recipiendam virtutē ad sensum & motum producendam ab spiritibus & à cerebro, non tamen defectu spirituum, neque sola simplici alteratione à frigore facta in nervo, existimamus enim per nullam redi nervum indispositum, sed potius in quantum secunda aliqua qualitas producitur, ratione cuius impietàatur receptio virtutis ad sensum & motum producenda: hæc autem densitas, aut major crassities est; unde sit quod cùm frigus non faciat paralysim quomodounque se habeat, sed modo explicato, medijs scilicet densitatibus, idèo hydropici paralysi non laborant.

Dico secundò, etiam à distemperie humida fine materia posse fieri privationem sensus &

motus in parte quæ è afficitur. Probatur, quia ratione illius partes mollificantur & laxantur, quo sit ut concidant & faciant obstructionem & occupationem in viis per quas spiritus debebant communicari, ac proinde ratione humiditatis privantur sensu & motu. Licet tamen hoc sit verum respectu cavitatum per quas spiritus debet transire, tamen absque hoc vitio per solam molliitatem sine concidentia partium potest reddi incapax nervus ad sensum & motum; nam non est mirum quod per eandem qualitatem secundam per quam redditur ineptus ad motum & sensum reddatur incapax ad recipiendam virtutem quæ propter hos actus est; & non solum propter hoc, sed etiam vitiato temperamento: nam præter virtutem quæ medijs spiritibus & à cerebro communicatur, necessaria est certa temperies in partibus ad sensum & motum, quæ deficiente etiamsi aliæ dentur partes, poterunt priuari sensu & motu.

Rursus dubium est an paralysis possit fieri à calore & siccitate. Et partem affirmativam defendantem accipimus, scilicet à siccitate sola, vel cum calore etiam sine materia posse fieri. Et probatur, nam idèo fieri potest à frigore, quia medijs secundâ qualitate, densitate scilicet, redundunt nervi incapaces ad recipiendam virtutem: sed hoc idem potest facere siccitas, & calor, id etiam facit quatenus conductus ad humidæ substantia resolutionem: ergo siccitas vel se sola, vel cum calore quatenus densare & corrugare partes potest, facit & causat privationem sensus & motus. In hec tica febre aut in marasma, licet sit calor & siccitas, non fit paralysis, quia in his affectibus non densantur nervi, neque corrugantur, ita ut occupent minorem locum, & magis secundum situm partes approximentur, contrahantur & convellantur, quod non fit in hec tis & marasma affectis, quia siccitas non est in tanta intensione, ut pro hoc vellicet. Etiam ad aliud argumentum positum in principio dicimus apoplexiæ licet conveniat cum paralysi in aliquibus causis, non tamen in omnibus; non enim potest apoplexia à frigore causari, quia cùm sit morbus afficiens omnes ventriculos cerebri, nequit in eo esse tanta frigiditas quæ vivo animali corruptat spiritus, vel densitatem, in eo producat, ratione cuius redditur ineptum ad sensum & motum.

Sed mihi videtur à siccitate hunc affectum causari non posse: nam siccitas non alio modo densat quam ex eo quod ratione illius magis partes appropinquantur, occupentque poros: sed continuitas partium non est impedimentum ad receptionem virtutis communicandæ ad sensum & motum, (licet quoad cavitates locum habeat:) ergo ratione siccitatis paralysis nequit fieri ob rationem suprà positam.

## CAPUT IV.

*De causis Paralysis.*

**C**AUSÆ paralysis dicuntur omnes illæ quæ valent sensum & motum auferre, sive propriè obstruant, sive comprimant,

sive propter intemperiem densent, autali ter afficiant nervum, & illum indispositum reddant. Sed cum obstructio propriè dicta sit una ex præcipuis causis, & ab humore causetur, examinare oportet in præsenti à quonam humore prædicta obstructio quæ facit symptoma paralysis causetur. Et breviter dicimus frequenter à pituita causari, licet etiam possit causari à sanguine & melancholia, & similiter quandoque à bile. Et probatur unica sed efficaci ratione, quia omnes humores possunt sua quantitate obstruere, ita ut impediant transitum & communicationem spirituum: sed hoc ipso impeditur communicatio virtutis requisitæ ad sensum & motum, quæ mediis spiritibus erat producenda: ergo erit in partibus privatio sensus & motus ratione obstructionis in eis causata ab omnibus humoribus ratione suæ nimia quantitatis, ac per consequens paralysis ab omnibus humoribus causari potest. Et confirmatur quia apoplexia dicit obstructionem totalem in ventriculis cerebri: sed hujusmodi obstructio potest fieri ab omnibus humoribus ut *suo cap.* ostendimus quâ positâ in omnibus partibus corporis est omnimoda privatio sensus & motus: ergo etiam paralysis quæ ab obstructione vera fit, potest fieri ab omnibus humoribus sua qualitate obstructionem causantibus, & communicationem spirituum impedientibus, quæ fit ut partes quæ obstructionem patiuntur priventur sensu & motu, & per consequens paralysi laborent. Sed adverte non solum bilem, ut dixi, esse causam materialē paralysis, quatenus sua quantitate obstruit, sed etiam causare potest prædictum affectum, ex eo quod se habeat ut vehiculum medio quo pituitosi humores deferantur ad cerebrum.

Unde fit quod antea quâ suâ acrimoniam irriter & possit facere motum convulsivum, aut alium affectum tempore sensibili Medico, potest suâ quantitate obstruere, ex eo quod fluat magno impetu, ac proindè quin præcedat, neque faciat alium affectum sensibilem Medico, sua quantitate impediet transitum spirituum, & faciet paralysin.

Denique advertere oportet plures esse causas comprimentes nervos ut propter illos amittant, motum & sensum: nam ex ligatura, tumore, & luxatione vertebrarum id contigit; luxatio autem vertebrarum tribus modis potest contingere, vel secundum partem posteriorem, & dicitur gibbositas, aut in partem anteriorem, & dicitur curva, vel in aliquod latus dextrum aut sinistrum. Similiter inter causas hujus affectus enumerari solent passiones animi, quatenus ratione illarum spiritus & humores moventur versus partes internas, aut externas, ita ut pro certo habeatur ratione timoris, aut alterius passionis plurimos à paralysi liberatos fuisse, ex eo quod humor in aliam partem moveatur, & partem affectam deserat.

## C A P U T V.

*Cujus lateris paralysis sit frequentior & deterior.*

 **U**o d attinet ad primam partem du-  
bij, faciliter solvemus, si dicamus in  
latere sinistro frequentiorem esse pa-  
ralysin quam in dextro. Et probatur, quia la-  
tus sinistrum laborat majori imbecillitate  
quam dextrum; quo sit ut facilius recipiat &  
patiatur, ex eo quod cum debilior sit quam  
debetur, retinet magis morbificam causam,  
& sic frequenter patitur. Et confirmatur ex  
Aristot. dicente 3. de partibus animalium, cap. 2.  
quod dextra in omnibus animalibus calidiora  
sunt, & praesertim in homine, & simili-  
ter sicciora. Ex quo fit ut difficilius secundum  
talem partem incident in morbum frigidum,  
& humidum, à quo uplurimum fit paralysis:  
si vero rem ex parte obstructionis considere-  
mus, etiam stat ratio pro nostra parte: nam  
cum latus sinistrum habeat remissorem calo-  
rem, magis aptum est ad obstructionem pa-  
tiendam; siquidem ob remissum calorem est  
major angustia cavitatum. Cum autem di-  
ctum à nobis sit, paralysin etiam à distempe-  
rie calida & siccâ causari posse, juxta hanc  
causam videtur magis paratum esse latus  
dextrum quam sinistrum; siquidem calidum  
& siccum temperamentum habet magis quam  
sinistrum, nisi dicamus robore adhuc magis  
resistere latus dextrum quam sinistrum qua-  
litatibus contrariis.

Quantum attinet ad secundum dubium,  
scilicet in qua parte sit deterior, in dextra,  
an in sinistra, dicendum nobis est esse dete-  
riorem in dextra. Et probatur ex Hippocr.  
lib. 3. de morbis, ubi dicit, *Quando dextra ro-  
busiora sunt sinistris, tanto eorum affectus de-  
teriores.* Id posset etiam probari ex eo quod  
dixit Hipp. 2. aphor. comment. 34. *In morbis  
minis periclitantur, quorum natura, aut etati,  
aut habitui, aut temporis, magis congruit mor-  
bus, quam quibus secundum nihil istorum con-  
venit.* Sed paralysis est morbus proportiona-  
lis lateri sinistro: ergo est cum minori peri-  
culo. Sed licet prædicta proportio in morbis  
temperamenti minuat malum quantum atti-  
net ad periculum; non vero in morbis com-  
positionis; nam sicut qui calidam habent  
temperiem, morbis calidis cum minori peri-  
culo vexantur; ita qui habent angustum  
thoracem, non solum frequentius, sed cum  
majori periculo phthisi laborant: ergo licet  
proportio in morbis temperiei minuat malum  
quantum attinet ad periculum, non vero in  
morbis compositionis, sed potius proportio  
in his morbum auget, ut in exemplo posito  
de angustia thoracis in ordine ad phthisim;  
cum hoc tamen verum est proportionem in  
morbis temperiei esse occasionem ut facilius  
in talem morbum dilabentur, quod non est  
idem ac esse periculosiores tales morbos ra-  
tione similitudinis; in morbis vero compo-  
sitionis non solum ut facilius incident, sed

ut diutiū causam conservent; angustia autem thoracis maximè conductit ad retinendam materiam causantem phthisim; portio autem in morbis compositionis consistit in facilitate incidendi in illos, sicut disproportion ex difficultate, ut qui alicujus partis angustam cavitatem habent, faciliter obstructionem patiuntur, & à minori & exigua causa quām qui amplam habent cavitatem: unde fit quod proportio aut impropositio, in his morbis ex difficultate, aut facilitate incidendi in illos desumitur; unde juxta hanc doctrinam, facile quisque poterit philosophari de deterioritate paralysie in uno ex duobus lateribus, faciendo comparationem de eodem morbo ceteris paribus in utroque latere, unde etiam constabit in quo sit deterior.

Deinde possumus satisfacere difficultati positæ, dicendo quod licet præcisè propter privationem motus, extenuatio non contingat, contingit tamen propter causam aliquam positivam quæ ex privatione motus in membro paralysi affecto reperitur: nam defectu motus & exercitij in parte congeruntur quamplurima excrementa & calor innatus suffocatur, quo fit ut nutritio diminuta reddatur, & membrum extenuetur, non præcisè defectu motus, sed ratione causæ positivæ conjunctæ cum defectu exercitij.

Sed licet solutio assignata sit sufficiens, alia est quam tenet Petrus Garcia, scilicet illam extenuationem fieri in membro paralysi affecto defectu alicujus comprincipij requisiti ad nutritionem, scilicet defectu spirituum vitalium: nam quando causa quæ facit defectum spirituum animalium, adeò crescit, ut etiam impedimento sit, ne calor influens distribuatur, partique communicetur, cessant spiritus vitales maximè necessarij ad nutritionem, & sic fit in illa parte diminuta nutritio & extenuatio, ac proindè possumus dicere illam partem atrophiam laborare, ut constat ex ejus definitione: nam atrophia juxta Galen. lib. 3. de sanitate tuenda, est quando corpus ex alimento fructum non capit: sed hoc conringit in membro extenuato paralytico; ergo atrophiam laborat. Denique spiritus vitales possunt deficere, quia excrementa in illa parte congesta possunt illos suffocare, & sic deficient spiritus maximè pro nutritione conducebentes, ac proindè diminuta nutritio & extenuatio fit ob hanc causam.

## CAPVT VI.

*Unde procedat ut membrum paralyticum extenuetur.*

**L**I C E T præsens dubium à nemine examinatum sit præter Petr. Garciam, ab eo in præsenti supersedere non decrevi. Circa quod imprimis certum est & experientiæ comprobatum membrum paralysi affectum extenuari; quod fatetur expressè Avicen. in præsentia autem rationem quartimus quare hoc ita contingat; & antequam id perpendamus tanquam supponere debemus cum Galen. hanc extenuationem substantiæ esse symptomam in excretis præternaturam; licet quandoque habeat rationem morbi in magnitudine diminuta si laet talis defectus magnitudinis requisitæ sensibiliter.

Hoc ergo supposito, ad rem nostram devenire operæ pretium erit. Et ratio difficultatis stat in hoc quod cum paralysie sit privatio sensus & motus, tantum propter defectum virtutis communicandæ à cerebro, mediis spiritibus, videtur hujusmodi defectum non esse causam extenuationis; siquidem illa vis ad nutritionem non confert, sed potius ad sensum & motum, ac proindè ejus defectus non poterit defectum substantiæ cauare.

Neque valet dicere defectum substantiæ, aut defectum reparationis & nutritionis in membra paralysi affecta esse, quia qualitas quæ à cerebro communicatur est lumen valens producere calorem; & cum deficiat virtus à cerebro in membro paralysi affecto, de primo ad ultimum, deficit calor, ac proindè nutritio diminutè fit: non inquam valet, quia imprimis quod communicatur non est lumen, sed tale vocari à Galen. propter similitudinem, ulterius quia si illa qualitas esset lumen, posset suppleri alio lumine ejusdem speciei, & ita manente vitio morbo ubi erat anteà, poterat pars sentire, quod est falsum, & contra experientiam. Denique quia in omnibus paralyticis reperiuntur extenuatio dicta, cum in omnibus deficiat virtus communicanda à cerebro, quod etiam est contra experientiam.

## CAPVT VII.

*An possit in aliqua parte servari sensus sine motu, & è contraria.*

**P**RO intelligentia dubij nota non esse sermonem de duabus nervis à quibus alteri communicari potest virtus, & alteri non, ratione alicujus obstructionis, nam in his certum est posse esse motum sine sensu, ita ut una & eadem pars dummodo exquisita non fuerit, poterit moveri, quia alicui nervo qui musculo inseritur communicatur sufficiens virtus ad motum, & poterit non sentire, ex eo quod partibus externis virtus sufficiens ad sensum tactus (de quo est sermo & de motu animali) non communicetur. Solum ergo in præsenti est sermo de parte nervosa exquisita quæ musculo inseritur, an respectu illius possit esse sensus sine motu, & motus sine sensu. Et quantum ad primum, scilicet quod possit esse sensus sine motu, constabit claret ex dicendis, cum major virtus quoad intensionem, licet una in specie requiritur ad motum quam ad sensum, ac proindè deficiente intensione requisita ad motum, poterit servari sufficiens virtus ad sensum.

Difficultas major apud omnes stat, utrum in eadem exquisita parte possit servari motus sine

Resolution. Theoric. Disput. XXI. 461

sine sensu , & etiam possit communicari virtus ad motum quin communicetur ad sensum. Et nobis dicendum est , neque posse esse motum sine sensu in eadem exquisita parte , neque posse communicari virtutem ad motum , quin communicetur ad sensum : siquidem una est sola intensione & remissione diversa. Hæc est expressa sententia Galeni , & probatur ratione ab ipso tradita , quia sensus consistit magis in patiendo quam in agendo , & motus consistit magis in agendo quam in patiendo ; unde fit quod muscularum motus multa egeat animali virtute ; nam pars quæ movetur transferitur tota ; at verò sensus parva virtute perfici potest ; ex quo fit ut si minor virtus requiri tur ad sensum quam ad motum , nullatenus poterit esse virtus ad motum , quæ non sit ad sensum , ac proinde motus sine sensu non poterit dari , licet sensus sine motu optimè possit comparari. Dicimus autem in ratione Galen. motum magis consistere in agendo , non quia non recipiatur in subjecto , sed quia per motum illum musculi , transfertur membrum de uno loco in alium , & sic colligit majorem virtutem requiri ad motum quam ad sensum , non quia potentia ad sensationem effectivè non concurrat , quia hoc nullus dixit , sed quia ad sensationem non est necessarium ut transferatur membrum de uno loco in alium ; ideo dixit magis sistere in patiendo , & sic indigere minori virtute , ac proinde si una virtus est sola intensione distincta , nunquam poterit esse virtus ad motum quin ad sensum sit , ut potè intensor requiratur ad motum quam ad sensum ; optimè tamen potest esse virtus ad sensum quin sufficiat ad motum , quia remissior sufficit ad sensum.

Dices inter dormiendum reperitur motus  
sine sensu, ut experientia patet: ergo simili-  
ter per morbum capitis aut alterius partis po-  
terit esse motus sine sensu. Aliqui respondent  
cerebrum influere per diversam viam & sic  
aliquibus partibus communicari virtutem, &  
aliquibus non, propter obstructionem quae in-  
venitur in una, & non in alia; sed haec so-  
lutio non est ad rem, quia quaestio solùm pro-  
cedit de una & exquisita parte, & ita respon-  
demus quod sicut tempore somni communica-  
tur aliqua virtus ad sensum & motum, li-  
cet remissa, ob quod non quaelibet objecta  
sensit nisi vehementia, ita vis non movet nisi  
precedente vehementi excitate ad motum,  
excitat verò vehementis actus imaginandi ad  
motum, quae dum sompniat rehabet se

In dor-  
mienti-  
bus vir-  
tus suffi-  
ciens est  
ad sensu,  
& tamen  
sensus no  
est motus  
sic, quia  
motum, quæ dum somnus velut tapis  
est, at vero tunc non sentit, quia non est ve-  
hemens irritatio ad sensum, & sic manet  
apertum in eadem exquisita parte posse serva-  
ri motum sine sensu, quia potest esse vehe-  
mens irritatio ad motum ex parte imagina-  
tionis, & non ad sensum tactus, de quo est  
fermo in praesenti dum comparatur sensus ad  
motum.

*ad hunc est sufficiens & vehemens iritatio, scilicet vehemens imaginatio. & ad illum non* Dices iterum : quia actio cuiuslibet facultatis requirit proprium temperamentum ut elicatur, sic ergo in praesenti actio motus requirit siccitatem ; actio verò sensus requirit humiditatem ; ergo optimè poterit esse motus sine sensu, si sit temperies ad motum, scilicet siccitas, quæ contraria est temperiei requisita ad sensum, scilicet humiditas.

Respondetur imprimis quod si dicamus est *vehē-*  
quæstionem tantum procedere ex parte virtutis, nihil probat argumentum: nam est virtus sufficiens ad sensum & motum, licet ex parte temperamenti, possit elici motus sine sensu. Tamen etiam dicimus non posse esse sum, non ullo modo motum sine sensu: nam dispositio non consistit in indivisibili, sed habet tantam latitudinem, ut etiam siccitas non sit sufficiens, ut non eliciatur actio sensus; nam motus magis exactum temperamentum expostulat, quam sensus, & ita fieri potest, ut crescente siccitate prius auferatur motus quam sensus, quia pervenit ad eam intensi-  
nem propter quam ineptum sit instrumentum ad motum, quam ut esset omnino sensus. Quam solutionem tradit Vallesius lib. 5. con-  
troversiarum cap. 40.

DISPUTATIO. XXI.

## *De Convulsione.*

## CAPVT PRIMVM.

## *Quid sit Convulsio.*

A decorative initial letter 'V' from a historical book. The letter is intricately carved with a central figure, possibly a face or a bird, surrounded by a dense arrangement of leaves and vines.

**V**erbius omnia quæ dicenda sunt clari-  
rius patetiant, exordium à de-  
finitione convolutionis, esse de-  
bet: & quidem si doctrinam  
Gal. pluribus in locis perpen-  
damus, deveniemus ad definitionem convul-  
sionis quam omnes Medici amplectuntur, qua-  
sic se habet. *Convulsio est retractio musculi*  
*versus suam originem præter voluntatem.* Qui-  
bus verbis, Gal. ut dixi, non contrariatur,  
per motum qui est symptomat convolutionem  
explicat. Avicen. autem aliter definit eam, per  
morbum scilicet, *fen. 2. lib. 3. tract. 1. cap. 5.*  
*Spasmus est agritudo nervosa quæ moventur la-*  
*certi versus sua principia.* Unde idem morbus  
explicatur per symptomata à Gal. & per suam  
essentiam constitutivam ab Avicen. accipiens  
nomen pro morbo, & Galen. pro sympto-  
mate.

Sed dices contra nostram conclusionem, quando musculus unius partis faciei paralysin patitur, qui est in altero contrahitur versus suam originam, præter voluntatem, & tamen ibi non est convulsio, sed paralysis: ergo convulsio non est optimè explicata.

Respondetur quod quando dicimus convulsionem esse contractionem musculi versus suā originem, debet intelligi causā afficiētē præternaturam partem quæ convellitur : cùm autem contractio quæ sit ex resolutione contrarij musculi, in musculo bene se habente non ita se habeat, ex eo quod causa præternaturam afficiente afficiat musculum paralysi affectum, quod non contrahitur, inde sit quod contractio quæ sit in musculo bene se habente, non dicatur convulsio.

Unde fit quod illa contractio est praeter-  
natu

naturam facta à morbo alterius partis : dicitur tamen pars illa sana, id est nō affecta morbo in illo existente, quod verissimum est; non dicitur verò illa contractio symptoma convulsionis, quia convulsio fit à solo morbo, illa verò contractio fit à natura partium, & similiter à morbo quodammodo, ut explicavi, non existente in eadem parte, sed in alia quæ paralyſin aut resolutionem patitur. Totum hoc venit intelligendum in communi doctrina affirmantium in resolutione unius lateris partem sanam trahere aegram, de quo infra erit propria disputatio.

termino quiescat mobile, tamen est vera actio, & sic semper erit verum esse symptoma in actione depravata : unde patet solutio ad secundum argumentum.

Hinc constat actionem optimè reperiri posse sine mutatione, ut patet in conservatione quæ vera actio est, utpote in illa est forma prout ab agente, & tamen in ea nulla est mutatio, neque ordo ad non esse, ut si Sol ab æterno illuminaret, ageret sine dubio, & aër non mutaretur, ac proindè licet in illa quiete quæ est in convulsione non sit mutatio, est tamen vera actio.

Dices, in quiete rerum naturalium, ut quando quiescit lapis, non est actio ; ergo neque in quiete voluntaria.

Respondetur in quiete v.g. lapidis (& idem est de aliis) esse actionem conservativam, quæ proprium ubi conservatur; & à posteriori potest colligi ex eo quod resistit actioni quæ extrahitur à quiete. Constat etiam solutio ad secundum argumentum : nam licet in convulsione nulla sit actio facultatis animalis motivæ, quia hæc facultas nihil agit in convulsione, cum hoc tamen dicitur actio depravata morbi à quo convulsio procedit, & sic nihil contra nos probat argumentum: Et licet actio illa terminetur ad terminum naturalem, non tamen idem dicimus non esse erroneam, quia talis dicitur ex parte proprij efficientis ( morbi scilicet ) non tamen ex parte termini.

Hinc fit talem actionem depravatam quæ in convulsione reperitur esse symptoma quod non nascitur à facultate animali motiva, neque ab alia, sed solum à morbo dimanare dicitur : nam si à facultate simul cum morbo fieret, & ab illa modi irritatione, semper ad convulsionem præcederet dolor ex irritatione causatus, quod est contra experimentum, deinde quia sequeretur quod dum est in facto, non diceretur convulsio, sed solum quando est in fieri : sequela patet cum quando est in facto, non sit irritatio.

## CAPUT II.

### *Sub quo genere symptomatis convulsio continetur.*

**C**ERTUM est convulsionem habere veram rationem symptomatis, ut Gal. satis clarè in definitione fatetur, restat nunc examinare sub qua specie continetur. Et quidem omnes convenient sub actione læsa comprehendendi, non verò in qualitate mutantia, aut in his quæ excernuntur: similiter omnes fatentur in convulsione actionem non esse diminutam. Posset tamen aliquis existimare esse symptoma actionis læsa ablata respectu facultatis motivæ animalis : & probatur, quia facultas hæc omnino cessat ab actione in convulsione, cùm non sit in ea motus voluntarius : ergo convulsio est symptoma in actione animali ablata: secundò quia in convulsione musculus cessat à motu cùm sit in termino motus; ergo est actio ablata illius motus à quo cessat, & sic erit actio ablata.

Sed nihilominus nobis dicendum est esse symptoma in actione depravata, quod præterquam quod est expressum Gal. ratione probatur ex ante dictis desumpta: nam si convulsio a motu naturali solum differt, in eo quod convulsio præter voluntatem fit, debent in aliis convenire, ac proindè convulsio etiam debet esse actio, & non cessatio actionum ut contrarium dicebant.

Sed posset aliquis hanc quæstionem dirimere, dicendo, quod si convulsio consideretur prout in via, erit actio; si autem prout in termino, est cessatio, & in primo modo erit symptoma in actione depravata; & secundo modo in actione ablata. Sed adhuc explicatio hæc nobis non probatur præfertim si attendamus id quod Galen. nos docet lib. de tremore & rigore cap. 4. afferente non esse idem motum propriè dictum & actionem, ac proindè in animali quando quiescit reperiri veram actionem. Hoc patet: nam si animal extendat brachium, vel illum contrahat, & quiescat, tunc in illa quiete est vera actio naturæ quæ conservatur ille ubi vel illa præsens, nam alias statim decidet: ergo ex eo est quod in termino motus vera reperitur actio, licet non verus motus, quia in hoc aliter se habet mobile nunc quam prius, ac proindè in convulsione licet quando est in

## CAPUT III.


### *A quo morbo procedat symptoma convulsione.*

**C**UM omne symptoma nascatur à morbo; restat in præsenti examinare, an contractio illa quæ reperitur in convulsione nascatur à morbo temperiei, aut conformatioonis, vel à quo morbo procedat. Circa quod communis sententia est oriri à morbo in mala conformatioñe pororum; siquidem ex illo sequitur contractio illa: Et quidem de convulsione quæ sit ex repletione, probatur, nam humor qui facit tumorem ita poros ingreditur ut distendantur secundum latitudinem magis quam pro nata, & secundum longitudinem breviores fiunt, & ad proportionem hujus contractio sequitur: similiter quando convulsio fit propter inanitionem ab eodem morbo fit: nam resolutis partibus humidis pori fiunt majores, & sic contractio, omitimus

tius vitiosam illam figuram quæ contingit in toto membro, quæ advenit ex contractione, quia hæc est posterior symptomate ipso, de quo modò est sermo.

Vallesius tamen circa hanc rem existimavit non esse inconveniens, unum symptoma nasci à duplice morbo diverso in specie, qui uno nomine appelletur propter similitudinem symptomatis, & sic in convulsione illud symptomata nasci à duplice morbo, aliter compositionis in magnitudine aucta, quando humor ita madefacit partes ut in tumorem attollantur præternaturam, ratione cuius contractio sequitur alter in temperamento sicco, nam ratione siccitatis contrahuntur partes; unde fit quod symptomata hoc se solum non erit pathognomonicum cujuslibet morbi ex dictis; sed cum aliis signis coniunctum id faciet, quod peculiare sit cujuslibet morbi.

Quidam tandem dixerunt in convulsione ex inanitione, morbum esse in magnitudine diminuta, eò quod defectum humidæ substantiæ patitur talis pars, sed licet fiat hoc modo morbus ille, non per se & immediate sequitur illa contractio, sed tantum remotè & occasionaliter se habet.



## C A P U T I V .

### *Quot sint causæ convolutionis, sive species.*

 **M**issa circa hanc rem sententiâ eorum qui affirmârunt convolutionem causari ab spiritu vel flatu immediate, non verò ab humoribus replentibus, aut ab inanitione nervorū, quia nullius momenti est, ex eo quod repletio & distensio melius fit ab humore quam à flatibus; & quia siccitas si valet densare, cur non contrahet? Communis Medicorum sententia est causas immedias convolutionis esse repletionem & inanitionem, quod expressè fatentur Hipp. & Gal. & exemplo fidium & chordarum quæ sunt in cithara satis constat.


Avicen. autem videtur alia causam invenisse quam explicat & dicit esse *improportionem ad materiam*, id est irritatio alicujus, mediâ quâ moventur & contrahuntur musculi ad expellendum: id autem quod irritat improportionatum dicitur, ut est humor calidus mordicans, aut qualitate venenosa superveniente ad cerebrum. Et probatur quia ex eisdem causis sunt convolutiones & singultus: sed hic fit ab alia causa præter repletionem & inanitionem, scilicet ab irritatione alicujus, ut si quis edat granum piperis, in singultum incidere solet, eò quod ab ejus mordaci qualitate irritetur ventriculus ad ejus expulsionem; idem ergo in convolutione contingere debet. Deinde quia ex mortu aut vulnere fit convolutiones: sed istæ causæ sunt diversæ à repletione & inanitione; ergo præter istas sunt aliæ assignante. Sed hæc parvi momenti sunt: nam quando singultum convolutionem vocant Aurores loquuntur de motu convulsivo, multoties enim Gal. convolutionem cum motu convulsivo

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

vo confunderunt; & cùm motus convulsivus à qualitate irritante fiat, nihil mirum quod dicatur convolutionem fieri propter improprietatem materiam, quia per convolutionem, tunc intelligi debet motus convulsivus, & idem dico de affectu aut convolutione quam dicunt causari ex mortu, intelligi scilicet nomine illius motum convulsivum; & licet ratione mortu poterit fluere humor ad illam partem, & tumorem causare, non idèò hæccausa ad repletionem debet reduci, quia hoc ipso quod est mortu, reperitur talis affectus nullâ factâ inflammatione; ergo ista causa ex se præcisè quatenus talis ad repletionem debet reduci. Differentia verò quæ versatur inter motum convulsivum, & convolutionem, est quod hæc fit à morbo tantum ille verò à natura irritata & à causa morbi, aut aliquo alio simili.

Nobis autem dicendum est quod præter repletionem & inanitionem quæ tanquam causæ frequentiores enumerantur à Galen. & Avic. esse alias causas convolutionis, scilicet fatus crassi qui occupando, replendoque nervos, eos distendit secundum latitudinem, & contrahit secundum longitudinem, non aliter ac humor, sed licet hujus causæ Gal. & alij antiqui non fecerint mentionem, tamen sub repletione potest comprehendendi, quia Gal. solum fecit mentionem de causa quæ perseverat, & curationem expostulat, & cùm fatus esto evanescant, de convolutione quæ fit ex flatibus non fecit mentionem, vel dicere possumus Gal. posuisse exemplum in humoribus, quando à repletione dixit causari, idèò tamen non negavit à flatu posse causari.

Alteram causam addimus convolutionis, scilicet nimium frigus; hoc videtur esse expressum Gal. lib. 4. aph. comm. 49. dum ita dicit. Partium sunt perversiones, dum tenduntur atque contrahuntur hi qui ad eas nervi pertingunt. Quod autem tenduntur, accidit propter inflammations, vel duros tumores, aut siccitates, aut frigiditates immodicas. Quibus verbis id clare docet; & præterea ratione probatur, quia frigus ex sua natura habet vim densandi & congregandi ex sua natura non minus quam siccitas; ergo facit contractionem: sed hoc ipso quod musculi à frigiditate contrahantur, convolutionem patientur, ergo causa convolutionis dici debet. Neque communi doctrinæ Gal. contrariamur: nam licet duas causas enumeret, videlicet repletionem & inanitionem, loquitur de his quæ frequenter contingunt, non quia ex frigore non possit causari. Denique advertere oportet quod Gal. convolutionem ex repletione ita explicat, quia pars in tumorem elevatur, ut distensio fiat secundum latum, contractio verò secundum longitudinem, qui modus non reperitur in quovis humorè irritante.



## C A P U T V .

### *Quis modus sit quo quælibet causa ex dictis convolutionem paret.*

 **S**uppositis jam convolutionis causis, restat scire quomodo contractio

*CCC ab*

ab eis fiat; antea tamen advertere oportet, quod quando dicimus convulsionem à solo morbo fieri, non debet intelligi juxta eos qui arbitrantur morbum esse qualitatem consistentem in disproportione in sensu formalis, sed pro fundamento, scilicet aut ab humore repleente, aut à siccitate comprimente.

Hoc ergo supposito dicimus quod quando convulsio fit ex repletione, contingit illa contractio muscularum versus suam originem, ex eo quod per repletionem cavitatum, vel existente humore, in origine & radice nervorum, distenduntur & dilatantur quoad latitudinem & comprimuntur quoad longitudinem: si autem talis humor facit tumorem, ratione cuius pars etiam distenditur quoad latitudinem & abbreviatur quoad longitudinem, oportet humorem extravasari & ad porositates exire, ut indè elevet tumorem in parte & praedicta contractio fiat.

Major est difficultas circa secundam causam, quare scilicet ex siccitate aut ex defectu substantiae humidæ praedicta contractio fiat: Et videtur quod non, nam qui laborant marasmo praediti sunt majori siccitate quam qui convulsionem patiuntur: sed illi convulsione non laborant, ergo à siccitate sive defectu humidæ substantiae, contractio illa quæ invenitur in convulsione inveniri non potest: sed hoc argumentum parvam vim habet: nam licet concedamus in marasmo affectis esse majorem siccitatem (de quo in præsenti non disputamus) tamen cum siccitas sit æqualis in omnibus partibus musculi, non est major ratio quæ potius versus unam partem quam versus aliam accessus fiat: at verò in his qui convulsionem patiuntur siccitas inæqualiter est in partibus musculi, & sic una pars versus unam movetur, & sic contractio fit in convulsione affectis, non verò in marasmo laborantibus.

Sed ut hoc dubium clarius intelligatur, examinare oportet an partes ex inanitione convellantur propter defectum humidæ substantiae, an verò propter siccitatem positivam, quæ ibi productur. Ad quod breviter dicimus à siccitate positiva oriri illam contractionem tanquam à causa per se immediata compri mente & unierte ipsas partes; ex defectu verò humidæ substantiae nasci tanquam à causa necessaria, sine qua non, & per accidens, quia solum conducit ut oriatur siccitas ab interno principio.

Sed quæres à quo effectivè coëunt illæ partes, cum siccitas non movat localiter. Respondeo quod licet siccitas per se primò non moveat localiter aliud corpus, bene tamen potest in proprio subjecto facere unionem localem partium, ex eo quod corpus densum minorem locum occupat per minorem presentiam localem intrinsecam quam habet; quod autem siccitas denser quis neget; ergo sicut per raritatem partes occupant majorem locum, ita per densitatem minorem: cum ergo siccitas hoc faciat, nihil mirum quod hæc per se faciat contractionem quæ reperitur in inanitione; hæc autem siccitas non potest stare quin consumptionem humidæ substantiae faciat; siquidem si hoc facit, debet esse in aliquali intensione quæ sufficiens sit ad consumptionem praedictam faciendam.

## CAPUT VI.

*Quænam sit pars affecta in convulsione.*

**B**REVITER ea quæ ad hoc dubium attinenttingam, si dicam partem affectam in convulsione debere esse muscularis: nam ab eodem instrumento organico elicitur motus voluntarius, ac elicitur motus ille depravatus qui in convulsione reperitur, quia similis est motui voluntario, licet coacte, & à morbo tantum fiat: sed motus voluntarij instrumentum est muscularis; ergo etiam illius motus depravati, qui fit in convulsione, ac proinde pars quæ pati debet, debent esse muscularis: partem verò elicivam actionis diximus in alia parte esse carnem fibrosam, quæ necessariò debet pati, aut per se, aut per consensum in vera convulsione, sicut etiam musculi quando patiuntur per se, quandoque per consensum, quando scilicet patitur nervus, ut cum iste in tumorem attollitur, vel exiccatur, tunc necessariò musculus consentit, cum hic sit organum conflatum ex nervis.

## CAPUT VII.

*De Signis & causis convulsionis.*

**E**X signis à Galen. traditis alia sunt quæ demonstrant causam à qua fit convulsio, alia verò quæ denotant partem affectam: tradit etiam signa quibus possimus cognoscere an convulsio fit ex repletione, an verò ex inanitione; signa autem ostendentia convulsionem ex inanitione sunt labor, vigilia, famæ, sollicitudo, febris arida æstuans, qualis solet reperiri in phreniticis, & præcedentia alicujus immodicæ evacuationis, ratione quorum vivens exiccatur, & humida substantia deperditur & inanitio fit, ac per consequens contractio quæ in convulsione invenitur.

Cum autem inter signa ostendentia convulsionem ex siccitate, aut ex inanitione, ponat Galenus ea omnia quæ numeravimus; quæ virtutem habent exicandi, & inter illa labor ponatur, videre oportet quæ ratione, ex labore siccitas & defectus humidæ substantiae producatur. Ad quod supponere oportet nomine laboris intelligi exercitium immodicum per motum localem. Quo supposito non erit difficile assignare rationem quæ exiccat: nam cum ratione motus & exercitij, spiritus & totum corpus magis calefiat, & amplius quam oportet, nihil mirum quod ratione intensioris caloris humidum absumatur, & corpus ratione illius motus exicetur. Alia etiam ratio hujus assignari potest, & est quia cum spiritus sint humili intensius quam sit nostra natura, fit indè ut illam humectent; & cum ratione motus magis calefiant, attenuantur magis, & sic resolvuntur; si verò resolvuntur: ergo deficit humidum

humidum quod intensius est quam nostra natura, & sic vivens exsiccatur ob laborem; quod qualibet ex his rationibus potest defendi.

Posuit inter causas convulsionis ex siccitate, vel inanitione etiam febrem astuantem, qualis reperitur in phreniticis, id est febrem exiccatam, ut intelligamus non hoc ipso quod quis incidit in febrem, incidere in convolutionem ex inanitione, sed potest esse ex repletione, ex eo quod ratione caloris humores possunt liquari & fundi, ac proinde occupare & currere ad aliquem musculum, cumque distendere secundum latitudinem, & contrahere secundum longitudinem: oportet ergo quod quando convulsio ex inanitione nascitur a dicta febre, quod non statim incident in convolutionem, ac incident in febrem, sed paulatim transacto aliquo tempore, quo valat calor exiccare.

Sed quæres, an possit convulsio ex siccitate invadere a principio, a causa saltim proctarctica, non præcedentia alio morbo, hoc est an possit contingere subito, sicut convulsio ex repletione subito sit; ita ut verbum *subito*, non significet non præcedentiam alterius morbi: nam jam diximus convolutionem ex repletione posse fieri præcedente febre adhuc astuante, & sic etiam hæc convulsio subito non fieret in hoc sensu, significat ergo verbum *subito*, breve tempus. Hoc ergo supposito dicimus convolutionem ex siccitate non posse a principio invadere absque præcedentia alterius morbi, & paulatim etiam induci aſtero. Probatur, quia si contrarium fieret, maximè quia subiectum dispositum est, & exsiccatum; hæc autem siccitas esset morbus; nam cum illa non erat convulsio, & cum intensior est; oportet ergo dare causam quæ ulteriore illum gradum producat, ac proinde cæteræ causæ exsiccantes dummodo ad illam intensiōnem non perveniant, morbum prius inducent antequam convolutionem. Et licet marasmus & quælibet hecūca febris possit induci a principio non præcedente aliâ febre, non verò non præcedente alio morbo, nam siccitas antequam sit in sufficiēte intensione ad hanc febrem, morbosa erit.

Hucusque de causis demonstrantibus convolutionem ex inanitione egi, restat nunc causas demonstrantes convolutionem ex repletione assignare. Et quidem una ex his est plenitudo corporis, & otium, quod maximè conductit ad multitudinem humorum crudorum; hoc expressit Gal. lib. 2. aph. comm. 26. *Cum igitur, ait, aliquem sanum contigerit repente convelli: hujusmodi convolutionem necesse est ex repletione fieri.* Nam quæ sit a siccitate, paulatim excitatur; si verò fiat a frigore facile constat externa aliqua refrigeratione, aut ex de cubitu in loco frigido.

Hanc autem convolutionem quæ sit ex repletione, omnes Autores convenient fieri ex tribus humoribus, sanguine scilicet, pituita & melancholia, vel tumorem elevantibus, & sic contractionem illam facientibus modo explicato; vel absque eo quod tumorem elevent, solum suā copiā, madefaciēte tamen, ita ut non unam solam partem, sed totum nervum prehendant. Sicut in lyris contingit. Hoc ergo supposito, dubium potest esse an ex bile etiam

contingat convulsio ex repletione; & breviter dico non esse ullam repugnantiam quare ab ea fieri non possit: nam sua quantitate posse obstruere satis ostendimus, cap. de apoplexia, & similiter potest tumorem elevare; non est ergo ratio quare convolutionem causare non possit si dictis stemus.

Sed dices quod antequam bilis sit in quantitate sufficienti, ut obstruat, & tumorem elevat, irritabit sua qualitate, ac proinde expellitur a natura, antequam convolutionē exciter.

Respondetur hoc non ita contingere: nam potest tam citò in tanta quantitate fluere, ut non sit tempus sensibilis Medico antequam excitet convolutionem, & sua quantitate obstruat. Vel possumus dicere cum Petr. Garcia quod licet bilis accedit ad nervos, aut eorum exortum, vel cavum, non expelletur motu convulsivo: nam talem modum expellendi quæ moveri potest; nervus autem non moverit secundum se. Sed contra hoc mihi videtur quia cum musculus sit pars affecta in convolutione, ut diximus, si ad eum accedit portio bilis, non est cur non irritetur sua qualitate, & cum possit moveri, non est cur bilem non expellat, ac proinde antequam possit facere convolutionem expelletur.

## C A P V T VIII.

*An Tetanus sit convulsio.*

**T**OMMUNITER Autores enumerant tres species convolutionis, scilicet Emphrōthotonos, Opisthotonus, & Tetanus, in præsenti autē capite de Tetano erit sermo, an scilicet sit vera convulsio. Et quidē videtur quod non: nā convulsio, vera est contractio muscularum versus suam originem: sed in tetano nulla est contractio, imo potius membrum tetano laborans rigidum appetit, quod contrarium est convolutioni & contractioni, ergo Tetanus licet conveniat cum convolutione in ratione generica pravæ figuræ, tamen contrariatur ei, quatenus in Tetano non est contractio, sed membrum rigidum, & in convolutione est vera contractio, & membrum rigidum non est. Aliqui ad hoc respondent quod licet in Tetano de facto non sit contractio, est tamen causa de se valens contractionem facere, quæ de facto non facit ratione impedimenti, scilicet quia contraria pars est affecta, & sic musculus contrarius, resistit contractioni alterius, quo fit ut uterque musculus habeat causam sufficientem valens contractionem facere in Tetano, & tamen mutuò se impediāt, & sic pars rigida maneat in Tetano.

Nobis tamen dicendum est, tetanum esse veram convolutionem, quod sic probo: nam licet membrum rigidum in eo appareat, & quiescere videatur, verum est quod ibi est actio musculi, licet pars immobilis sit, cum autem nulla sit actio musculi præter contractionem, indè est quod in tetano uterque musculus de facto agit, & contrahitur, pars tamen rigida appetit immota, ex eo quod cum musculi contrarij simul agant, & contrahantur, sese mutuò impediunt, & ita pars non potest moveri, neque cedere in aliquam

CC 2 partem.

partem, licet in utroque musculo sit vera contractio de facto facta à solo morbo; operatur enim ejus causa detinendo partem in illo situ. Hinc clarè intelligetur tetani definitio, si dicamus, *Tetanus est cùm partes invite in contraria retrahuntur à musculis oppositis.* Ex quo etiam facile intelligitur tetanum vocari convulsionem compositam, ex eo quod in tetano concedimus contractiorem in utroque musculo opposito, ratione cuius pars tetano affecta rigida appetet, licet musculi contractantur.

## C A P U T I X.

*Quot sint species convolutionis ratione partis.*

**A**UTORES omnes convenient in assi- gnandis speciebus convolutionis ratione partis, & dicunt esse tres. Prima est quando caput vergit ad thoracem, & dicitur *Emprosthetonus.* Secunda quando caput vergit ad spatu- las & posteriores partes, & dicitur *Epi- sthetonus.* Tertia species est quando ad nullam par- tem vergit, sed rigidam manet, & dicitur *Tetanus.*

Sed contra istam communem & à nobis defendendam doctrinam arguunt sic: nam ex dictis solùm colligitur quod sint tres species convolutionis spectantes ad caput: at sic est quod etiam in aliis partibus convolutione repetitur: ergo respectu earum aliæ diversæ spe- cies convolutionis statui debent.

Respondeatur quod sub illa divisione comprehenduntur convolutiones omnium partium; nam illa divisio est in omnem illam partem quæ antè, aut retrò, aut versus nullam par- tem vergit; cùm autem hoc conveniat omnibus partibus, nam vel antè convelluntur, vel retrò, vel rigidæ manent, & sic omnibus par- tibus illæ species convolutionis sunt communes; ponunt autem Autores exemplum in capite, quia convolutiones ejus sunt manife- stiores, & magis obviae sensibus.

Dices secundò; caput non solùm vergit, antè & retrò, & ad nullam partem quando rigidæ manet, sed etiam vergit ad latus ver- sus humeros; ergo si ex eo quod vergit antè & retrò, duas species statuant Authores, etiam ex eo quod vergit ad latus, alias duas statuere debent.

Respondeatur illas contractiones versus la- tus fieri ab eisdem musculis à quibus aliæ con- tractiones versus partem anteriorem & poste- riorem fiunt; undè fiunt quod cùm omnes hujusmodi contractiones ab eisdem musculis fiunt in omnibus his tantum sunt illi duo musculi affecti, ac proindè dum species ratio- ne partis affectæ enumerantur, tantum duas enumerat, licet motus & inclinatio partis sit diversa, quando est versus humeros quam quando est versus anteriores aut posteriores partes. Quod autem non sint diversi musculi ponendi ad omnes diversos motus partium, constat; nam ab eisdem musculis brachium movetur sursum & deorsum, & circulariter; ergo idem contingit in capite & in quolibet alio membro.

## C A P U T X.

*An in vulneribus capitum convulsi- fiat in latere opposito, & para- ly sis in principio, & habeat cau- sam aliquam ex dictis.*

**C**OCCASIONEM huic dubio dedit Hippocr. nam lib. de vulneribus capitum recenset illorum signa mortalia, dicit: *Plerisque enim nervorum distensio in altera parte corporis supernascitur: siquidem vulnus in sinistra capitum parte fuerit, nervorum distensio dexteram corporis occupat; si dextera capitum vulnerata sit, nervi in sinistra corporis disten- duntur.* Quibus verbis clarissime constat rationem dubitandi ab Hipp. insinuatam esse, quare scilicet hoc contingat. Ad quod adverte quod Hippocr. non vult semper contingere quod dextra latere affecto, vel vulnerato, sinistrum convelli, sed ut plurimum, ut de- notatur per illud verbum *plerisque.* Secundò nota ibi loqui de vera convolutione, & non de motu convulsivo.

Hoc ergo supposito, & prætermisso oc- culto consensu nervorum ad quod Peramatus reducit prædictum eventum; quia sine fundamento est. Accedamus ad placitum Gentili- lis qui ait causam hujus eventus esse, quia cùm pars vulnerata sit debilis, non potest contrahi super materiam, sed subsidet & laxatur: pars verò distantior siccior est, & ita potest con- trahi: sed hæc ratio insufficiens est, quia non reddit rationem ob quam paralysis sit in par- te vulnerata; nam licet non possit contrahi ob debilitatem, non ideo sequitur non posse paralysi laborare.

Sed reddit rationem quare contingat para- ly sis in parte vulnerata: nam cùm ad partem vulneratam currat quamplurima copia humoris, ut potè debilem quæ valet obstruere, & sic facit paralysim, ad oppositam verò partem minor copia humoris fluit, & sic facit motum convulsivum: sed hæc ratio etiam insuf- ficiens est, quia non reddit rationem quare ad partem oppositam sanam aliquid debeat fluere.


Sed ut ad resolutionem hujus dubij acceda- mus, nota sermonem esse, ut dixi, de vera convolutione. Secundò nota duobus modis posse intelligi excitari convolutionem ex ulce- re, aut ortâ inflammatione in parte ulcerata distendentèque secundum latum, vel quia postquam cepit apparere, evanuit tamen, & hoc est frequentius. Et ratio est quia cùm in illis ulceribus tumores evanescunt, intrò re- currunt, radicésque nervorum occupant, & fit convulsio. Quando ergo Hipp. inter lethalia signa vulnerum capitum posuit & affi- gnavit convolutionem contrarij lateris, loquitur de illa quæ fit tumore non apparente per- severanter, nam si tumor, aut inflammatio appareat, potius est consentaneum rationi fieri in eodem latere convolutionem.

Sed dices: si parte exulcerata dextrâ exi- stente, potest fieri convulsio in sinistra, & è contrà

contrà cur parte posteriori exulceratâ, non fiet convulsio in anteriori, & è contrà?

Respondetur partem dextram esse proximorem parti sinistram; partem autem posteriorem esse distantiorem à parte anteriori, & sic parte dextrâ paciente vulnere pars sinistra afficitur, & è contrà; non verò parte anteriori pars posterior patitur: nam alias in longinquam partem fieret consensus.

non est opus immediatam causam actionis lœsa rationem morbi habere, licet verum sit omne symptomā procedere à morbo mediatae, vel immediate. Explicatum autem jam est quod ille motus deorsum sit prætermaturam ex parte principij, non corpori ut gravi, nam ut sic, naturalis est, sed corpori in quantum animatum animâ sensitivâ.




## C A P U T II.

### *Ad quam facultatem spectet Tremor.*

## DISPUTATIO XXII.

### *De Tremore.*



## C A P U T PRIMUM.

### *Quid sit Tremor.*

**T**E R ea quæ solent evenire musculis, est tremor, qui secundum Medicinæ parentes est symptomā in actione lœsa proveniens à facultate debili.

Sed restat dubium sub quo membro actionis lœsa tremor sit; & videtur esse sub actione diminuta. Et probatur quia tremor procedit ex debili facultate ex omnium Medicorum sententia: sed quando ex tali facultate procedit hujusmodi symptomā, est lœsa actionis in diminutione: ergo si à debili facultate procedit, symptomā in actione diminuta est tremor.

Nobis autem dicendum est tremorem esse symptomā ex duplice motu compositum, sursum scilicet & deorsum, constatque duplice motore, gravitate scilicet ad motum deorsum, & facultate debili, ad motum sursum & sic tremorem partim esse actionem diminutam, quantum ad id quod fit à debili facultate, partim verò esse actionem depravatam quantum ad id quod fit à gravitate, ac proindè motus deorsum qui à gravitate fit est depravatus & erroneus, non auctus: dicitur autem erroneus in quantum fit à gravitate, virtus scilicet principij; motus autem sursum cùm ex debili facultate procedat, non est dubium quin sit diminutus: cùm autem tremor sit symptomā compositum ex duplice motu, sursum scilicet & deorsum, non erit mirum partim esse actionem depravatam, partim verò diminutam.

Sed dices: motus deorsum non est præter naturam: siquidem à gravitate quæ est principium naturale illius motus: ergo non habet rationem symptomatis in actione lœsa per depravationem.

Respondetur illum motum deorsum esse naturalem corpori in quantum grave est, non verò in quantum animatum animâ sensitivâ: nam juxta hanc rationē debet moveri ab alio principio, & non à gravitate; & licet verum sit habere rationem symptomatis, non tamen rectè infertur gravitatem illam habere rationem morbi, licet ab illa fiat immediata, quia

**S**ENTENTIA satis communis & recepta apud Autores antiquos est, tremorem esse symptomā facultatis animalis motivæ quæ sponte agit, & voluntariè. Hoc exp̄sē tenent Galenus & Avic. quampluribus in locis, & præcipue Gal. lib. de differ. symptom. cap. 3, & lib. epid. 3, part. I. comment. 4. dum ita dicit, *Iam motus voluntarij qui secundum naturam obitur, una est forma qui tremor appellatur.* Idem etiam exp̄sē facetur quampluribus aliis in locis.

Sed videtur hoc non consonare cum dictis cap. præcedenti, ibi enim diximus tremorem constare dupli motu, sursum scilicet & deorsum, quorum quilibet fit à suo motore, ita ut motus deorsum fiat, à gravitate: sed motus factus à gravitate non est cur dicatur facultatis animalis motivæ esse, neque ullo modo voluntarius: ergo.

Respondetur quod licet quod in argumen-  
to proponitur est verum, tamen merito dic-  
tur tremor symptomā facultatis animalis,  
etiam secundum motum deorsum, quia quod  
gravitas moveat, tunc ex debilitate virtutis  
procedit, licet non efficienter: undè fit tre-  
morem etiam quoad utrumque motum dici  
aliqua ratione nobis voluntarium, in quan-  
tum est in nostra potestate operari, vel fecūs;  
dicitur tamen motus ille deorsum invito  
animali fieri, quia postquam cepit animal  
moveare sursum, tunc licet velit continere  
partem, in se ipsam, aut ulterius progredi mo-  
tum, non poterit.

Sed dices non omnem tremorem factum  
mediis musculis & nervis esse voluntarium;  
nam duplex est tremor, unus perfectus & ex-  
quisitus, qui fit ex debili facultate & gravi-  
tate membra, ut est in senibus ut convales-  
centibus, qui motus est voluntarius, ut dixi-  
mus: alius verò est motus tremulus omnino  
morbosus, fitque ex causa irritante quæ ani-  
malem facultatem cogit ad opus, & ex gravi-  
tate membra quæ contrarium motum (deor-  
sum scilicet) cogit fieri: in hoc autem fa-  
culta animalis involuntariè movere, & di-  
citur talis motus convulsivus. Quod patet;  
nam talis motus non potest per voluntatem  
nostram cohiberi; neque eā renuente non fie-  
ri, ac proindè non omnis motus factus me-  
diis musculis, & nervis debet vocari vo-  
luntarius.

Sed licet non sit præter rationē motum il-  
lum convulsivum fieri à debili facultate quæ  
C C C 3 irritata

irritata moveat mediis musculis , & à gravitate ipsius partis in motum deorsum inclinante , ( licet habeat difficultatem , cùm motus iste sit ad expulsionem causæ molestantis : quo pacto constat duplici motu altero à gravitate , cùm iste non sit accommodatus ad expulsionem illam . ) Nolo in præsenti contentionem facere an motus iste convulsivus qui reperiri solet in malignis febribus , possit dici verus tremor , quia potius quæstio de nomine quam de re est . Sed nobis non placet dicere , quod si motus ille sit mediis musculis & nervis , sit involuntarius , sed potius necessariò voluntarium debere esse : nam facultas animalis semper operatur cum subordinatione ad cognitionem & ad actionem appetitus sensitivi ; & sic licet molestia & irritatio præcedat , ad illam semper hoc modo operatur , ac proindè facultas executiva motus non potest in nobis fieri renuente voluntate , licet non postuler motus ille actum positivum voluntatis inclinantem ad eum ; unde colligimus motum illum convulsivum mediis musculis factum non fieri in nobis necessariò , adhuc si præcedat irritatio , dummodò caput bene valeat ; siquidem voluntas nostra ex irritatione non necessitatatur .

Unde deducimus non esse inconveniens musculos quamvis sint instrumenta voluntarij motus pati aliquod præter voluntatem , ut in vera convulsione contingit , quia nos non querimus passionis causam , sed agentem quæ si facultas animalis sit , non potest facere motum in nobis renuente voluntate .

Nobis dicendum est in præsenti talem motum muscularum in quantum non cessat ex voluntate nullo modo fieri à facultate motiva animali , neque secundum totum , neque secundum partem , sed fieri à causa contra naturam , nempe ab humore , aut tenui aliqua substantia immèdiatè , quæ effectivè movet partem intra quam includitur , humor vero ille aut tenuis substantia movetur à facultate naturali expellente quæ præcedente sensu obiecti operatur ; hoc autem non est inconveniens , ut pater in fibris naturalibus quæ mouentur ad expulsionem in ventriculo , & in intestinis præcedente sensu tactu irritatione : non ergo est inconveniens facultatem naturalem expellentem mediā sensu tactu irritatione operetur , dummodò talis motus non subordinetur per se imaginationi , & appetitu , ad quem motum ea parte quæ est deorsum , non implicat juvari etiam à gravitate ipsius membra . Denique constat hunc motum convulsivum differre à convulsione , quia ista à solo morbo , nullà operante facultate fit .

• • • • • + • • • • • • • • • • • • •

### CAP V T III.

*An Tremor fiat à duplice motore ,  
an ab uno .*

**A**N QUAM certum in hoc dubio suppono sermonem esse de vero tremore , & non de motu convulsivo ; an scilicet fiat à duplice motore ; estque ex-

pressa Gal. mens , in tremore esse motum sursum factum à facultate debili , ita ut ob ejus debilitatem nec possit progredi motum sursum , neque in eo sistere , ac proindè deorsum movetur à gravitate membra naturali , vel quandoque à gravitate præternaturam humoris indebiti , in ipsa parte ponderantis ; quot fit ut in tremore sit duplex motor , & duplex motus , unus deorsum in quo sisteret pars , si non esset facultas intendens motum sursum tanquam principium efficiens ejus , & alter sursum factum à sola facultate .

Unde fit quod licet motus deorsum fiat à gravitate ipsius partis naturali quæ nullo modo habet rationem morbi , tamen optimè à Galeno dicitur tremorem fieri à natura , hoc est à facultate secundum motum sursum , & à morbo secundum motum deorsum , non quia gravitas partis naturalis sit morbus , sed quia satis est ut ille motus sit symptoma fieri ab aliquo principio ratione morbi , & quia gravitas ibi non moveret nisi adesset morbus , ex quo virtus motiva animalis debilitaretur , idè dicitur fieri à morbo , remotè tamen & occasionaliter , licet fiat à gravitate efficienter & immediatè , quæ morbus non est , nisi fiat à gravitate humorum extensum in muscularis , pondus præternaturam facientibus in partibus , tunc enim gravitas illa morbosa , & præternaturam erit .

Ex Medicis solus Gentilis de Fuligineo non convenit cum Gal. sed affirmit quod licet in tremore sit duplex motus , sursum & deorsum , non tamen fit à duplice motore , sed ab uno , nempe à facultate : Et probat quia additio resistentiae in mobili supra virtutem motoris , non facit distinctum motum , sed eundem motum facit tardiorum : sed gravitas illa quæ est in tremore est additio resistentiae mobilis ; ergo solum ex illa fiet motus à facultate tardius , non verò fiet diversus motus .

Sed Respondent aliqui satis acutè , quod quando additio resistentiae superat virtutem motoris , tunc fiet alius motus ; si verò non superet , licet sit additio resistentiae mobilis , solum faciet motum tardiorum , ac proindè in tremore gravitas superat virtutem facultatis , & sic fit ille motus diversus deorsum à gravitate , & non à facultate .


Tamen contra istam solutionem possumus insurgere : nam oportet explicare si in motu deorsum vincit gravitas à quo postea crescit virtus animalis , ut moveat sursum , & à quo etiam diminuitur , ut vincat gravitas ; à nullo certè videtur hoc fieri : nam virtus est redditus debilis propter morbum ; hoc autem eodem modo se habet : ergo semper virtus moveat debilis , ac proindè non est unde crescat ut faciat rursus motum sursum postquam est vieta à gravitate faciente motum deorsum .

Ad hoc in quo tota est difficultas Respondent aliqui facultatem in illis qualitatibus reperi non aliter ac facultas vitalis in pulsu intermitteri , parvis illis quietibus reparatur , & rursus intendit motum , & arteriam moveat quam tempore quietis non poterat moveare ; sic ergo facultas animalis quando in motu deorsum factum à gravitate quiescat , reparatur , & sic rursus facit motum sursum . Sed licet ab his Autoribus assignetur occasio

in qua reparatur virtus, non tamen explicatur quo pacto fiat. Et ita nobis cum Gal. dicendum est, contingere quia impedimentum quod erat ad virtutis descensum, variatur in ordine ad ipsam. Itaque aliquando vincitur virtus propter magnam obstructionem & integrum, quo fit ut tunc fiat motus deorsum à gravitate, aliquando vero non vincitur virtus, ex eo quod obstructio non est integra, & ita virtus potest communicari; quo fit ut conante facultate, se excitet ut causam obstruentem, quodammodo expellat, & sic influxus possit communicari, ita ut contra gravitatem rursus sursum moveatur pars à propria facultate.

Hinc ergo constat rigorem non fieri à duplice motore: nam non constat duplice motu; non enim constat motu deorsum; siquidem cum rigor totus sit ad expulsionem materiae, & motus deorsum ad id non conducat, indè est quod talis non sit in rigore, ac proinde non nisi unicus motus, scilicet facultas, licet verum sit quod etiam duplex motus ab eodem motore fieri potest; tamen quod dicimus est, in tremore duplum illum motum non fieri ab uno motore, sed à duplice.

Quod sic probo: nam ille duplex motus sursum scilicet & deorsum, non potest fieri ab uno motore, quia non à gravitate, siquidem hæc non potest movere sursum corpus cui inest, neque à facultate animali motiva: nam si potest movere altero motu contraria, non est cur non possit continuare priorem, vel saltim in eo sistere, & sic vel continuabit motum sursum, vel in eo sistet; non vero faciet motum deorsum. Dices majus robur virtutis requiri, ut continuetur motus sursum, quam ut fiat motus deorsum, quia ad hunc juvat gravitas, ad illum resistit; tamen contra est, quia saltem poterit retardare motum deorsum, ne tanta celeritate fiat: sed cum experientia constet fieri secundum proportionem gravitatis id non contingit; ratio autem cur non possit fieri à facultate uterque motus, est quia non esset major ratio cur unus quam alter fieret: nam dispositio præternaturam eadem remanet quoad utrumque motum. Neque valet dicere utrumque motum esse voluntarium cum mediis musculis sit factum, & ideo pro voluntate hunc vel illum exerceri: nam contra est; nam motus deorsum multoties fit repugnante voluntate: nam quando volumus movere brachium sursum ob aliquem finem, tunc motus deorsum ad nihil conductus, sed potius est impedimentum ad consequitionem finis, & sic est præter voluntatem: manet ergo esse duplum motorem.



## CAPVT IV.

*Quis morbus reperiatur in Tremore,  
& quas causas habeat.*

**G**UARD omne symptoma à morbo nasci debet, querimus in praesenti à quo morbo tremor nascatur: licet etiam ipse tre-

mor qui symptoma, est habeat etiam rationem morbi instrumentalis in situ mutato. Sed dubio breviter respondeamus morbum à quo procedit tremor non esse unum, sed diversos, tot nempè quot possunt debilem reddere facultatem, & virtutem animalem sicut obstructio, aut aliquid aliud, ut patet in senibus & convalescentibus, in quibus ob debilitatem virtutis tremores sunt: constat etiam in eis qui portant aliquod onus majus quam recte, possint vires ferre.

Circa causas à quibus potest tremor causari, dicit Avicen. esse tres, aut ex parte virtutis, aut instrumenti, aut utriusque simul. Primum contingit quando virtus debilitatur, aut propter passiones animi, aut propter consumptionem spirituum, aut propter obstructionem impedientem communicationem virtutis ad sensum & motum, ratione cuius manet improprioportionata facultas cum pondera, & sic fit tremor. Secundum contingit per vitium instrumenti, ut si mollificetur ab humiditate, aut frigore quod debilitat nervos, aut spiritus, aut nimirè exiccatur, ita ut non obediat reflexioni facilè. Denique causa ex parte utriusque contingit, quando simul istæ duæ adsunt. Et hæc de hac Disputatione.




## DE AFFECTIBVS Oculorum.




T clariùs in affectionibus oculorum procedamus, advertere debemus oculum posse pati morbum ut pars similaris est, ut quando aliqua distemperie præternaturam afficitur, & etiam potest pati ut instrumentalis pars est, ut quando meatus obturatur propter inflammationem, aut scirrum, & quid simile, quod contingit malo oculis non apparente. Denique aliud vitium est cum nihil aut exiguum splendidi spiritus à cerebro in oculos descendit; nam cum mediis spiritibus virtus ad sensum & motum communicetur, nihil mirum quod deficientibus spiritibus visio lœdatur.

Rursus advertere debemus visionem tripliciter lœdi posse, vel ablatè, ut contingit in cæcitate, in qua si nihil prorsus in oculo appetat, dicitur Græcè *Amavrosis*, quæ accedit, aut propter obstructionem nervorum opticorum compressionemque, aut quia virtus à cerebro deficit; vel depravatè visio fit, quando scilicet apparent videri objecta quæ non sunt, quam affectionem Græcè appellant *Pororasm*. Quid si contingat ob crassum humorum inter crystallum, & tunicam corneam, dicitur *Cataracta*; denique potest diminutè lœdi visio, & dicitur *Ambliopia*, sive imbecillitas; cum ergo lœdatur visio propter nervos opticos, tunicas, humores male affectos, & propter vitia spirituum, vigilatim de his agendum est; & initium summus ab affectionibus tunicarum.



## DISPUTATIO XXIII.


*De Affectibus tunica adnatae.*

## CAPUT PRIMUM.

*De Ophthalmia.*

X morbis quibus tunica adnata, idest tunica externa quæ constituit album oculi, solet affici, est ophthalmia, Latinè lippitudo dicta, quæ definitur, *Est inflammatio tunica adnatae.* Ubi adverte, nomine inflammationis non phlogosim, sed verum humorem intelligi. Duplex solet inter Medicos dici ophthalmia seu lippitudo, una propria quæ vera inflammatio est tunicae adnatae; alia impropria quæ perturbatio dicitur, vel ophthalmia incipiens quæ non in vero tumore consistit, sed rubidine oculi cognoscitur, & à causis externis frequenter excitatur, ita ut multoties auferatur, hoc ipso quod causa externa aufertur, qualis solet esse aer, insolatio, & aliæ similes: Et hinc sit quod cum perturbatio seu ophthalmia incipiens non sit morbus consistens in vero tumore, quod sit morbus distemperiei calidæ & humidæ cum materia, idest cum humore. Sed adverte humorem illum descendantem ad tunicam albam externam adnatam dictam, & ruborem causantem in albo oculi non esse sincerum sanguinem quartum humorem, sed aliquid mastæ sanguinaria descendere; & cum quartus humor, in illa, est in majori quantitate, vigeat ejus color rubor, & sic apparet rubedo in oculo, non quia solus quartus humor descendant, quia non erat major ratio cur ille quam reliqui humores descenderent, sed ob rationem dictam.

Hinc constat veram ophthalmiam constere in vero tumore, ac per consequens esse, morbum instrumentalem, vel temperamentum fluxu humoris, ut quis voluerit opinari. Denique alias affectus tunicae adnatae est qui dicitur *Chemosis*, qui solùm per magnitudinem à lippitudine differt; nam in chemosi major inflammatio quam in lippitudine est.



## CAPUT II.

*De Pterygio.*

**A**LTER morbus solet evenire tunicae adnatae qui *Pterygium* dicitur, qui nihil aliud est quam caro dura similis nervo supercrescens in tunica adnata ad modum unguis, & ut plurimum incipiens à lacryma-


li; quod his verbis explicuit Avicennas *fen 3. lib. 3. tract. 2. cap. 22.* dicens, *Est additio conjunctiva, & velaminis continentis oculum, incipiens secundum plurimum à lacrimali, & currens semper super conjunctivam.*

Sed oportet explicare quis morbus sit pterygium. Et dicimus breviter esse morbum in numero aucto, laederéque actiones, & quia contractionis oculi motum impedit, tum etiam quia procidendo totam pupillam contegat; ex quibus prior laesio est quantum ad motum, & secunda quantum ad sensum, quia scilicet cum sit corpus opacum, facit umbram, & ideo obtenebrat. Ex quibus planè constat esse partem viventis.

Deinde alius est morbus qui huic tunicae tribuitur, & dicitur hypophasma, idest quando ex iecu aut percussione rumpuntur venæ hujus tunicae adnatae, taliter ut exeat sanguis: qui morbus licet aliis partibus corporis conveniat, tamen quia frequenter contingit in hac tunica, illi tribuitur; posse etiam fieri à causa interna, ut à fervore sanguinis, asserimus.

*Hypophasma.*

## DISPUTATIO XXIV.

*De Affectibus tunicae corneaæ.*

## CAPUT PRIMUM.

*An ex mutatione coloris hujus tunicae, & cum humores fluunt diversi coloris, laedatur visio.*



Ro intelligentia totius disputationis oportet advertere tunicam corneam laedi quoad visionem, vel quia inspissetur, vel quia incrassetur, vel quia humectetur, vel quia colorem mutaverit, ed quod talis tunica est tenuis, dura, densa, & splendida, & sic per crassitatem, aut inspissitudinem opacitatem contrahit, & sic est impedimento quo minus recipiatur intrinsecus lumen in parte elicativa visionis; ratione vero humiditatis fit visio caliginosa, ed quod partes ab illa laxantur & concidunt inter se, sique adumbratio contingit, & visio fit laesa.

Sed quod majorem difficultatem habet in presenti cap. est explicare an per mutationem coloris hujus tunicae, aut cum humores sunt diversi coloris, laedatur visio. Et partem affirmantem videtur tenete Gal. & probat similitudine de sensu gustus: nam si quis intra sensum gustus habeat saporem amarum; omnia externa quantumvis dulcia sint, apparent amara; ergo eadem erit ratio de colore in sensu visus; ita ut si in ejus organo sit unus color, objecta omnia apparebunt talis coloris.


Sed his non obstantibus contraria sententia tanquam vera est nobis sustinenda. Et probatur primò quia Aristot. in quibusdam tunicis

tunicis oculorum posuit colores, & tamē experientiā constat non videri omnia externa ejusdē coloris: ergo idē tenendum est de mutatio-  
ne coloris tunicae cornea. Dices, verum esse si tunicae prædictæ in quibus adest aliquis col-  
or, essent elicitiæ visionis, sed cūm non sint,  
nihil probat argumentū. Tamen cōtra est, quia  
species objectorum ita recipiuntur in aliis par-  
tibus quæ sunt ante humorē crystallinū, sicut  
in ipso, ac proindē variabunt ipsam visionem  
per variationē speciei; ergo si non cōtingit in  
casu positō; neq; continget variatio, quamvis  
tunica cornea afficiatur quolibet colore.

Deindē, quia licet imaginatio sit potentia  
existens in organo corporali habente qual-  
itates naturales, istae non impediunt imaginati-  
res alias sicut sunt, neque appetet res ejusdem  
naturæ cum illis, sed diversas res sicut sunt  
in se potest imaginari: ergo sic continget in  
sensu visus, licet prædicta tunica quolibet col-  
ore afficiatur. Deindē quia in visu extensio  
potentiae non potest impedire cognitionē ex-  
tensionis objecti; ergo neque alia, licet realiter  
in organo sint. Neque valet si dicas extensi-  
onem esse sensibile commune, quod non pro-  
ducit propriam speciem, colorem verò maxi-  
mè, & sic oportet denudari à natura sensibili-  
is proprij. Tamen contra est quia saltē per-  
cipitur per modum diversum; ergo si species  
alicujus objecti visibilis proprij impeditur ab  
entitate coloris existentis in oculo, ita species  
modalis sensibilis cōmuni debet impediiri ab  
aliquo simili existente in oculo, hoc autem non  
contingit, ergo neq; illud. Denique quia quodlibet  
objectum producit in sensu diversam  
speciem sui propriam; ergo licet in organo v.  
g. sit color niger, nihil obstabit quominus ob-  
jectum repræsentet propriam sui speciem.

Dices: quando vidēmus objectum per vitrum  
vitide, ita appetet objectum; ergo per colorem  
medij modificatur species propria objecti. Re-  
spondetur ibi nullam esse modificationē neq;  
illo modo fieri, sed idē appetet objectū viri-  
de, quia ille color medij mitit specie ad oculū  
efficaciorē quā aliud objectū, trahitque po-  
tentiam ad sui cognitionem, & alter color non  
videtur, vel remissē. Sed pro cōpleta intelligē-  
tia advertere oportet duobus modis posse in-  
telligi reperi in oculo aliquem colorē præ-  
ternaturā, vel mutato teperamento cui debeat  
color ille, aut fluente humore partice  
coloris; quolibet autem ex his modis lāditur  
visio, sed non propter colorem ibi productum  
sed ratione temperamenti vitiati, ita ut licet  
talis color ibi non produceretur, eodem modo  
esset lāsio in visu. Quapropter sentimus cōtra  
Valles, colorem oculi non esse morbum, quia  
nō lādit per se visum, sed potius esse sympto-  
ma in qualitate mutata. Hinc sit quod licet in  
his qui morbo regio laborant omnia externa  
quæ videntur apparent pallida, non est quia  
color sit supra hanc tunicam pallidus, neque  
quia hujusmodi color supra tunicā videatur,  
sed quia exit vapor pallidus extra qui facit sui  
visionem producendo speciem sui coloris. Sed  
contra videtur, quia etiam lumen posset foras  
exire & facere apparere omnia objecta lucida.  
Unde ad rationem contra nos primō factam  
dicimus, ibi non impediiri sensationem objecti  
dulcis, sed quia tunc sapor amarus producit

species aciores & potentiores ac sapor dul-  
cis, tunc quia objectum dulce valde remissē  
sentitur, veluti deobscuratur præsente sensa-  
tione intensiori objecti amari.



## C A P U T II.

### *De ulcere cornea tunicae, & aliis morbis ejus.*

**T**UNICA cornea exulcerationem pati  
potest ex qua aliquid aquosum humoris  
foras effunditur; neq; de essentia hujus morbi  
est quod modō agamus, cūm constet esse in sol-  
lota unitate, quod non solū contingit tunicae  
cornea, sed & uvea. Sed dubium est an staphy-  
loma sit affectus hujus tunicae cornea, an  
potius uvea. Et licet apud Aëtium inveniātur  
duo loca quæ videntur contrarij, tamen cer-  
tum est staphyloma quod in prominentia tu-  
nicæ simili acino seu grano uvæ consistit orta loma,  
à corrosione aut ruptione tunicae, esse affectū  
primarij competens tunicae cornea, ut com-  
muniter omnes Autores referunt, & secunda-  
rij affici tunicam uveam, eò quod mutet si-  
tum naturale.

Alter affectus solet à Medicis ponī qui dici-  
tur albugo, estque juxta communem senten-  
tiā de natura cicatricis quæ existens in ipsa  
tunica, visionem lādit; de quo effectu dubita-  
tur sub quo genere morborum comprehen-  
datur, & dicimus non esse neq; in numero au-  
to, neq; diminuto, cūm licet verum sit, quod  
pars tunicae amittatur, tamen cūm cicatriza-  
tur, adquiritur alia loco illius, & sic lāditur  
visio, vel diminutè, vel ablatè, & morbus à  
quo procedit, est in qualitate secunda, ut den-  
sitate & crassitie, de quibus suo loco erit  
sermo.

Sed adhuc dubitabis cur dicatur albugo  
morbis proprius tunicae cornea, cūm etiam  
cicatrices possint in aliis tunicis & partibus  
inveniri. Respondetur quod licet verum sit  
quod in aliis partibus sint cicatrices, tamen  
quia solū in tunica cornea videntur referre  
albū colorem, proprius hujus tunicae, albugo  
dicitur morbus; dicitur autem cicatricem in  
tunica cornea referre colorem album, quia  
sit prædicta tunica ex semine, & etiam cica-  
trix quæ juxta naturam partis sit, & cum ma-  
jori densitate, & sic appetet cicatrix alba.

Deindē numeratur inter affectus hujus tū-  
nicæ Carcinomia, quæ nihil est quām can-  
crum, dicitur autem proprium hujus, quia fre-  
quentius in tunica cornea sit quām in aliis.  
Sed an id sit verum examine indiget, pro quo  
adverte ex pluribus causis posse contingere  
partem aliquam cancerō affici: Primo ob mol-  
litatem & laxitatem partis; sic enim apta est ad  
recipiendum, ob quod facilis mulieres inci-  
dūt in hunc tumorē, & præcipue, circa ubera.  
Similiter ex situ partis provenit major apti-  
tudo ad hunc affectum; ut in partibus infe-  
rioribus quām in superioribus facilis con-  
tingit, cateris partibus; siquidem gravis humor  
aptior est ad descensum quām ad ascensum;  
tum etiam latitudo viarum facit ad prædi-  
ctum


Etum cancrum. Et deniq; quod postquam humor receptor est in parte, plurimum inculcatur, intimaque adhæreat, ita ut propter prohibitam ventilationem fiat cancri materia, quæ aptitudo licet non sit ad recipiendum, est tamen ut quæ recepta est materia, sit accōmodata ad cancrum. His ergo notatis dico quod licet ex parte mollitiei, & vasorū, tunica adnata sit aptior, ut in illa recipiatur humor, tamen aptitudo tunicæ cornea superat; nam ab densitatē majorē contingit frequentius exulcerari, quia excrementa minus expurgantur: similiter materia cancri semel recepta magis detinetur, & ad putredinem est accommodator; quæ aptitudo ad cancrum superat alias: & sic quia frequentius contingit in tunica cornea, dicitur carcinomia affectus illius.

*Hypopyō.* Alter affectus tunicæ cornea dicitur Hypopyon, & dicitur talis quando in hac membrana, vel sub ipsa pus continetur, & quia ad formam unguis solet generari propter locum in quo cōtinetur solet Hypopyon nominari unguis, licet non propriè ut pterygium. Sed cū hujusmodi pus etiam possit generari in aliis tunicis; quærimus rationem ob quam dicatur morbus cornea. Et dicimus id fieri quia pus ad sui generationem requirit putredinē, quæ facilius fit in illa parte ubi adest prohibita ventilation: cū ergo minus ventiletur humor sub cornea, ob ejus densitatem facilius ibi putreficit humor, & postea in pus mutatur, atque ideo ob frequentiam dicitur Hypopyon proprius affectus tunicæ cornea. Dicitur à Gal. toto genere contra naturā, & cōmuniter nominatur symptoma terri generis, quia retinetur quod excerni debebat. Similiter Gal. dixit etiā habere rationē morbi in numero aucto, quia licet nō lēdat visionē quatenus numerus auctus est, sed quatenus opacitatem efficit, & sic impedit visionem, tamen ratione numeri aucti impedit motum oculi, propter pondus, sicut lapis, in vesica; quod autem non sit viventis pars nihil facit ad rationem numeri aucti, ut suprà diximus.



## DISPUTATIO XXV.

*De morbis tunice uveæ.*



### CAPUT PRIMUM.

*De Mydriasi, & Ptibisi.*

*Mydriasis.* ORBI hujus tunicæ quidam pertinent ad foramen illius, alij verò ad corpus ipsius tunicæ, de quibus suo ordine agemus, & prius de affectiōibus foraminis, inter quas una est mydriasis quæ cōsistit in dilatatione pupillæ majori quæ secundum naturam debetur, quæ affectione ita visus lēditur, ut omnia quæ conspiciuntur ab ipsis, minora quam sunt appareant. Morbus autem à quo prædictū symptoma procedit, est in mala conformatione cavitatis, cum pupilla extendatur magis quam pro natura expedit, quod verū est, sive talis major dilatatio sit orta ex principiis generationis, sive à causa morbo, quia etiā vitia quæ ex principiis generatio- nis cōtrahuntur, possunt habere rationē mor-

bi ut in lib. de morb. & sympt. dixit P. Garc. Modus verò lēsionis qui reperitur in visu præsente hoc affectu, est in actione diminuta, vel ablata aliquando, quod contingit quia cū cavitatis sit major facilius dissipatur spiritus animales, & potissim ab externa causa, ut si quis aspiciat lumé, quia scilicet dispersa virtus minus resistit ab quod qui habent oculos prominentes sunt debiles in visu eō, quod virtus est magis distributa & partita sit infirmior: cū ergo oculus ad videndum indigeat qualitate spirituum animalium, sit ut hac dissipatā lēdatur visio, vel diminutè, vel ablata juxta majorem, vel minorem dissipationem.

Sed dubitationem habet id quod diximus in principio quæ scilicet sit causa ut in hoc affectu objecta apparent visui minores quam sunt in se. Circa quod aliqui affirmarunt ideo id cōtingere quia in dilatata pupilla species magis extendit, & sic objectū apparet minus, sicut quando angustior est pupilla, quia species minus extēdit, apparet objectū majus. Quod probant exemplo: nam cū quibusdam specillis objectū apparet majus, cū aliis verò minus: sed hæc ratio nulla est: nā extensio sola speciei major, vel minor non potest conducere ad hāc diversitatem, ratione specillorum; nam exēplo constat cum eisdem specillis in quibus species servat eandem extentionem, aliquibus hominibus videtur unum objectum minus, & ab aliis videtur idem majus; ergo non stat diversitas in majori, vel minori extensione speciei.

Alij verò affirmant id contingere ob dispositionē spiritū: nam dilatata pupillā, spiritus est magis dispersus, & sic species rei visibilis non potest in eo multiplicari, ita ut faciat ibi terminationē, ob quam rationem non potest res videri in aere, & videtur in aqua, & sic cū ob hanc rationem species in spiritu non possit multiplicari, sit ut objecta diminutè videantur, & minora quam sunt, sicut ex opposito ex cōstrictione pupillæ res apparet major, quia ob multam spiritū coadunationē species potest multiplicari multum, quia ex tali coadunatione, spiritus sunt quasi densi, quod ostendunt exēplo, nā in serenitate hyemali minutissimæ apparent stellæ, quia earū species possunt recipi terminativè propter aëris grossitię, in serenitate verò aëris stellæ non apparēt ob raritatem aëris. Causa autē hujus necessariò debet esse debilitas secundū omnes Autores, licet in modo quo prædictus evētus cōtingat discordent. Sed contra istam sententiā sic argumen tor, quia spiritus non potest adquirere tantam densitatem, ut tern. in specie, ita ut rectā viā ultra non transgrediatur. Deinde quia dato casu quod possit adquirere densitatem, sequeretur impedire visionē; nam si sint spiritus rectā viā cum parte similari, ubi est potentia & species, tunc si in spiritu terminaretur, nō posset rectā viā producere speciem in potentia, sicut si ante potentiam poneretur aliud corpus potens terminare, ut aqua, aut speculum: ergo etiā dato quod possit adquirere spiritus densitatem sufficientem, impediretur visio; ac proindè non dissolvitur quod inquitur.

Alij verò cum Gentili affirmarunt continere apparitionem objecti minoris quam sit in se propter debilitatem cōtractam ex disper sis spiritibns, non ita ut hæc sola sufficiat ad prædictum

prædictum effectum, sed quia debili existente facultate, imbecillitas ipsa facit, ut palpebrae contrahatur in angustū, & sic cùm ex angusto inspiciant, exiguum magnitudinē vident, quia cōpressis palpebris fit angulus minor. Sed contra istam sententiam sic argumētor, quia idem effectus sequeretur, si debilitas fiat ob aliam causam, & non ob dispersionem spirituū contractam ex majori dilatatione pupillæ. Præterea, quia etiam sequeretur in bene valentibus objecta apparere minori quā sunt in se, quod est contra experientiā. Sequelam probo, quia species tunc dicitur terminari in angulū, quia partes magis uniuntur quā magis accedunt ad oculum, & sic cùm proportionaliter magis uniantur quā magis accedunt, idē dicunt apparere objecta minora quād palpebrae comprimuntur: sed eodē modo contingit in bene valentibus; nam quād species magis accedit ad potentia, magis unitur, cùm anteā fuerit magis dispersa: ergo si ob majorem unionē objectum repräsentant in minori extensione (quod fal. suum est) etiam in bene valentibus, omnia objecta apparet minora quā sunt.

Capivaccius verò contra hanc rem tenet eandem dubitationem posse excitari in bene valentibus qui percipiunt objecta minora quā sunt in se propter multam distantia. Et sic ratio quā convineit ad hunc eventum cōvincit ad alterum. Capivaccius idē asserit idē contingere, quia cùm objectum est valde distans, non agit secundum omnes partes in crystallinum, & spiritus, & sic apparet objectū minus, sic ergo in dilatatione pupillæ, spiritus, ut potè minus uniti, minus patiuntur, objectum apparet minus. Sed hæc solutio non solvit quod inquirit dubium: nam cùm totum objectum distans valde videatur, & non est major ratio cur hæc partes non mittant specie quām aliæ, totum objectum videtur: & idē ob hanc rationē nō apparet minus. Ratio verò quare objecta valde distantia appareant minora, est quia objectum visibile usq; ad certam distantiam producit certum modum sensibilis communis, nempe extensionē, tuncq; videtur objectum tantæ extensionis, sicut est, post illam verò distantiam producitur alter modus numero diversus, qui repräsentat minorem extensionem objecti, idēq; apparet minor: neq; solum talis modus est in specie impressa, sed in expressa. Sed adhuc hæc sententia non videtur locum habere in nostro casu, nam modus sensibilis illius communis, non ita variaatur ex dilatatione, aut angustia pupillæ.

Alij verò dicunt objectum distans videri minus extensem, quia species sunt remissiores, & imperfectiores, & ita licet repräsentetur totum objectum secundum omnes partes extensionis (cùm ut dicebamus non sit major ratio unius quām alterius) tamen quia remissæ & imperfectæ repräsentantur, idē apparet objectum minus, sicut in condensatione sunt omnes partes quā erant anteā, tamen redactæ ad minorem locum. Sic ergo dicunt quod in dilatatione majori pupillæ objectum apparet minus, quia prius species producuntur in spiritu quā in potentia: cùm verò sit valde rarus ob dispersionem dictam producit in potentia speciem objecti valde remissam, sicut quando producitur ab objecto valde distanti, & sic apparet minus extensem.

Henrique Laurea Medica Tom. III,

Sed prædicta doctrina supponit speciem prius produci in spiritu, & hanc producere aliam impotentiam, quod non est verum: nam si agens naturale ita potest producere effectum in parte distantiori, ut effectus productus in parte proximiōri non sit totalis causa ipsius productionis in parte distantiori, ita etiam in productione specierum poterit contingere, & sic non producet speciem aliam remissorem in potentia species quā est in spiritu rarefacto, cùm sit virtus in efficienti, ut eam producat in potentia in majori intensione. Cùm hoc tamē noster Petrus Garcia nihil peculiare dicit quod solvat dubium positum. Tamen contingere ob remissionem specierum, & improportionem earum cum potentia, eō quād hæc sit debilis, ratione resolutionis spirituum, probabilius judico, & eadem est ratio quando objectū apparet minus ob distantiam magnā. Dices quia symptoma lassæ actionis est hoc in quo objecta apparent minora visui, ac sunt in se, & dicimus cum Petro Garcia esse in actione diminuta: nam non est depravata aucta talis visio, ut constat; neque est depravata erronea, cùm non versetur circa alienum objectum, ac est reverā: ergo talis erit actio diminuta, licet fiat alter quām pro naturæ modo, quia hoc non tantum est proprium actionis depravaræ, sed diminutæ: nam omnis actio diminuta fit aliter quām pro naturæ modo.

Causæ mydriasis sunt quā faciunt tensionem in tunica; hanc autem tensionem à duplice causa aiunt fieri communiter, vel ob tumorem in dicta tunica, ratione cuius tensionem patitut versus latus, sicut contingit in convulsione ex repletione, vel causatur à sic citate, ratione cuius partes magis densantur, & inter se magis uniuntur, & sic medium foramen majus redditur: idem facit humor distendens partem, cāmque replens, licet non faciat tumorem.

Alter morbus ponitur ab Autoribus præcedenti oppositus, qui vocatur Phthisis, Latinè verò tabes, qui nihil est quam foraminis constrictio, seu angustia præternaturalis prædictæ tunice. Ex quo constat esse morbum in conformatione oppositus præcedenti: nam ille est in majori amplitudine foraminis uæ, iste verò in majori angustia. Læsio quæ reperitur in hoc affectu est depravata aucta, licet ab aliquibus dicatur in hac affectione objecta apparere majora quā sunt in se. Sed hujus rei causam indagare ita difficile est, sicut indagatio contrariæ causæ, de quo nihil Petr. Garcia; advertere tamen oportet auctā hanc visionem non dici lassionem in ordine ad naturam visionis absolutè, sed in ordine ad peculiare individuum, quod ante habebat foramen dilatum, & postea constringitur, & sic licet visio intensiori modo fiat, dicitur contra naturam, quia nascitur ex angustia quā est contra naturam huic individuo.

Causæ hujus mali sunt laxatio, vel distensio talis tunice, ratione cuius foramen fit minus; inter has etiam recenset Petrus Garcia siccitatem esse causam constrictiois hujus. Sed meo iudicio videtur contrariari, eō quād dixit folio 468. columnæ secunda in medio, ubi dicit siccitatem quamlibet esse causam majoris foraminis, eō quād cōstrictæ & densatae partes quā sunt ad latus, foramen fit majus.

DD d 2

CAPUT

## CAP V T II.

## De Hypochysi si ve suffusione.

**S**UFFUSIO etiam pertinet ad prædictum foramen pupillæ, vel tunicæ uæ, quæ veluti diffusio humoris in partem quæ affectur est, & vulgo nostro dicitur *Cataracta*; pro cuius exacta intelligentia advertere oportet quod suffusio absolute non est unus, morbus cum in ea affluxus humoris inveniatur, obstru<sup>t</sup>io etiæ cavitatis seu foraminis, & humor ipse qui potest facere morbum in numero aucto, & densitas seu opacitas, sive sit secunda qualitas spectans ad temperiem, sive ad pororum obstructionem, in quo judico suffusionem probabilius consistere morbum constituentem suffusionem, impedi<sup>r</sup>e que visionem quatenus impedit ingressio nem specierum visibilium, usque ad humorum crystallinum, eò quod partes perforatae quæ sunt versus latera non sunt aptæ ad recipiendas species visibiles secundum profunditatem, ut possint commodè usque ad humorum crystallinum produci.

Alia quæ docet Gal. c. de suffusione, non videntur aliena à ratione: nam dicit quod si totum illud foramen à crasso illo humore obtenebratum non sit, sed aliqua pars ejus pura supersit, singula externa non videt deteriorius, cum non sit quod impedit ingressum speciei per illam partem puram. Rursus dicit quod plura simul non potest videre, quod est verum, si alia objecta præter uanum ponatur ad latus, & non correspontant parti perforatae, secus si ponantur linea directa, ita ut foramina correspontent. Ex quo patet quod si totum foramen occlusum est, visio erit ablata; si vero non erit diminuta quod extensionem objecti, quia tantam extensionem percipiet objectivam, quanta correspontet foramini.

Cause suffusionis si sit incipiens, erunt flatus; si sit confirmata, humor crassus, etiamsi eadem accidentia suffusionis possint etiam accidere ex humore albagineo crassiori facto; frigiditas vero solùm erit causa remota in quantum potest facere concretionem. Pars denique affecta est foramen tunicæ uæ, vel spatium quod correspontet illi foramini.

## CAP V T III.

## De Imaginationibus.

**I**N CIPIENTEM suffusionem aut præludium ejus vocavit Avicen. imaginationem, quia sunt ibi apparitiones quedam propter vaporē contentum ante humorū crystallinū, & definit ita, *Sunt colores qui sentiuntur coram visu, ac si ipsi sint mixti in aere*: Ubi talis explicato traditur per symptomata quod in hoc affectu reperitur: morbus à quo procedat est sicut in suffusione, humor scilicet existens ante humorū crystallinū, lādens visionem, sive quia obstruit, sive quia facit numerum auctum, ut quis voluerit philosophari; eadēmq; est pars affecta ac in suffusione, quo sit ut juxta diversam naturam humoris diversa appareant ante oculos; nam quandoque apparent pili, quandoque culices nigræntes, quandoque muscae apparent quæ

volitare ante oculos videntur; juxta sententiam verdō Avicen. laſio sit ob impedimentum ad ingressum specierum visibilium, ratione flatu<sup>r</sup> crassi qui non est subjectu<sup>r</sup> capax illarū.

Laſio quæ reperitur in hoc affectu, dicitur depravata erronea, quia id quod intus videtur, apparet extra videri, & in hoc sit error, cum hoc tamen verum sit, hoc non esse vitium in imaginatione; nam non sufficit error in potentia antecedenti, ut fiat etiam in actione subsequentis potentiae, cum possit hæc corrigi. Differentia autem versatur quando hujusmodi apparitiones reperiuntur in laborantibus phrenitide, ac quando reperiuntur in affectu oculorum, de quo loquimur: nam in illis non solùm diu, sed etiam noctu & in tenebris sunt dictæ apparitiones; in hoc vero affectu non aliter nisi quando vident taliter affectu sunt apparitiones.

## CAP V T IV.

## An ea quæ existunt intra oculum ut causent accidentia suffusione similia videri oporteat.

**S**i attendamus Philosophis & S. Thomæ circa difficultatem hanc quæ plus Philosophiaæ quam Medicinæ continet, videbimus esse receptam & satis communem sententiam existinantem: ea quæ sunt intra oculum, videri posse: quod præterquam quod videtur docere S. Tho. quæ de veritate, ubi dicit ipsummet lumen quod oculis inheret, videri posse, etiam alij Philosophi docent, ut sunt Coimbrenses, Toletus, & alij: Et ratione probant, eò quod in tenebris dum oculus moveretur videat proprium splendorem: similiter à paritate, quia gustus percipit illud quod est intra organum, & sonus etiæ percipiatur intra organū auditū: ergo & similiter visus poterit percipere illud quod est intra oculū.

Nos tamen in hac re dicimus id quod e᳚ intra oculum non posse videri ab eadem specie directa, sive sit ex his ex quibus oculus constat secundum naturam, sive contra naturam; specie autem reflexa, ut si ponatur spēlū, nullus dubitare potest id posse contingere.

Ratione probatur nostra sententia, quia quandō aliquod viderur per propriam speciem, necessariō debet videri ejus magnitudo, figura, & situs, quæ sunt sensibilia cōmunita, & sine quibus propria sensibilia percipi non posse: sed nihil hotum sensibilium communium sentimus ex vapore illo: ergo non sentitur per propriam & directam speciem.

Respondebis hæc omnia videri, quia aliquando apparent muscae & alterius figuræ & certæ magnitudinis, id quod referunt qui tali affectu laborant; tamen contra est, quia non videntur per positivam & propriam speciem tunc; nam color albus tunicæ adnata etiam secundum illam partem quā directe respicit foramen tunicæ uæ, non videtur; ergo neque videbitur vapor qui est intus inter corneam tunicam, & crystallinum. Patet quia tunica adnata magis distat ab humorū crystallino qui elicit visionem, quam vapor existens inter corneam & ipsum crystallinum, & tamen adhuc secundum illam partem correspondentem foramini uæ non videtur; ergo neque

neque humor vel vapor prædictus videbitur, ac per consequens non ob dictam rationem causantur accidentia suffusioni similia.

Præterea quia ut appareant videri accidentia suffusioni similia, idest ut appareat videri extra quod non est, sed intra, non est necessarium videre quod est intra; nam una ex causis hujus apparitionis est cicatrix quædam quæ reperiri & fieri potest in cornea, aut vitium quod potest contrahere humor albugineus, ut constabit *infra*: Sed prædicta non videntur: ergo non oportet videre ea quæ sunt intra ut prædicta accidentia causentur suffusioni similia.

Sed adhuc manet difficultas quæ scilicet sit causa ut prædictus vapor existens in foramine illo juxta humorem crystallinum non videatur. Et ratio difficultatis est, nam objectum illud producit spem sui in parte elicativa visionis actione transeunte (defectu cuius) illud quod inhæret tali parti non videtur) deinde propter propinquitatem non impeditur; liquidem color producit speciem sui in parte contigua aëris; ergo similiter humor vel vapor in parte contigua oculi interiori poterit præducere sui speciem. Neque ex parte recipientis est aliqua repugnantia, cùm sit capax speciei & ex alia parte nihil est quod impediat productionem ejus, neque defectus medij externi impedit ad productionem talis speciei: ergo videtur nihil deficere, ut prædictus vapor vel humor intra oculum existens videatur.

Dubitacioni responderet noster Petrus Garcia tunc non videri vaporem seu humorem prædictum, quia spes illa & improportionata ex parte modificationis à sensibili communi, nec pè à præsentia illa locali valde proxima, nam sicut rectè intelligitur, non sentiatur propter exiguum extensionem, ità etiam ob talem præsentiam localem valde proximam redditur inepta species ad visionem.

Unde ad illud quod adducitur ex S. Thoma, nempe lumen quod inhæret in oculo videri posse, dicimus tunc non esse lumen quod videtur, sed spiritum animalium videri, qui lucidas est, & confractione oculi exit extra, & sic lumen ejus potest videri. Neque etiam repugnat id contingere quiescente oculo, ut constat ex Galeno, exemplo illius qui laborabat affectu imminentis suffusionis: nam tunc etiam exit spiritus.


Ad secundum respondetur ibi fieri comparationem sensus visus ad sensum gustus & auditum: nam quemadmodum suffusione laborantes judicantur extra esse, quæ intra oculum continentur, ità gustandi facultas, dum in ejus organo est, aliquid imbutum, judicat saporem illum esse in re quæ extra effertur: & idem est de auditu; tamen ob hoc paritas non debet esse omnibus; nam gustus & auditus possunt percipere objecta quæ sunt in ipso organo, quia requirunt immutationem realem ante intentionalem, secundus verò visus, & sic ea quæ intra oculum sunt, percipi non possunt. Ratio autem cur in suffusione fiant apparitiones dictæ, est aut quia vapor ille qui intus est, impedit externam illuminationem, aut ingressum specierum secundum omnes partes objecti, & sic ante oculos apparere

videntur muscae & aliæ similiæ, eò quod ratione vaporis impeditis ingressum specierum secundum omnes partes objecti, objecta appareant minora, & veluti obtenebrata, quia imaginatio tunc decipitur circa prædictorum objectorum apparitionem.



## DISPVTATIO XXVI.

*De affectibus oculorum qui visionem lædunt ratione humorum oculi.*



### CAPUT PRIMVM.

*De his quæ pertinent ad Albuginem.*



O ST Q U A M de affectionibus tunicarum egimus hucusque, restat agere de illis quæ ad humorum pertinent, & primò de his qui sunt humoris albuginei qui potest pati duos morbos, quantitatis continui, unum in quantitate diminuta, alterum in quantitate aucta, eò quod diminuatur, vel augeatur prædictus humor albugineus; quod si contigerit ut omnino auferatur, erit morbus in numero diminuto: læditur visio per augmentum humoris albuginei, quatenus impedimentum est ut humor crystallinus recipiat lumen, ut oportet in tanta scilicet intentione sicut expedit ad visionem.

Sed dices humor albugineus est diaphanus ex se & subiectum capax luminis: ergo quantumvis crescat, non impedit, nec faciet opacitatem in crystallino, ac proinde videatur non lædere visionem, quatenus impedit receptionem luminis requisiti in humore crystallino.

Respondemus idem esse dubium quod quæri solet cur res quæ sunt in profunditate magna aquæ, non videntur; et si non sint profundæ videntur, & viderentur si medium non esset aqua, sed aër qui minus densus est quam aqua, posito quod omnes partes aquæ sunt ejusdem rationis, & ita non erat cur esset impedimentum ad visionem rei existentis in profundo aquæ. Respondeo idè non videri, quia cùm sint plures partes aquæ in tanta copia non illuminatur id quod est in profundo sicut expedit, quia plures partes impediunt illuminationem ob suam densitatem; quod non contingere si medium esset aër, quia hic magis capax illuminationis est; adeò ergo possunt multiplicari partes aquæ, ut distantes ab illuminante, exiguum aut nullum possint recipere lumen; aër verò optimè posset; quia magis capax. Sic ergo augmentum humoris albuginei qui majoris densitatis est quam aqua, ob profunditatem majorem, adeò remissum lumen producatur in crystallino ut non sufficiat ad perfectam visionem; quod si augatur humor, non per additionem novæ


partis ejusdem humoris, sed per permixtionem alterius substantiae turbidae, melius fiet læsio, quia impeditur illuminatio crystallini.

De læsione quæ contingit quando humor albugineus minor est, est quod dicamus & dicimus idè per diminutam quantitatem humoris albuginei lædi visionem, quia facit angustiam pupillæ, & quia humor albugineus est datus in custodiam crystallini, quo sit ut si diminuatur crystallinus, recipiat intensius lumen quam exponit ad perfectam visionem, & sic lædatur, eò quod ab intensiori lumine resolvuntur spiritus qui ad visionem valde conducunt; undè sit ut prædicti laborantes diminutione humoris albuginei plus videant noctu quam diu, quia lumen noctu est magis proportionatum & remissum, & sic melius sit visio quam die, in quo ob intensum lumen sit spirituum resolutio, & sic visio sit læsa diminuta.

Quæres quæ sit causa ut si quis existens in magno lumine, se transferat ad locum tenebrosum, statim non videt quousque transeat aliquod tempus.

Respondeatur idè esse quia potentia ipsa corporalis non patitur tam subitas mutaciones circa extremè opposita; obscurus enim locus requirit magnam potentiam attentionem, quæ non potest ponи post visionem lucis majoris, eò quod ratione luminis magni dissipantur spiritus, & sic debilior est virtus, ob quod non potest statim ponere attentionem requisitam ad visionem objecti in obscuro loco positi; & licet videat objectum, si iterum ad locum lucidum revertatur nihil facit contra nos, quia minor virtus requiritur in loco claro quam in obscuro ad percipienda objecta. Denique aperte intelligitur, quod per crassitatem majorem, & tenuitatem prædicti humoris lædatur visio, sicut etiam lædatur per crassitatem majorem & tenuitatem crystallini, eò quod vel impeditur receptio luminis, vel ingreditur in majori intensione quam exponit humor.

Respondet Petrus Garcia quod si afficiantur aliæ partes quæ sunt ante humorem crystallinum, iste non recipit aliquid positivum, sed aut privatur lumine, aut speciebus; at verò ex vitio humoris vitrei aliquid positivum comparat. Sed solutio non placet, quia quando læditur visio vitrio, propterea est tabes quia non tribuitur alimentum, ergo etiam lædatur per privatum, existente vitio in humore vitreo, ac proinde si iste non lædit per se, neque reliquæ partes oculi existentis ante humorem crystallinum lædunt per se.



### CAPUT III.

#### *De vitiis quibusdam humoris crystallini.*

**G**UM humor crystallinus ex sua natura sit levis, splendens, talèmque situm & figuram ac magnitudinem habeat, talèque temperamentum potest in his omnibus vitium comparare, & sic plures motbos pati potest, & similiter in tenuitate, & crassitie, & in soluta unitate morbum pati potest: hæc quidem omnia nota sunt. Alius est affectus qui dicitur *Glaucoma*, quod nihil aliud est quam mutatio humoris crystallini ad glaucum colorem qui tendit ad albedinem; in quo omnes convenient, & actio quæ læditur est depravata: nam in hoc affectu aliter quam sunt percipiuntur objecta, cum omnia appareant ejusdem coloris, ac humor crystallinas; undè sit esse symptoma in qualitate mutata, quod per se ipsum non lædit actionem, sed ratione morbi à quo procedit hujusmodi color glaucus qui est in temperamento.

Sed à quo causetur talis color in humore crystallino, est quod dicamus; nam alij à siccitate causari affirmarunt, alij verò ex frigida & humida distemperie ortum ducere assertunt; sed possunt componi prædicta placita, si dicamus quod per frigidam & humidam distemperiem intelligent causam remotam, humorem scilicet pituitosum qui non per alterationem causat dictum colorem, sed per se ipsum; nam habet colorem album, & ita repræsentatur: qui verò dicunt à siccitate causari, intelligi debent de resolutione humidi, & de evacuatione, & resolutione humoris albuginei, ratione cuius talis color sit in crystallino.

### CAPUT II.

#### *An vicia quæ contingunt ratione humoris vitrei, laedant visionem.*

**R**IMO supponendum est humorem vitreum præstare nutrimentum humoris crystallino, ita ut illius defectu contabescat humor crystallinus, & male præparatus existat. Ex quo sit ut vitium humoris vitrei non lædat visionem primò & per se, sed ratione alicuius quod crystallino noxam facit, ex eo quod præbet ei nutrimentum, & sic nocet quatenus non præbet alimentum, si quidem visio sit in humore crystallino postquam est vitreus.

Dices: etiam ex vitio aliarum partium non læditur visio, nisi quia aliquid patitur crystallinus, cum ejus actio sit læsa: ergo non lædunt per se quantumvis afficiantur cæteræ partes.

## DISPUTATIO XXVII.

*De his quæ contingent vitio spirituum, circa læsionem visionis.*

## CAPUT PRIMUM.

*An ex ex nimia quantitate spirituum læsio fiat.*



RIMO supponere oportet ut certa ab incertis separemus, non esse quæstionem de læsione actionis visivæ, quando fit, aut quia non mittuntur à cerebro in partem elicivam, aut non recipiuntur in parte, quia impedita est via; solum ergo procedit dubium an ob nimiam multitudinem spirituum existentium in ipsa parte eliciva visionis, lædatur visio. Circa quod plurimum fuit sententia existimantium, spirituum multitudinem lædere visionem quatenus non ita liberè & expeditè moventur, ita ut deferant species objectorum ad extra existentium; & quia concultantur circa oculum, & quia aliquando sunt causa obtenebrationis ob eorum multitudinem: præterea quia cum deferant species per motum, ratione multitudinis eorum motus impediti potest, ac proinde multitudine potest esse causa læsionis in visu.

Nobis tamen dicendum est quantitatem nimiam spirituum nunquam lædere visionem. Et ratione sumitur, quia cum spiritus sint ex sua natura valde tenues, & facilè dissipabiles, nunquam possunt pervenire ad tantam quantitatem ut lædant; nam antequam perveniant, aliqui resolvuntur; neque est eadem ratio de aliis humoribus crassis, nam cum difficilè resolvantur, suffocationem causant, & tensionem in parte, vel in cavitate in qua congeruntur. Neque ex eorum multitudine timenda est concutatio, id est unio eorum maxima in aliquo loco; nam hæc non contingit nisi aliqua alia substantia accedat simul, ut contingit in vehementi timore aut tristitia. Deinde illud quod dicitur de motu spirituum ad deferendas species nihil facit; nam etiam non moverentur, species poterant produci usque ad partem elicivam per continui alterationem. Præterquam quod ex multitudine non ita impeditur motus eorum, ut valeat facere læsionem. Denique calor qui à spiritibus producitur non potest esse tam intensus ut distemperet partem, ed quod spiritus animales non sunt adeò calidi, ut hoc possint facere.

CAPUT II.  
*Ea quæ sumuntur ex parte modi substantiæ spirituum quas causas habeant.*

Ex modis substantiæ quos spiritus possunt comparare, sunt tenuitas & crassitas, sub quibus comprehendebat Avicenn. turbulentiam & splendorem. Et aggrediens explicare causas tenuitatis, primò numerat siccitatem, sive quia hæc consumit humidos & crassos vapores, sive quia disponit ad ignem simul cum calore; ignis autem tenuior est aliis. Aliam causam tenuitatis spirituum addit ipse Avicenn. quæ accidit ex eo quod majus lumen videatur, & similiter eandem tenuitatem causant quæ album colorem habent, & quæ splendent. Ratio verò quare ratione luminis attenuantur spiritus est propter tenuitatem quam causat, ratione sui effectus, medio scilicet calore. Altera vetù causa scilicet albus color, causat tenuitatem, non quidem per speciem intentionalem quam producit, neque per realem, cum color nullam producat, sed quia ratione luminis disgregat visum, eo quod ex illo reflectatur lumen majori intensione quam oporteat, & sic producens calorem, alterat & dissolvat, & sic attenuat.

Sed insurgit dubium unde contingat intensius lumen produci per reflexionem in eadem parte medijs. Et videtur difficile id fieri; nam illa major intensio non potest produci à lumine existente in corpore opaco, impediente, ut à pariete v. g. nam cum agens agat uniformiter diffusiter, lumen existens in pariete est remissius quam quod est in aëre contiguo parieti; ergo non potest intendere lumen magis intensum. Præterea neque ab agente potest fieri illa major intensio, cum sit idem agens ac anteà eadem virtute operante; ergo sicut anteà non potuit producere in medio majorem intensiōnem, neque eam poterit producere, quamvis sit corpus impediens transgressionem lucis ad majus spatium.

In præsenti ergo queritur à quo fiat illa major intensio lucis in medio, quando est reflexio? Respondetur illam majorem intensiōnem fieri ab agenti quod intensius agit in remotum quam in propinquum si ex parte passi remotioris sit major dispositio, quæ ratione Luna intensius illuminatur à Sole quam aliæ partes orbis propinquiores, eò quod ob ejus densitatem magis est disposita ad lucem intensiōrem recipiendam; sic etiam ob densitatem quæ est in corpore opaco major quam in aëre medio ibi producit agens intensius lumen.

Sed contra hoc est, nam si partes illæ medijs possunt recipere intensius lumen à lumine parietis, aut speculi, etiam poterunt recipere à primo illuminante; si autem non recipiunt ab hoc propter indispositionem, neque recipient ab illis. Respondetur partes medijs recipere majus lumen, quia proximiōres sunt parieti quam agenti illuminantis, & sic quia

quia partes parietis sunt aptiores, producit agens majus lumen in illis quam in partibus medij quae si essent magis propinquae, & juxta illum intensius illuminarentur, & sic non illuminantur ab agente, quia non sunt capaces lucis intensioris, sed quia non sunt ita propinquae ut majorem intensionem luminis possint recipere. Unde clare constabit ex corpore habente albedinem fieri luminis reflectionem, & sic major intensio ratione illius producitur, a qua spiritus attenuantur & separantur.

Contingit autem visum delectari & bene se habere respectu colorum mediorum, & male se habere respectu extreborum, quod ideo evenit, quia non omnes colores sunt aequaliter dispositi ut reflectatur lumen, ac proinde colores medij ita se habent ut ex illis reflectatur lumen proportionatum quod non dissipat, neque laedit spirituum substantiam.

Advertere tamen oportet id quod dicitur de colore nigro non habere locum, scilicet congregare visum; nam cum talis congregatio debeat fieri per motum localem, non est in tali colore quod sit effectivum illius; ac proinde nobis videtur dici colorum nigrum congregare, quia non disgregat, non quia aliquid positivum efficiat. Aliam causam adducit Avicenn. tenuitas spirituum, scilicet coarctatio, vel unio spirituum, quae per se non potest subtiliare spiritus, sed per accidens, ex eo quod cum magis uniuntur, magis calefaciunt partes, & humiditates resolvunt, quo sit ut siccitas resultet quae valeat subtiliare spiritus.

Denique advertere oportet rationem ob quam qui vident lucem postquam egressi sunt a loco caliginoso, laeduntur, esse quia organum ratione loci adquirit dispositionem contrariam ab illa quae requiritur ad visionem sine laesione. Denique causa ingrossationis spirituum est humiditas & aggregatio non ita vehemens, ut per accidens, si sit in subiecto robusto causet tenuitatem ratione majoris coloris, ut dictum est.

\*\*\*. \*\*\*. \*\*\* + \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*. \*\*\*.

### C A P V T III.

*De aliis modis, quibus debilis fit visio ex parte spiritus, & quas habeant causas.*

**G**ALENUS noster i. de causis symptomatum cap. 2. plures combinationes spirituum videtur facere ratione quarum visio perficitur vel laeditur. Prima combinatio est quando spiritus est plurimus & purus, in quo casu ea quae longissime absunt videntur & perfecte; nam multitudo confert maximè ad majorem virtutem & dispositionem, & sic cum majoris virtutis sit videre remota, ea videt existente multitudine; puritas vero confert ad exactam visionem, non quidem ratione dispositionis productæ in parte, sed potius quia spiritus etiam habent rationem medij, si autem clarus sit, & non turbidus, videt perspicue, si vero non, turbide videt.

Secunda combinatio est, quod si paucus est spiritus & purus, quae prope sunt, exactè dignoscit, quae vero procul absunt, non videntur, quia ex tali vehementi motu, adeo subtiliantur spiritus, ut resolvantur, præcipue cum pauci sint, ed quod minus resistunt; potest tamen oculus sic dispositus videre propinqua, quia illi spiritus manent, ed quod a tali motu ut poterit exigu, non patientur tam resolutionem.

Si vero querat aliquis a quo subtilientur spiritus, id est quo pacto fiat fortior motus in humore crystallino, & spiritu quando objectum est remotum.


Respondetur quod quando objectum est remotum, plures partes medij sunt illuminatae; ex quo fit ut fortius illuminetur oculus, & moveatur, & sic fiat subtilatio & resolutio.

Sed dices contra hoc: nam solutio de partibus mediis illuminati solum videtur habere vim, quando objectum quod videtur est opacum, non vero quando diaphanum est; nam sic partes luminosi aeris quae sunt ultra corpus diaphanum concurrunt cum aliis quae ante corpus sunt, & sic facient illam subtiliationem & resolutionem quantumvis objectum diaphanum propinquum sit, & sic erit similis ratio, ac si remotissimum esset objectum. Praeterquam quod sententia Avicenn. solidus haber locum in opinione affirmantium lumen requiri ex parte medij ad visionem; non vero in alia etiam probabilissima, quae affirmit lumen requiri ex parte objecti.

Sed queret aliquis quae sit causa ut senes aliquando videant remota objecta, non vero proxima, & è contraria. Ad quod satisfacendum notare prius oportet visionem posse viari ex tribus, nempe ex objecto, ex medio, & organo potentiae, sub quo spiritus etiam comprehenduntur. His ergo notatis, dicimus ideo contingere senes videre objecta aliquando remota, & non proxima, quia oportet proportionem quandam servari inter speciem & potentiam, sicut in actionibus aliis inter instrumentum & causam principalem. Est autem impropositio ex parte intensionis speciei, quandoque etiam ex parte presentiae localis quae est sensibile commune, ita ut licet ex parte medij sit eadem proportio, aut ex parte speciei, potest deficere proportio requisita ex parte situs & presentiae, & sic non videri objecta.

Queret aliquis ulterius quænam sit causa propter quam senes melius videant cum specillis ocularibus ( vulgo antogos ) quam juvenes? Quidam respondent ideo contingere, quia senes habent internum lumen exiguum, cum ocularibus autem suppletur defectus luminis, eo quod suo fulgore & densitate ad id conducunt, juvenes vero cum habeant internum lumen sufficiens, externo lumine hebetantur. Sed contra est quia si ob majorem lumen id contingit, sequeretur quod semotis oocularibus, si ab alia causa producetur tam intensum lumen, viderent ita clare & perfecte senes sicut si existerent ocularia, quod est falsum. Nos autem dicimus id contingere ob proportionem speciei visibilis cum tali potentia, quae proportio sit ex eo quod fiat

fiat per tale medium , & hoc constat in duobus, debilem visum habentibus qui non vident eisdem ocularibus ; ergo ex eo quia sunt proportionatum medium respectu unius , & non respectu alterius : hæc autem proportio quam adquirit species visibilis ratione medijs aliquando consistit in intensione , aliquando in extensione specierum ; aliquando vero reducit ad entitatem individualē speciei ortam ex tali medio magis proportionato huic potentiae potius quam illæ.



## C A P V T . I V .


*De Nyctalopia.*

**S**ONAT idem nyctalopia ac noctis cæsarias, definiturque ab Avicenna *fen. 3. lib. 3. tract. 4.e. 5. sic*, *Est ut evanescat visus in nocte, & videat in die, & debilitetur in fine ejus.* Contingit autem in sanis plurimis hoc contingere, sed non in tanta intensione , & tam citè contingit sicut in laborantibus nyctalopiæ , ita ut si sani minus vident noctu medio lumine exiguo , qui patiuntur dictam affectionem adhuc minus & citius non vident. Ex quo clare constat esse symptomata actionis diminutæ.

Sed causas à quo prædictum symptomata procedit oportet perpendere. Pro quibus advertere oportet immediatam dispositionem à quæ procedit esse illam in qua oculus ad vindendum indiget plurimo lumine, & quia hoc reperitur diu, minimè vero noctu, contingit noctu non videre, diu vero sic. Causas autem Avicennas enumerat , imprimis grossities & multitudine ; hæc in humore albugineo, illa vero tam in albugineo quam in crystallino humore ; nam ob multitudinem humoris albuginei ( ut *suprà* diximus ) fit ut requiratur intensius lumen à quo illuminetur : & similiter causat prædictum symptomata crassities tam in dictis humoribus quam in spiritibus ob eandem rationem ; sed quia crassities dicta pendet ex humoribus, mirum non est si conveniat in hoc affectu evacuatio aut per sanguinis missionem , aut per expurgationem ; fit etiam nyctalopia ex parvitate humoris albuginei , & siccitatem incrassantem spiritus, aut humores.

Sed dubitat Gentilis an cum dilatatione pupillæ possit hoc symptomata reperiri.

Respondet quod cum una ex causis dilatationis pupillæ sit multitudine humoris albuginei , ex hac parte , ut dictum est *suprà* , poterat contingere ; tamen cum ex alia parte hoc ipso quod dilatatur pupilla , sit major spirituum segregatio & dissipatio, non potest ferre lumen diei, & sic ex hac parte non potest compati prædictum symptomata cum dilatatione pupillæ ; qui vero habet pupillam angustam , optimè fert lumen & sic potest videre diu , non vero nocte.



## C A P V T . V .


*De opposito virtuio nyctalopie.*

**V**ITIUM oppositum nyctalopie est quando quis diu non potest aliquid videre, videt tamen noctu, quod ita verum est ut taliter affecti adhuc noctu non videant , si Luna appareat. Hucusque de symptomate, nunc de causis est quod dicamus , quæ sunt aut parvitas spirituum, aut eorum subtilitas, licet ambo quandoque simul possint inveniri, sufficit tamen quælibet ex his causis ut ex illa sequatur vitium prædictum. Et ratio est:nam à lumine diei resolvuntur spiritus & dissipantur, vel ob eorum tenuitatem, vel ob eorum parvitatem , & sic virtus debilitatur, & non potest ferre lumen die , ac proindè diu non vident ; noctu vero spiritus magis uniuntur , & perseverant , quia non est lux quæ valeat resolvere & sic noctu vident, non vero diu.

Similiter potest hoc vitium contingere propter parvitatem humoris albuginei & propter maximam raritatem tunicatum : sit enim ut ratione hujus non possit virtus ferre lumen diei , quia ab eo dissipantur spiritus , & sic contingit videre noctu non diu ; ab his etiam causis.

Adverte tamen oportet quod in his in quibus prædicta causa non sunt in tanta intensione , contingit ut diu videant in umbra, ubi est minor lux quæ non valeat dissipare ; in tenebris vero nulla potest esse visio , quia ad hanc necessario requiritur lumen ; differt vero umbra à tenebris , quia hæc dicunt privationem totius lucis , illa vero dicit privationem luminis intensi , non vero remissi , & sic in umbra possunt videre.

Alia affectio oculorum est quæ dicitur Myopia , in qua laborantes non vident nisi objecta ponantur juxta oculos ; quæ contingit ob magnam debilitatem quæ vi morbi potest contrahi , estque hæc affectio incurabilis , & frequenter à nativitate fit.



## C A P V T . VI .

*De diminutione radij , & Altumar, id est albedine vincente.*

**D**E his affectionibus suo ordine dicimus , & circa primam, scilicet diminutionem radij, Gentilis tenet nomine illius duo posse intelligi, aut diminutionem virtutis visivæ, cuius hoc symtoma est, ut videat oculus quæ sunt prope , non vero quæ sunt remota ; quod fit ex causis ab Avicen. numeratis, scilicet ab inflammatione spiritus, & nimia calefactione & coruscatione ; ratione cuius spiritus resolvuntur , & sic debilitas in virtute fit, & sic solum objecta quæ prope sunt valent percipere; splendor enim totum id facit, licet non per se, medio tamen calore ; sed si in hoc sensu intelligatur Avicennas , diminutio radij pertinet ad debilitatem visus , de quo jam diximus.

E E c

Alio

Alio modo per diminutionem radij, inteligit talem modum per quem quidam splendor ante oculos videtur, contingit autem ex eo quod spiritus plurimum lucidus exit foras extra oculum, & sic potest talis lux videri, ut contingere solet in percussionibus oculorum, & etiam juxta hunc sensum contingit ut in diminutione radij oculus videat quae sunt prope, non verò quae sunt remotè. Et ratio est quia tunc spiritus quando inflammationem & coruscationem patitur, habet plurimam lumen internam, in aspectu verò rerum quae distant propter plurimum lumen medij, lumen internum adeò augetur, ut ipsum oculus non possit ferre, quia spiritus dissolvuntur, & disgregantur, & ideò non videt objecta remota, quando verò objectum proximum est, non augetur lumen internum, & non fit dissipatio, & sic videtur objectum. Sed an ex lumine medij hoc contingat, ut fiat prædicta intensio & laesio, *sprā* examinavimus.

Alij tamen solutionē prædicti eventus inventiunt, scilicet, quod cum spiritus exeat ante oculos, taliter ut videantur splendores, minuitur eorum quantitas; sed dū parvus est spiritus, est debilis virtus quae non sufficit ad visionem objecti distantis, & sic ad proximi objecti visionem, ac proindè ob hanc causam talis eventus contingere potest; deindè aliquando illa apparitio splendoris significat charabitum, seu phrenitidem; nam bile putredinem subeunte in cerebro inflammantur spiritus, & adeò commoventur, ut exeat ante oculos.

Alter affectus erat Altumar, idest albedo vincens, quae ex Avicen. quandoque accidit ex lumine vincente, aut albedine quando affectus assiduat in nive, aut in aliquo alio objecto albo, ut non videat nisi parum, & videat illud ex proximo, & non ex remoto ob debilitatem spiritus, & cùm aspicit colores, imaginatur quod super eos sit albedo, ex quo pater duplē modum laesione inveniri, una in actione diminuta, quia solum videt res quae prope sunt; altera in actione depravata: nam quoscumque colores, videat apparet ei videri albedinem; & ita objectum videtur alter quā est in se: sed quia hæc procedunt à causa externa & procataretica, non habent rationem symptomatis, nisi ibi producatur morbus, quod non est necessarium; nam omnia quae sunt posita, sine morbo esse possunt.

Sed ex his quae diximus juxta Avic. doctrinam, nempè apparere quodlibet objectum album in Altumar, ex eo quod affectus assidueatur in nive, videtur species visibiles servari in potentia absente objecto, quod difficile inter Philosophos appareret: nam actio sensus externi est intuitiva quae necessariò versatur circa objectum actu existens, alijs erit abstractiva, deinde quia si brevi tempore conservantur prædictæ species visibiles, etiam longo tempore debent conservari; cùm non sit caula corrūpens eorum, nam imprimitur non defectu conservantis, si enim aliquo tempore possunt conservari sine illo, longo etiā poterunt; neque defectu subjecti, si tale permaneat, neque ratione contrarij cùm tale non habeat species visibiles; neq; defectu termini, cùm non sit relativa quae verè dicat habitudinē secundum esse ad terminū aliquā, ergo ex nullo capite videtur posse defice-

re, ac proindè si durat per parvum tempus, potest longo tempore perdurare.


Nobis tamen dicendum est species visibiles posse perdurare absente objecto per tempus aliquod: quod præterquā quod est expressum ex Avic. & Gentili, probatur ex Philosopho lib. 3. animac. 2. dicente, *Quocirca sensibilibus ipsis sensitum insunt in sensu instrumentis, sensus, imaginationesq;* Et cap. 3. ejusdē lib. afferit, *Atq; nobis, quod quidē paulo ante dicebamus, clausis etiam oculis visa videntur, atque apparent. Quibus verbis clarè constat absente objecto, vel sensibili posse idem objectum sentiri ratione speciei in potentia remanentis.* Neq; quod adductum est in contrariū nos cogit; nā ad primam rationē dicimus non requiri ad cognitionem intuitivā, objectum esse actu præsens, sed satis esse, ut secundū se dicat ordinē ad existentiā, etiam si sub quavis differentia temporis objectū cognoscatur. Ad secundū respondetur non omnia pendere æquè à sua causa efficiendi in conservari, sed quædam quae neque momento temporis durant ut lux, alia verò quae pro aliquo brevi tempore durare possunt, & tamē postea paulatim desinunt, ut impulsus, & species visibiles, & sic mirū non est absente objecto per aliquod breve tempus objectū videri.

Alij verò Recentiores respondent species visibiles adhuc absente objecto pendere à conservante; nā in vehementi objecto virtute luminis refracti, imprimuntur aliqua qualitas physica oculo, quam Arist. appellavit commotionem, aut motiunculam, hæc autem qualitas physica deficit paulatim, ex eo quod nativa virtute reducitur oculus ad proprium & naturale temperamentum, & sic durant species per parvum tempus absente objecto.



## DISPUTATIO XXVIII.

*De laesione visionis quae contingit  
vitio nervorum opticorum.*




## CAPUT UNICUM.

*De gutta serena.*

**V**T præsens dubium clarius fiat, supponere oportet nervos opticos seu visivos dici illos per quos spiritus animales perveniunt ad oculos, & virtus ad videndum à cerebro communicatur, & inter omnes nervos qui sunt in nostro corpore, solum hi manifestam habent cavitatem, ad quid autem oportuit cavos fieri, diximus lib. de parte naturali. Hoc ergo supposito constabit clarè quod si impediatur via hæc per quam spiritus & virtus ad visionem communicatur, laetetur necessariò visio, & dicitur tale symptomā gutta Serena, seu parentosis: hoc autem vitium pluribus modis contingere potest, aut propter obstructionem horum nervorum, aut propter compressionem ab aliquo tumore præternaturam, aut propter siccitatem magnam, aut propter humiditatem, seu mollitatem facientem ut partes concidant & impediant cavitatem. Totum quod notum fecit Galen. lib. 4. de locis affectis, cap. 2. ubi dicit quod ubi non appetet in

in oculis aliquod malum, & sensus cernendi deperditus est, certum est causam esse aut humorem obstruentem, aut inflammationem &c. ubi videtur insinuare quod quando est vitium praedictum in nervis opticis, nullum est vitium in oculis; quod ita est intelligendum, ut quando est in nervis opticis tale vitium, nullum sit in oculis ita manifestum, sicut illud quod provenit ex humor obstruente, aut qualibet alia causa impediente cavitatem praedictorum nervorum; non vero in illis non esse aliquod malum: nam certum est tale esse deficientibus spiritibus, qui per alias nervos non possunt communicari, cum optici solùm nervi sint cavi, & non alij, ut supposuimus. Ex quo facile colligi potest quis sit morbus à quo tale symptom procedit, non est enim unus, sed plures, ut constat ex supra dictis in hoc cap. dum fecimus mentionem de modis quibus hoc vitium contingere potest.

Causa vero hujus lœsionis in visione est defectus spirituum animalium. Contingit autem plures obstructio nervorum opticorum laborantibus, & quando eam incipiunt pati, videant splendores ante oculos. Ratio vero hujus est quia cum spiritus lucidi sunt, & ex alia parte fluat humor ad cavitatem nervorum per quam transeunt spiritus, impelluntur, & foras exeunt, & sic splendores apparent.



## DISPUTATIO XXIX.

*De affectibus qui oculis contingunt propter musculos quibus moventur.*

### CAPUT PRIMUM.

*Quot sint musculi oculorum.*


**P**ro hujus rei completa intelligentia nota primò quandoque in oculis lœdi sensum, quandoque motum, quandoque utrumque. Nota secundò necessarium fuisse oculos habere musculos, & quia oportebat voluntario motu moveri, & talis motus sit medio musculo; & ulterius quia oculus non potest aspicere nisi visibilia quae sunt in recto, vel secundum rectitudinem: nam objecta quae sunt ad latera, vel sursum, aut deorsum videri non possunt nisi directè ponantur; si vero oculi carerent motu, talia objecta non viderentur; oportet ergo illum habere.

Nota tertio (ut numerum musculorum inventamus) plures esse motus quibus oculus potest agi; nam & potest oculus moveri versus nasum, & ad extra versus aures; & rursus versus supercilia, & tādē deorsū versus malas. His notatis cum oculus ad quemlibet ex his

*Henriquez Lanrea Medica Tom. III.*

motibus indigeat peculiari bus musculis, & motus sint quatuor, etiam erunt quatuor musculi quibus potest oculus moveri: Et rursus cum etiam videamus oculum circumagi & circumvolvi, oportet alios duos ponere ad talem obliquum motum.


Sed præter hos solet poni alius qui circumdat nervos opticos juxta radicem eorum, & dubitatur an sit unus, vel plures: sed oportet examinare prius an qui circumdat tales nervos sit verè musculus: Et dicimus probabilius esse non esse verè musculum; nam partis cuiusque natura ex nullo alio melius cognoscitur quam ex operatione: sed nullam experimur operationem voluntariam, neque spontaneam illius: ergo non est musculus. Minor probatur, cum non laxentur, neque contrahantur eò quod ex vi suæ formationis in ulteriore situm non possint progredi. Et confirmatur, nam si possent progredi aliquando, nobis constaret de illa majori contractione, quod non sit: præterea quia si esset in nostra potestate illa contractio, oculi mutantur situm, & exirent extra. Denique probatur ex usu praedictæ partis circumdantis nervos opticos; nam data fuit, ut sua firmitudine esset tutela mollissimorum nervorum, quales sunt optici; ne rumperentur in vehementibus lapsibus in caput. Deinde alter usus ejus est ut infixi oculi respiciant objectum, id est ut firmet oculum in ordine ad objectum: sed ad hæc omnia non oportuit talem partem esse musculum, sed sufficit esse ligamentum; nulla ergo appetit ratio ut dicamus musculum esse.



### CAPUT II.

*De usu musculorum oculorum.*

**E**X capite precedenti constat quatuor ponni musculos ad diversos illos motus; sursum scilicet & deorsum, &c. etiam constat alios duos ponni obliquos ad motum circumvolutionis oculorum. De quibus est dubium an sint necessarij; Vallesius affirmavit hos necessarios non esse, sed motus circumvolutionis oculorum optimè fieri à quatuor praeditis musculis rectis, eò quod laxentur alteri, & alteri contrahantur. Nos tamen dicimus ab ipsis non posse fieri motum circumvolutionis; nam si moveatur oculus successivè musculis rectis ordine quodam, talis motus non potest esse in circulum sed in quadratum: sed constat oculum circulariter perfectè moveri: ergo hic motus non fit quatuor illis musculis; sed necessarij sunt alij duo obliqui ut circumvallantur oculi.



### CAPUT III.

*De Strabismo.*

**S**ERTUM est musculos oculorum pati easdem affectiones sicut musculi aliarum partium, sed in præsenti ob peculiare symptoma quod inducunt quando afficiuntur, de illis agere decrevimus. Est ergo strabismus

EE 2 bismus

bismus convulsoria affectio muscularum vul-  
tum moventium, juxta Pauli doctrinam:  
nomine autem convolutionis intelligit tam ve-  
ram convolutionem quam retractionem mu-  
sculi oppositi; sit autem haec retractio aut pro-  
pter convolutionem musculi, aut propter Pa-  
ralysim ejusdem: si autem contingere quod  
omnes convellerentur, esset tonica actio. Ex  
quo constat ex parte oculorum esse morbum  
instrumentalem in situ mutantem, ex parte ve-  
rdi muscularum est idem morbus ac diximus  
contingere aliis musculis, pars verdi affecta  
sunt musculi oculorum.

Cum ergo constet in strabismo laedi motum  
oculorum, cum non possint moveri versus  
oppositam partem quam est contractio; dubium  
est quo pacto laedatur visio in hac affectione;  
& dicimus cum Galen, quod quando oculus  
moveretur ad superiora, aut ad inferiora, facit  
quod res una appareat duplex; quando au-  
tem moveretur ad duo latera, non facit no-  
mentum aliquid in visione, sed solum mo-  
dus depravationis dictus fit quando ad supe-  
riora, aut inferiora fit circumvolutio; quia  
verdi sappè contingit, ut sola perversio oculi  
ad latus non reperiatur quin simul sit perva-  
rsio solum latus, cum oculus circulatis  
sit; inde fit quod aliquando duplicatum appa-  
reat objectum quando oculus ad latus pervertitur.

Sed ut clarius constet in quod in dubium  
positum est, oportet prius scire quae sit causa  
propter quam dum oculi bene se habent,  
quaerilibet res non appareat duplex. Et ra-  
tio difficultatis est; nam non solum est  
duplex oculus, duplex humor crystallinus;  
sed etiam est duplex species & duplex visio,  
& terminus ipsius in quolibet oculo pro-  
pria: ergo quaerilibet res videtur apparere  
duplex: contrarium autem experientia con-  
stat: sed quae sit causa querimus. Et dicimus  
parum referre, cujuslibet objecti esse in ocu-  
lis duplum speciem, & duas sensationes, ut  
una res duplex appareat; nam cum hoc stat,  
ut objectum videatur in eadem distantia, &  
in eadem locali praesentia, ideoque videtur  
objectum unum. Ad quod valde facit quod  
dixit Galen, pupillas scilicet esse in eodem  
plano; nam sic axis oculorum in ordine ad  
objectum servat rectitudinem; & inde pro-  
cedit quod quando elevatur unus oculus, aut  
alter deprimit res geminari videatur; nam  
non habent rectum axem ad situm objecti, oportet  
enim ad perfectam & non vitiatam visio-  
nem species venire ad oculum seu ejus axem  
per lineam proportionem servantem secun-  
dum rectitudinem; quia verdi haec rectitudo  
servatur oculis perversis versus aliquem an-  
gulum, fit ut res gemina non videatur quan-  
do ad latus fit circumvolutio; sicut quando  
ad superiora, vel inferiora moveretur.

Sed contra solutionem Autoris est argu-  
mentum, quia ponamus objectum versus ali-  
quem oculum, ita ut proximus sit magis uni  
quam alteri, ut in hac figura

tunc li-  
neæ non protrahuntur æquales, neque ha-  
bent rectum axem, neque triangulus perfe-  
ctus potest deduci; tum etiam quia in posita  
figura constat non servari rectitudinem linearum  
per species objecti ad oculum; ergo in

hac figura & quando ad latus circumvolvi-  
tur oculus, objectum debet apparere gemi-  
num, & non solum quando ad superiora, aut  
inferiora moveretur.

Quæres iterum: cum in ebriis objectum  
unum appareat duo, & dicimus contingere  
propter motum vaporum à quo species modi-  
ficantur, & sic ob agitationem unum appa-  
ret duo, sicut quando moveretur aqua, figura  
Solis appetit duplex, quod totum diximus  
*cap. de vertigine*, deceptionem scilicet con-  
tingere propter medium.


Quæres iterum quae sit causa ob quam cum  
digitus ponitur supra nasum in medio oculo-  
rum, aut quodlibet aliud objectum, licet oculi  
bene se habeant, & sint in statu naturali,  
tunc unum objectum appetat duo.

Dicimus ideo contingere quia ex eo quod  
digitus sit in medio duorum oculorum, im-  
peditur visio totius objecti à quolibet oculo,  
& solum videtur à quolibet oculo secundum  
mediatatem objectum, id est secundum par-  
tem superficie sibi correspondente, & ita  
apparet duæ superficies, & duo corpora.  
Plures sunt oculorum affectiones quae ad an-  
gulum eorum spectant & ad palpebras, sed  
quia nihil peculiare continent, ab eis super-  
fide decrevimus.



## DISPUTATIO XXX.

*De affectibus aurium.*



## CAPUT PRIMVM.

*Quot modis laedatur actio audiendi.*



Ro intelligentia dubij adver-  
tere oportet quod sicut in ocu-  
lis est pars determinata, nempè  
humor crystallinus qui visionis  
est elicivus, cæteræ verdi par-  
tes quae in oculo sunt, solum præstant usum;  
sic in auditu est quædam pars determinata  
quae auditionem elicit, scilicet fuis meatus  
audiendi ubi nervo dilatato conjungitur, &  
reliqua quae extra ipsum sunt præstant usum  
auditioni. Deinde notare licet auditionem lae-  
di aut propter vitium nervi qui à cerebro  
procedit, aut propter aliam partem quam con-  
stant aures, aut propter vitium cerebri; &  
non solum potest pati auditum per consensum  
cum cerebro, verum cum aliis partibus, ut  
cum dentibus, in doloribus scilicet eorum,  
aut cum ipsis primò nascuntur, quod evenit  
ob maximam communionem nervorum gin-  
givatum cum nervis auditus, & hinc meo  
videri, oritur ille veluti dentium stridor au-  
dio sono aspero.

Supposito ergo quod auditus potest pati  
per consensum cum cerebro defectu virtutis  
ab eo communicandi, & etiam potest con-  
sentire cum aliis partibus per receptionem  
alicuius nocivi, aut inutilis, restat jam quod  
de

de læsione actionis audiendi agamus, & quidem potest esse actio auditus ablata, cum nihil audit, diminuta etiam cum minus audit quam pro natura illius, ut si solū audiat sonos maximos & vehementes, & in minori distantia. Denique depravata, cum apparat aliquis sonus extra qui revera non est, sed solū motus circa membranas cerebri tales imaginationes creet, quod accedit in tinnitus, seu sibilo aurium, ut dicemus. Idem symptoma est quando quis inæqualiter audit, ita nunc aliquis audit vehementer, licet submissè res dicantur, postea vero minimè audit, nisi magno sono sint; quod arguit aliquam mutationem in organo, non intemperie, neque humoris, neque solutionis continui; nam non fieret mutatio tam citè ratione humorum, & sic consonum mihi videtur esse flatum existentem intra porum, qui citè discedit, & sic citè est prædicta mutatio.

Sed queret quis quæ sit illa pars quæ nomine finis meatus audiendi, dicitur à Galen, quam diximus esse auditionis elicivam; & videtur per eam non intelligi nervum; nam audit ubi nervo dilatato conjungitur, manifestum ergo fit per eam partem elicivam auditionis non intelligi nervum: præterquam quod nervus ille solū est per quem virtus communicatur à cerebro.

Respondet Galen, per finem meatuum audiendi intelligere præcipuam partem auditionis elicivam, quæ est aer congenitus ibi.

Sed hoc verum mihi non videtur, nam in omni actione debet esse aliqua pars similaris illius eliciva: sed aer non est pars, ergo non elicit auditionem. Tum etiam quia actionis vitalis debet esse agens vitale: sed tale aer non est, ergo. Quare probabilius est dicere organum auditionis esse nervum secundæ conjugationis in utraque aure expansum, qui alteratur ab aere illo delatori speciem soni.

## C A P U T II.

*In quo proponuntur quidam affectus aurium communes cum aliis partibus.*

**R**AETE R affectiones communes quas patitur auris, una est dolor, de cuius essentia & causis jam diximus; sed in hac re existimamus, quod haec pars non laborat sensatione dolorifica, ut organum audiendi est, quia ad auditum non spectat, sed ad tactum, prout ibi existit; est tamen actio depravata, ut ostensum est.

Est etiam commune auribus eruptio & exsudatio sanguinis quod est symptoma tertij generis, in his quæ excernuntur. Etiam solent pati aures ulcera, quorum natura consistit in soluta unitate. Patiuntur etiam exitum puris qui est etiam symptoma tertij generis, & hoc non solū contingit vitio aurium, ut ex earum ulcere aut inflammatione: sed nullo in eis vitio existente contingit, quando scilicet cerebrum expurgatur per aures, tanquam per

vias; tunc enim nullo affectu laborant, & cerebrum solet à morbo liberari, ut tenet Hipp. lib. 6. aphor. text. 20. ubi inquit, Caput dolenti, & vehementer laboranti, pus, aut aqua, aut sanguis effluens per narres, aut per os, aut per aures, solvit morbum. Possunt etiam generari vermes in auribus cum non repugnet ratione loci; erit tamen morbus tunc in obstructione, non in numero, quia non fit læsio ratione numeri aucti, licet in intestinis ita fiat. Potest etiam dici symptoma in retenatis contra naturam. Potest similiter esse in auribus morbus instrumentalis impediens cavitatem ratione alicujus corporis, ibi existentis, qui eatenus laedit auditionem, quia species perveniunt ad potentiam in tanta remissione, ut improportionatae sint ad auditionem, remissio autem fit ratione corporis impediens speciem soni in ea intentione quæ producitur.

Potest denique pati inflammationem auris, quæ valde acutus morbus est, juxta illam Hip. sententiam lib. 3. prognost. text. 13. Aurium (inquit) dolor acutus, cum febre continua ac vehementi, difficilis est; periculum enim delirij mortisque imminent. Et ratio hujus est quia cerebrum maximam habet communionem cum parte interiori aurium. Nec mirum est hanc partem pati tam acerbos dolores, cum nimis exquisito constat sensu, sub quo vero genere morborum inflammatio contineatur, & quod symptoma dolor sit, constat ex propositis in capitibus precedentibus.

## C A P U T III.

*De sibilo & tinnitu aurium.*

**A**VICENNAS sen 4. lib. 3. tract. 1. cap. 9. sic tinnitus aurium definitivit, Est vox, quam homo incessanter audit exterius, & ejus comparatio ad auditum, est comparatio imaginationum, & tenebrarum, quas videt homo absque causa exteriori ad oculum. Unde, sicut suffusio oculorum est actio depravata erronea, & quod taliter affecti res externas videant quæ revera non sunt, ita tinnitus aurium est actio depravata erronea, & quod vox quæ continuo eis videtur sonare, revera non est; ac proinde Averroës vocavit tinnitus, auditum phantasticum, quia neque fit à rebus quæ sonum efficere possunt, neque per conveniens medium, scilicet aërem externum, per quem debent deduci species soni ad auditum.

Sed advertere oportet similitudinem tinnitus cum suffusione non tenere in omnibus, nam in tinnitus oportet sonum positivum ad intra percipere; error vero stat in eo quod ad extra esse videatur, in suffusione vero non percipitur aliquod objectum intra, ut diximus, sed solū fiunt accidentia illa, vel visiones suffusionis, quia non videtur extrà objectum sicut est, sed desinit videri juxta id quod est intra oculum impediens secundum sionis certam figuram: at vero in tinnitus non contingit depravatio, quia objectum extrà non sentitur sicut est; sed quia extrà appetit sen-

Explicatur ratio  
quare ap-  
pareant  
acciden-  
tia suffu-  
sionis si-  
milis.

tiri, quod non est. Ulterius maxima cum diligentia advertere debemus, illud sonum quod sentimus intra aures esse verum sonum. Neque oportet opponere dixisse Aristotelem in omni sono tria experiri, percutiens & quod percuditur, ut medium quo sit percussio; nam haec conditiones non sunt necessariae ad quemlibet verum sonum, sed cum illis sunt corpora paratiora ad sonum efficiendum. Quod autem illa tria realiter diversa non sunt necessaria, sed sufficere diversitatem secundum rationem, constat in sonis ex ventis agitatis, & in undis aquarum, & in virgæ motu dum percutit aerem, ubi non sunt illa tria corpora realiter diversa: ergo sonus ille qui in tinnitus contingit est verus sonus intrinsecus qui sit a flatu intrinseco moyente, quod sufficit ad verum sonum, sicut de sono qui fit ex ventorum agitatione diximus. Ex quo constat errorem tinnitus qui consistit in eo quod id quod vere sonat intrinsecus, appareat sonare extrinsecus, non esse errorem imaginationis, sed auditus, alias non ponetur inter actiones ejus depravatas.

Quæret aliquis, quæ sit causa ob quam clavulo foramine aurium digito, aut alio corpore, sentiatur sonus, scilicet verò si id non sit.

Respondeatur quod aer qui est in cavitate auris (non qui est pars viventis quæ dicitur substantia aërea elicita auditio) sua levitate sursum movetur, impedito verò a dígito seu quolibet alio corpore resilit ad latera, & fit sonus, quia aer percutit aerem, ita ut quædam pars habeat rationem medij, & alia rationem corporis percurentis, & solidi aurium habeat rationem corporis percussi, quo sit ut sint omnes conditions requisiæ ad verum sonum, ac proinde hac dicta ratione contingit. De parte affecta in hoc symptomate nulla est dissensio; siquidem omnes fatentur non esse opus eam affici intrinsecè morbo, sed sufficere affici cavitatem auris per se, aut per consensum.

Circa causas est quod aliquid dicamus, sed quæ communiter adduci solent, sunt duæ, nempe flatus seu vapor cui non patet exitus, & partis exquisitus sensus ad audiendum; de flatu nullus dubitat esse causam immediatam qui suo motu efficit sonum; flatus verò habet ortum à morbo in distemperie frigida consistente; idest minus calida quam possit discutere. Ex quo sit ut depravata auditio non fiat à morbo immediatè, sed mediæ retentione atus præternatur am.

Secunda causa videtur majorem habere difficultatem: nam potius acutes sensus minus debet errore in perceptione objecti, ergo talis auditionis depravata non potest esse causa. Dicimus acutiem sensus non esse causam adæquatam talis auditionis, sed conducere ad illam, quatenus multoties si talis acutes non esset, non sentiretur objectum, & sic est causa; etiam potest contingere quod existente acutie sensus, & nullo interveniente flatu, sonus exiguis sentiatur: nam potissimum talis sonus solet fieri ex motu membranarum cerebri, aut juxta illas, intervenire tamen oportet aer aut spirituosa substantia in quo sonus recipiatur tanquam in medio, aer tamen iste non postulat remedia medica, & sic

*suprà* diximus contingere sonum nullo interveniente flatu; solâ acutie magnâ sensus existente; morbus autem à quo tunc tinnitus procedit, si motus cerebri non sit major quam pro natura debetur, est distemperies calida & secca in organo auditu, ratione cujus talis acutes sensus fit, & licet hæc posit fieri à principio generationis, nihil obstat quominus dicatur morbosa depositio.

Denique debilitas facultatis naturalis auri conduceat ad tinnitus, quatenus eâ sic existente generantur flatus qui valeant facere sonum; hæc tamen causa non est distincta ab illis quas posuit Galenus.

## CAPUT IV.

*De Surditate & gravi auditu.*

**S**UPPONERE in hoc capite prius oportet surditatem & auditum gravem maximè distinguiri; nam illa dicit actionem audiendi undeque abolitam, ita ut surdi dicantur qui nullos sonos audire possunt, neque magnos & vehementes; iste verò constituitur eò quod qui gravi auditu laborant, magnas voces aut sonos difficulter audiunt, exiguos verò aut in magna distantia factos, minimè; unde constat surditatem esse symptomam consistens in actione ablata, & gravem auditum, in actione diminuta. Sed cum surditas sit duplex, una quæ est à nativitate, & altera quæ ex tempore, propter aliquem morbum est contracta; queritur cur auditus maximè ab ortu naturæ laedi potest, & dicimus, id est contingere quia instrumentum auditu magis patitur & laeditur dum fœtus est in utero quam instrumenta aliorum sensuum; tum eriam quia auditus habet nervum maximè proximum cerebro, cui excrementum possit communicari per viam satis manifestam, qualem id est non habet nervus qui ad videndum est accommodatus.

Surditas juxta omnium Medicorum consensum sit per consensum cum cerebro, aut propter vitium alicujus particulæ, ut gingivarum, dentium, aut eorum qui constituent organum, aut vitio foraminis; & etiam posse pati auditum per consensum cum pulmone pro certo habeo. Sed causæ surditatis & gravis auditu quædam sunt externæ, quædam verò internæ inter primas ponitur vehementis aliquis sonus; nam vehementis sensibile ex Philosopho corruptum sensum non productione speciei, sed reali facta in organo immutatione; et si cum sono moveatur aer, si ille sit vehementis, adeò pellitur usque ad interiora aurium, ut organum labefactetur; similiter ponitur crassus ventus, auster ab Hippoc. lib. 3. aphor. text. 5. ubi dicit, *Austris auditum hebetant;* & text. 17. *Austrina constitutiones dissolvunt corpora & humectant & auditum obtundunt.* Et ratio hujus est quia ob crassitudinem aeris obstruitur foramen aurium, & sic impeditur ingressus specierum; aut quia humiditate ipsius aeris tollitur ab organo certa siccitas requisita ad operandum.

Inter

Inter causas internas solet poni internus sonus : sed hic non potest causare surditatem, sed solum erit impedimentum quo minus alij soni remissiores audiantur , dum intra est talis sonus : deinde alia solet adduci causa , nempe crassities illius membranae quae appellatur septum , dividitur primam cavitatem à secunda , & alio nomine appellatur tympanum , & dicit ortum ex portione duræ meningis. Denique non solum à quolibet humore crasso obstruente surdi possunt esse homines , sed etiam ab humore biliose , ut testatur Hipp. lib. 4. aphor. text. 28. ubi dicit, *Quibus sunt biliosa dejectiones , facta surditate , cessant : & quibus surditas adest , biliosis dejectionibus cessat.* Quibus verbis clare constat humorem biliosum raptum ad aures posse facere surditatem , & per discessum ejus libertantur ægri.

odores remissius percipiuntur à potentia quam pro natura debentur, vel depravatae , si odores fraudulentos percipiunt qui inventi non sunt, aut si pravos odores percipiunt ut optimos, & è contraria , sit autem hoc modo depravata actio olfactus , quia in sensu aliqua substantia vel succus vitiosus continetur quae evaporet usque ad organum , ubi sit actio , & sic res optimi odoris apparent mali odoris , non aliter quam in sensu gustus ob succum in eo contentum omnia objecta diximus apparere de sapo . re illius substantiae quae continetur intra organum , sic ergo contingit actio depravata in sensu olfactus.

Contingit autem ablatio & diminutio in hac actione propter obstructionem & impeditiōnem in via nasi per quam deferuntur species rei odorabilis ad partem ubi est sensus olfactus quae dicitur organum illius , sive sit in interioribus ventriculis cerebri , ut major pars Medicorum affirmit , sive in pellicula nasi tanquam in parte similari elicita actionis ; in quolibet verò placito semper erit verum per impeditiōnē factam ab humore , aut inflammatione , aut à quolibet alio corpore , impeditiōnē communicationem speciem obiecti odorabilis , quia etiam impeditur inspiratio aëris medio quo deferuntur species ; non enim olfactimus nisi inspirando , ut constat experientiā. Advertere tamen oportet , quod quando dicimus depravari actionem olfactus è quodd percipiatur odorem fraudulentum quod inventum non est , ita debet intelligi sicut de tinnitu aurium diximus sentiri verum sonum intrà , & talem extrà apparere , quod revera extrà non erat ; sic similiter intrà percipitur odor talis naturæ ob aliquem succum ibi putrefactum , qui extrà nullo modo est , & ita dicitur fraudulentus in hoc sensu.

## C A P U T V.

### *De Sordibus aurium.*

**S**ORDES aurium ponuntur etiam inter causas quae valent obstruere foramen earum , & ita adhiberi solent remedia quibus extrahi possint ; & communiter tales sordes appellantur cera ob similitudinem quam cum ea habent , consistentiam & modum emplasticum. Diciturque excrementum amarum quo cerebrum secundum naturam expurgatur per aures ; ita ut si deficiat in tali excremento amaritudo , cerebrum non esse secundum naturam significat ; talis amaritudo nascitur ex exigua quadam putredine amara quae in statu humoris naturali fit ; & non ob commixtionem humoris biliosi cum illis excrementis quae per aures expurgantur ; nam si ita esset , etiam prædicta amaritudo contingere in reliquis excrementis , quibus cerebrum expurgatur per nares , aut alias partes , quod non est ita. Solet autem contingere ut sordibus existentibus dulcibus , sit signum mortale in his qui sunt prope mortem quod est verum si dulcedo fiat eo quod tunc exhaletur calidum proprium , ob quam causam deficit illa parva putredo à quo fit amaritudo , & sic non apparent sordes amari , etiamsi positiva non sit dulcedo nisi quando est mixtio sanguinis.

## C A P U T II.

### *De Polypo , Ozæna , &c.*

**P**OLYPUS dicitur tumor præternaturalis in naribus obortus , qui talis dicitur ob similitudinem in carne cum quodam animali ita dicto , propterea quod sit carnis mollis & fungosa , & in figura rotunda , cuius essentia non est diversa ab essentia aliorum tumorum qui sunt toto genere præternaturalis , quod inde manifestum fit , quia sine præcedenti ulcere potest quis incidere in polypum.

Alter est morbus narium , qui dicitur ozæna , qui est ulcer in naribus putredinosum ex fluxu acrum humorum proveniens ; & de ejus essentia constat esse in soluta unitate. Deinde fluxus sanguinis per nares dicitur hemorrhagia , sive talis fluxus fiat per se , sive per consensum patientibus naribus , essentiam hujus affectionis constat esse symptomatum generis in his quae excernuntur præternaturalis ; morbus autem à quo procedit non est unus , sed plures , ut diximus cap. de hemorrhagia

## DISPV TATIO XXXI.

### *De Viiis narium.*

## C A P V T PRIM V M.

### *De modis laesionis sensus olfactus.*

**A**CTIO olfactus , sicut & aliorum sensuum , potest laedi tripliciter , vel ablatè si omnino deficiat , vel diminutè , si

*morrhagia thoracis & pulmonis.* Cùm autem solis hominibus contingat fluxus sanguinis per nares, quæritur ratio hujus in præsenti, & dicimus idē esse quia alia animalia habent vasa magis crassa & densa, & similiiter cutim; quæ omnia juvant ad retentio-nem, & sic frequenter solis hominibus talis fluxus contingit, licet non sit impossibile aliis etiam animalibus competere.

tum est distemperiem calidam, cerebri esse morbum à quo procedit catarrhus, eò quod à calore attenuantur & liquefiant humores, & sic facile fluant per dicta loca. De distemperie frigida cerebri etiam constat esse morbum à quo prædictum symptoma pro-cedit; sed de modo quo id facit dubium est. Circa quod dicimus quod ratione frigiditatis in cerebro, fit in ejus substantia quædam condensatio, ratione cuius partes & pori comprimuntur, & sic humor imbibitus exprimitur, & fit destillatio, seu catarrhus. Neque credendum est posse vivo animali congelari cerebrum; hoc enim non dicimus, quia valde distinctum est congelari & densari; neque ex hoc colligitur etiā humores à tali frigore densari, & sic ineptos remanere ad fluxionem; nam potest frigus externum non alterare in tanta intensione humores, sicut cerebrum, eò quod resistat magis, vel ob aliquam aliam cau-sam, & sic fit prædicta expressio, & humores non concrecent, seu reddentur incapaces ad fluxionem; si verò frigus in tan-ta sit intensione ut non solum faciat den-sationem seu concretionem in cerebro, sed in humoribus, nullo modo erit talis affluxus humoris neque catarrhus.

Humiditas etiam idem potest facere, eò quod potest laxare humores, & eos redde-re aptos ad fluxionem, sed non facit id frequenter sicut calor & frigus, quæ quia frequenter id faciunt, de eis solum facit mentionem Avic. De siccitate etiam quæri-runt an id possit facere, & dicimus non implicare aliqua ex parte; nam eatenus frigiditas valet facere prædictum symptoma, quia condensat partes cerebri, & sic facit expressionem humoris contenti in poris cerebri: sed hoc idem valet siccitas facere, licet non ita frequenter; ergo ab illa non implicat fieri catarrhum. Cum hoc tamen verum est ut si in eadem intensione aut ma-jori alteret ipsos humores, alterat substan-tiam cerebri, reddere illos incapaces ad fluxionem, ut etiam de frigiditate diximus.

Potest etiam fieri ex repletione mor-bum instrumentalem facientem in venis & cavitatibus cerebri; similiiter frido exi-stente cerebro fit, eò quod non resolvat vapores ad ipsum ascendentes, & sic in aquam convertantur, sicut convertitur in alembio illud quod ascendit in forma vapo-ris, in aquam.

## CAPUT IV.

### De Catarrho, Coryza, & Gravedine.

**C**ATARRHUS est excrementij hu-moris ex capite in subjectas partes descensus; sortitur verò diversa nomina ratione diversæ partis in qua fluit humor; nam si fluat per nares, dicitur gravedo, aut coryza; si in fauces & palatum, dicitur di-stillatio, sive catarrhus; si denique in asper-ram arteriam, aut ejus membranam interio-rem, dicitur raucitas, sive branchus; cum hoc tamen bene stat ut generali significa-tione dicatur catarrhus, fluxio humoris à cerebro ad quamlibet partem ex diës: similiiter quatenus dicit fluxum humoris seu distillationem est symptoma tertij generis, in his quæ excernuntur immodecè præter-naturam.

De morbo à quo prædictum symptoma procedit est quod dicamus. Et primò cer-

## DISPUTATIO XXXII.

### De Morbis faciei.

## CAPUT VNICVM.

### De morbo spastro cinico dicto, orisque tortura.

**R**is tortura communiter solet dici *Vide Pe-tri Garua. super hanc* convulsio canina, quia canes dum co-nantur mordere, nasum & os in latus movent,

*question.  
ubiqui  
lures  
invenies  
solutio  
nes inco  
gnitas.*

& oculum & partes faciei ; & quia ita contingit in oris tortura & appellatur , & sic definitur ab Avic. *fen. 2. lib. 3. tract. 1. cap. 15.* dicente. *Ipsa est morbus officialis in facie, propter quam trahitur pars faciei ad partem non naturalem, & alteratur forma ejus naturalis & removetur bonitas obviationis utrorunque labiorum, & ambarum palpebarum ex parte.* Sed advertere oportet quod licet oris tortura procedat ex paralyse , aut convulsione quæ secundum se habent rationem symptomatis , cum quibus etiam est morbus conjunctus , ut *suprà suis capitibus diximus* , tamen præter hunc est etiam alijs morbus officialis dictus ab Avicenna qui consistit in situ oris mutato. Causas heujus mali *Capitibus de Paralysie, & Convulsione diximus*, in præsenti tamen dicimus causas immeditas torturæ oris esse paralysim aut convulsionem unius lateris , ita ut quando pars unius lateris paralyse laborat , contractio fiat versus partem sanam ; quando vero convulsione , fit contractio versus partem eorum.

Sed tota difficultas stat in hoc , an verum sit quod dum una pars faciei paralyse laboreat , pars sana trahat ægram , & quando laborat convulsione , pars ægra trahat sanam versus se. Pro affirmativa parte stat Gal. qui *lib. de causis morb. capite 7.* videtur id expressè tenere.

Pro negativa parte stant Avicen. & Gentilis qui affirmant non esse necessarium neque certum partem sanam trahere ad se ægram paralyse laborantem : Et probant nam licet in sana sit virtus trahendi oppositam , potest contingere ut fluat humor in partem paralyse laborantem adeo in magna copia , ut ponderet & resistat tractioni alterius partis sanæ oppositæ ; imò non implicat tantum esse affluxum humoris ut potius ægra trahat sanam : ergo si fluat humor ad partem ægram quæ faciat proportionatam resistentiam tractioni alterius partis , remanebit facies in sana figura , etiamsi altera ejus pars paralyse laboreat. Poterunt tamen conciliari hi Autores , ita ut primum dogma intelligatur esse verum quando in parte ægra nullum sit impedimentum ratione cuius resistat tractioni partis sanæ.

Sed adhuc dubium non manet solutum : nam etiamsi nullum sit impedimentum in parte paralyse laborante , videtur non posse trahi versus sanam. Probatur antecedens : nam facultas quæ pars sana operatur , est animalis quæ mediæ cognitione , & apprehensione operatur : sed parte contrariæ laborante paralyse , non est aliquid ratione cuius altera pars teneatur elicere motum contractio- nis , præsertim cum in hominibus fiat , saltem non repugnante voluntate : ergo non videtur certum partem sanam trahere ad se ægram paralyse laborantem.

Neque valet si Respondeas musculum non solum contrahi voluntariè , sed etiam naturali impetu , ut contingit si mortuo homine absindatur musculus ; tunc enim contrahitur ; ergo idem poterit dicere vivo animali partem sanam trahere ægram veluti emor tuam , facultate naturali & impetu per modum naturæ ad contractionem. Sed contra est ,

*Henriquez Laurea Medica Tom.III.*

quia non est finis ad quem natura posuerit talem facultatem per modum naturæ ad contractionem , non ergo est ponendus. Præterea quia si in quolibet musculo esset naturalis impetus ad contractionem , sequeretur ut quando una pars faciei voluntariè moveretur , esset in opposita naturalis repugnantia , quod est contra institutum naturæ : nam laxatio oppositi musculi est necessaria , ut alter contrariæ partis contrahatur.

Unde nobis videtur dicendum quod ex eo quod una pars paralyse laboreat , non fieri contractionem in opposita , nisi opposita laboreat convulsione aliqua , aut moveat alteram , voluntariè se contrahendo ; tunc enim pars quæ paralyse laborat manebit contracta quoisque sanitati restituatur : nam ita affecta non potest contrahi ut redeat sana ad priorem suum situm naturalem , tunc enim sana jam est contracta , & ægra non potest contrahi , quia resoluta est , & sic manebit vivens in illa figura quoisque pars ægra sa nitati restituatur.



## DISPUTATIO XXXIII.

### De Affectibus linguae.



### CAPVT PRIMVM.

#### De natura usque linguae , & modis quibus lesionem patitur.



**I**N G U A usus juxta Avic. doctrinam multiplex est ; nam confert ad conversionem cibi masticati , idest ad motum cibi ab una parte oris in aliam ; & ad edendam vocem locutionemque , & ad gustandos sapores. Ex quo licet colligere linguam voluntariè moveri , & dupli sensu esse præditam , nempè gustus quo percipiat sapores , & tactus quo etiam percipiat qualitates tangibiles eorum.

Sed quæres an lingua possit seorsim pati symptomata unius sensus sine alio , taliter ut lædatur actio gustandi , & non tangendi , & è contraria. Et dicimus id posse contingere , nam tangibles qualitates sive primæ , sive secundæ , possunt dolorem in lingua facere ; sed talis dolor est symptoma actionis tactus ; ergo poterit lædi actio gustus perfecta remanente ; & è contra , nam experimento constat linguam circa sapores malè se habere , & tamen rectè sentire qualitates tangibles , ergo bene potest in lingua esse symptoma circa actionem unius sensus , quin sit circa actionem alterius , etiamsi mediis eiusdem nervis fiant tales sensationes.

Sed dubium manet an diminutè , aut ablative possint lædi , unam scilicet sine altera , propter virtutem receptam à cerebro , aut propter partis temperamentum. Circa quod

FF

Galenus

Galenus tenet maiorem perfectionem requiri ad gustum quām ad tactum, & sic sicut ostendebat in eadem exquisita parte motum posse inveniri sine sensu, non ē contrā, itā ait posse esse actionem gustandi sine actione tangendi, non tamen ē contrā. Sed si dicitis stēmus à Galeno, non est idem aliam actionem perfectiorem esse alterā, & indigere majore virtute ad operandum, & sic licet actio gustandi sit perfectior, non ideo debemus colligere posse inveniri sine actione tactū, quia non indē colligitur indigere majori virtute ad operandum: neque est unde constet indigere majori virtute à cerebro unam actionem quām aliam.

Sed dicimus crebriūs lādi actionem gustūs quām tactūs, ēd quid illa requirat necessariō humiditatē, non quidem ut priū sentiatūr (nam in casu in quo esset in organo æqualis humiditas ac in aliquo objecto gustabili, siue dubio fiet gustatio, & tunc non fiet sentatio humiditatis) sed quia laxat poros, ut possit substantia saporosa ingredi; & sic patet posse lādi crebriūs actionem gustūs quām tactūs; siquidem aliquid peculiare est requisitum ad operationem gustūs quæ non requiriatur ad operationem tactūs. Sed si dicitis stēmus à nostro Petro Garcia, videtur debere concedere etiam calorem & siccitatē eodem modo conducere ad actionem gustandi, sicut humiditas. Sequela probatur, nam ipse factetur disput. 19. cap. 3. fol. 401. *infra medium secunda columnā*, à calore & siccitate causati paralysim propter laxationem, hæc sunt ejus verba. *Hæc laxitas (ut alibi monstrabo) est raritas quæ multò melius fit à siccitate, &c.* Sed non alio modo humiditas conducit ad gustum nisi quatenūs laxat, ergo eodem modo conducunt calor & siccitas, ratione substantiæ ingredientis per poros. Quare mihi videtur dicendum ideo gustum requirere humiditatē, quia facit quod substantia gustabilis fluida fiat, & sic facile ingrediatur per poros, & quia reddit cibum lentum, ut facile adhæreat lingua, quā adhæsione melius actio sequitur: quod constat in his alimentis quæ humida & fluida sunt quæ statim sentiunt absque humectatione salivæ.

Unde in gustandi actione potest esse actio diminuta & ablata, & depravata sicut de reliquis sensationibus dictum est; tunc enim sit actio depravata quando lingua est impleta extraneo humore, itā ut alia objecta quæ de novo percipiuntur, apparet amara, aut falsa juxta naturam humoris implentis porositates lingua; stat autem depravatio in eo quod licet in hoc eventu sentiatur qualitas saporosa, tamen quia sensus judicat talem qualitatē reperiti in objecto quod extra accedit ad gustum; ideo sit depravatio, ut *suprà tetigimus*. Cum hoc tamen bene stat ut sentiatur sapor talis naturæ qualis est humor implens poros absque eo quod objectum externum de novo percipiatur, ēd quid cum ipsa saliva, aut aliquo alio gerente vices objecti commisceatur talis humor, tunc enim stat depravatio in eo quod licet sentiatur qualitas quæ revera est, tamen non quando oportet, neque quando expedit naturæ animalis, tunc

enim non se habet modo naturali itā affectum.

## C A P U T II.

### *De locutione & quibusdam vitius ejus.*

**E**R T U M primō est locutionem esse concessam hominibus, ut possint manifestare suos conceptus, & nihil aliud esse quām vocem articulatam, aut vocis per linguam explanationem juxta Aristotelem, *selectione 11. problem. questione prima*, Cūm igitur vox sonus sit ex ipso Aristot. lib. 2. *animæ cap. 8.* locutio etiam sonus erit, aut plures sonos, ut dicemus *infra*. Deinde certum est locutionem propriam quæ ad nihil est quām ad significandos conceptus mentis ratione dirigente, & cognoscente, solum competere hominibus; vocem autem emittere etiam competit aliquibus brutis; propterea tamen loqui, dicere non possumus, cūm non sit idem locutio propria & rigorosa, ac vocis emissio; nam locutio præter vocis emissionem & articulationem, dicit ordinationem quandam, & directionem internam quam bruta non habent; hinc etiam deducimus vocem; (*idest instrumenta soni*) esse à natura, non verò vocem esse à natura, prout est significativa, quia ut sic pendet à diversa hominum institutione. Locutionem verò non esse à natura dicimus, sed per disciplinam comparari, quod nullo arguento quām eo quod sumitur ab experientia potest probari: videmus enim pueros non loqui nisi disciplinati fuerint anteā; si autem itā continget ut ab initio ortūs non disciplinarentur, haud quaquam loquerentur, signum ergo est locutionem non esse à natura, sed disciplinā adquiri.

His ergo jactis, advertere oportet quod etiam in locutione reperiuntur tres modi lassionis; nam ablatè quando quis ea totaliter privatur, ut in mutuitate, in quo affectu potest salva reperiri vox: lāditur etiam locutio diminutè quando quis loquitur cum difficultate, & talis affectus appellatur ab Aētio, *Anzinoglossis*, *tetrab. 2. serm. 4. cap. 36.* Hi autem affecti quidam sunt à nativitate, cūm scilicet membranæ inferiores quibus lingua innititur, duriores & mutilæ à natura sunt productæ; alij verò itā sunt affecti non à nativitate, sed à morbo, scilicet propter incurvationem lingua præcedente ulcere, aut cicatrice durâ sub lingua relictâ; qui autem itā sunt, difficulter locuntur; denique est in locutione depravatio, ut quando balbutiem habet conjunctam; hec autem tribus modis contingit; nam aut non potest statim proferti oratio, sed cogitur homo repeteret aliquam syllabam, & tale vitium dicitur titubantia; alter modus est quando quis non potest totam dictiōnē integrām proferre aut extimere, & appellatur blesitas; denique alter modus blesitatis est, cūm

cum scilicet non potest homo proferre unam literam, sed pro una profert aliam, ut pro R, L, ut cum vult dicere triticum, dicit triticum, quod vitium propriè dicitur depravatio: Arist. autem circa hoc affirmit quod ad literarum explanationem, & ad sermonis expressionem lingua debet esse mollis, lata & absoluta, quia sic melius potest contrahi, dilatari & bene firmari; quibus omnibus locutio & expressio fit perfecta, & absque vi-  
tio aliquo.

## C A P U T III.

*De mutuitate, & ejus causis.*

**E**X præcedenti cap. constat mutuitatem actionem esse ablatam quæ potest cau-  
sari aut vitio cerebri, quando scilicet laborat apoplexiæ propter defectum virtutis animalis à cerebro communicandæ ad sensum & motum necessariò requisitæ, aut potest contingere mutuitas vitio alicujus partis requisitæ ad locutionem, ut si musculi linguæ para-  
lysi laborent, aut convellantur, tunc enim impeditur motus linguæ, & sic fit mutuitas.

Dubitabis an etiam inter causas mutuitatis ponatur surditas; ita ut surdi à nativitate necessariò sint muti & dicimus id non esse necessarium; neque è contrà mutum esse surdum, licet utrumque simul esse posse certum sit. Probatur, q̄bā ut Anatomici testan-  
tur, ad radicem linguæ veniunt nervi ex tertio pari & ad linguam ex septimo, ad audi-  
tum verò venit ramus ex quinto pari, quæ di-  
versitas est sufficiens, ut actio unius lœdatur  
sine lœsione alterius. Et licet verum sit ex  
quinto pari surculum quendam non exiguae  
magnitudinē in anrem inseri, & ex eodem  
pari, portionem exiguum in linguam &  
laryngem; tamen hæc communicatio non est  
sufficiens ad oppositum affirmandum, quia  
rami sunt diversi, & humor imbibiti potest in  
tuno, ut faciat lœsionem in proprio sensu, &  
non in alio. Præterea quia vitium potest pro-  
venire ex affectione propriæ partis similaris,  
ergo tunc erit lœsio in una actione, & non  
in alia, quia potest esse vitium in una parte  
similari elicativa actionis, & non in alia.

Sed dices: locutio fit mediâ disciplinâ: sed  
qui surdus est à nativitate, nequit disciplinâ-  
ri; nam mediâ auditione deberet fieri: ergo  
qui surdus est, nequit loqui.

Respondetum aliter posse hominem disciplinari quæ per voces: nam possunt excita-  
ti homines quantumvis surdos à nativitate  
per scripturas, cōd quodd discant scribere, &  
res ipsæ quæ characteribus significantur, in-  
dicentur digito, excitenturque ad prolatio-  
nem per motum linguæ earum rerum quæ  
characteribus ipsis correspondent; tunc enim  
loquuntur absque necessitate disciplinâ per  
auditum, optimè ergo potest esse lœsio in  
una actione quin sit etiam in alia.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P V T IV.

*De quibusdam aliis affectibus lingue.*

**N**ITER affectiones lingue ponitur ranula quæ tumor est inflammatus sub lingua ad similitudinem ranæ, contingitque frequenter in pueris, & ab eo impeditur motus lingue, cuius essentia enumera-  
nda est juxta naturam aliorum tumorum.  
Præterea linguae magnitudo immoderata tam  
à nativitate quam vi alicujus morbi, ut tu-  
mefactione, ratione cuius adquirit majore-  
rem locum quam antea, licet non adquirat  
novam partem substantiæ, est alter affectus,  
ratione cuius lœditur locutio, quia scilicet  
non potest, ita exactè moveri lingua. Deinde  
etiam est altera affectio, abbreviatio lingue,  
sive à principio generationis, sive ab  
spasmo, sic contracta. Alij etiam sunt affec-  
tus, ut quando lingua exit extra os, &  
etiam exulceratur; sed quia nihil peculiare  
continent, ab eorum inquisitione absti-  
nemus.



## DISPUTATIO XXXIV:

*De Ore.*

\*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T PRIMUM.

*De numero partium oris, & de den-  
tium natura.*



S pluriib⁹ partibus constat, aliis externis, internis aliis. Prioris ordinis sunt labia, posteriores sunt dentes, gingivæ, palatum, larynx, mandibulæ lingua, & tonsillæ; omnes istæ partes patiuntur plures morbos, sed quia non in monib⁹ est quod dubitationem habeat, solum de his quæ spectant ad naturam dentium erit disputatio, quia plura continent scitu digna.

Dens igitur solet ita definiti, *Est os maxi-  
mè durum, frigidum & secum, intus carnum,  
sentiens, venis & arteriis & nervis constans,  
ad preparandos cibos ventriculo.* Sed antequam ad id quod majus est progrediamur,  
advertere oportet contra aliquos Autores,  
dentes esse veras partes viventis, quod ex  
eo constat quia nutritiuntur vera nutritione,  
quod ex eo probatur quia venæ & arteriæ ad  
ipsos dentes distribuantur more aliarum partium,  
quod in nulla excrementia substantia  
contingit. Neque praedicta distributio  
est ad nutritionem aliarum partium pro-  
ximatum, cum singulæ venæ ad cavitatem  
coquaque dentis tributæ sint. Neque obstat

F Ff 2 quod

TYMD

quod ad partes externas non perveniant, cum neque alia venae habeant distributas in propriam substantiam, & sic sufficit ad eum proximas esse, ut possint trahere alimen-tum ex illis.

Ulterius dicimus dentes esse ossa & non habere distinctam naturam ab illis, quod ex temperie & modo substantiae simili cum reliquis ossibus colligitur satis. Neque obstat à principio ortus viventis non esse dentes, sed transacto aliquo tempore; nam hoc est quid extrinsecum ad eorum naturam & essentiam. Neque obstat semper augeri; nam cum hoc optimè stat, ut habeant terminum limitatum, nam tritu & masticatione aliquæ partes deperduntur, & resolvuntur, quo sit ut si non esset continua auctio eorum, deperderentur non aliter quam in viventibus, in quibus est continuum augmentum, etiam si habeant terminum magnitudinis: nam cùm per resolutionem deperdantur aliquæ partes, si continuò non restaurarentur per nutritionem citò periret vivens; sic ergo in dentibus contingit; non verò prædicta auctio est in aliis ossibus, quia in illis non est tritus, neque operatio aliqua ratione cuius partes eorum continuò defraudentur, & sic omnes sunt ejusdem naturæ cum dentibus, licet hi habeant aliquid accidentale quod non habeant cætera ossa. Addimus ad hoc non esse certum dentes non generari in prima fœtūs formatione, sed quod est certum, est quod non erumpant nisi transacto aliquo tempore. Quod autem in prima fœtūs formatione generentur, videtur consonum rationi, nam tunc est efficiens & materia idonea ex quo generentur cum reliquis conditionibus ad agendum: ergo non est cur negemus eorum generationem; Autores verò qui contrarium afferunt, de eorum eruptione intelligendi sunt: tempus verò erumpendi non est determinatum, sed juxta naturam lactis hoc sit, ita ut in his in quibus fiat nutritio calidiori lacte, citius fiant eruptiones dentium extra gingivas. Sed advertas, quæso, quod si frangitur dens, non generatur callus in fractura, sicut in reliquis ossibus, quia sicciores sunt dentes quam ut possint succum ex quo generatur callus producere.

valet dicere dentes sentire ut mediâ sensatione liberentur à plurimis injuriis quas pati possunt; nam etiam esset utile reliquis ossibus, ut mediâ sensatione liberarentur à noxiis quas etiam pati possunt: ergo hæc ratio sumpta ex fine, nihil valet. Si verò dicas ossa non sentire quia non habent nervos insertos sicut dentes, mediis quibus recipient virtutem à cerebro; contra est, quia ad sensationem requiritur facultas animæ quæ ortum ducat ab ipsa, & recipiatur in parte habente dispositionem, & ulterius requiritur virtus quæ à cerebro medio nervo debet communicari. His iactis, tunc sic argumentor; Reliqua ossa habent eandem naturam cum dentibus, siquidem dentes ossa sunt, ut diximus: ergo si ossa omnia habent insitam facultatem ad sentiendum, frustra ponetur si non ponantur in omnibus nervi, ut communicetur virtus à cerebro mediâ quâ debebat operari, alias enim frustra poneretur facultas quæ nunquam erat operatura. Si verò dicas ossa non habere talem insitam facultatem, neque dentes eam habebunt; nam ossa habent animam sentientem quæ est sufficiens principium illius facultatis: ergo si hanc non habent est defectu dispositionis & temperiei: sed dentes habent eandem temperiem; ergo etiam debent carere prædicta facultate. Sine fundamento enim fingeretur diversitas temperamentorum (cùm dentes sint de natura ossis) propter quam dentes habeant dispositionem accommodatam ad recipiendam illam facultatem, & non ossa alia.

Præterea: nam si quis patiatur scissionem dentis secundum eam partem, quæ est extra gingivas non afficitur dolore; ergo non sentiunt dentes. Consequentia patet: nam ibi est sufficiens causa doloris, cum quavis conditione requisita ex parte objecti; ergo si alias est potentia sensitiva, non est cur non sentiat dolorem; sed constat dentes tunc nullum pati dolorem; ergo in eis non est facultas sentiens. Neque valet si respondeas secundum partem extra gingivas non sentire, secùs secundum partem intra gingivas existentem, nam juxta hanc nervi inferuntur: nam contra est, quia dentes secundum utramque partem sentiunt idem temperamentum, ergo si in parte interna est accommodatum, ut recipiat facultatem sentientem ab anima, etiam in parte externa.

Similiter argumentum de hemodia nihil valet; siquidem talis affectio ad gingivas solum pertinet, nam non videtur ratio quare à cerebro communicetur dentibus virtus quævis remissa ad sensum & motum, & sic cùm ad hemodium hoc esset necessarium, videtur manifestè dicendum hemodium solum esse passionem gingivarum.

## CAPVT II.

### An dentes sentiant.

**G**UM ex supra dictis constet dentes esse de natura ossium, queritur an dentes sentiant, vel non sentiant, sicut alia ossa non sentiunt. Et dicimus dentes non habere sensum tactus, de quo est disputatio, & nobiscum convenit Vega afferens dentes non sentire nisi ratione nervorum, ita ut nervi sentiant. Ita lib. 3. meth. sect. 7. cap. 2. Idque ratione probatur, quia ossa alia non sentiunt; sed dentes habent eandem naturam cum ossibus; ergo sicut reliqua ossa non sentiunt, neque dentes sentiunt. Neque

## CAPUT III.

*An ossa sentiant.*

**V**ERIOR pars in hac re est, ossa non sentire, quod præterquam est expressum à Philosopho lib. 1. anima, cap. 7. ubi ait, *Ea quæ sunt simpliciter terrea, ut ossa, nervi, pili, nihil sentire videntur.* Ratione probatur, nam nihil potest sentire quin à cerebro communicetur virtus: sed non est unde constet communicari ossibus, cùm nulli sint nervi in illis inserti per quos virtus à cerebro communicari debebat: ergo. Haly abbas conatur satisfacere dicendo non probari ossa non sentire ex eo quod non habeant nervos, nam etiamsi non habeant venas nutriuntur & augentur, & sine arteriis recipiunt spiritum vitalem, ergo similiter non erit mirum quid sentiant, etiamsi nervis careant, eò solum quod ad exiguum distantiam communicetur virtus sine nervis insertis in ossibus; nam satis est nervos esse in periostio. Hoc enim nihil valet, nam alia est ratio de sensu, ac de nutritione: nam ossa per virtutem quam habent naturalem possunt trahere ex proximis partibus alimentum quod præparant, ut fiat aptum ad nutritionem, etiamsi in ipsis venæ non inserantur, & similis ratio est de spiritibus vitalibus. At verò cùm virtus ad sentiendum quæ est in nervis exiguae sit activitatis, non potest similem producere in illa distantia; & hoc constat, experimento aliarum partium quæ sunt extra calvariam, ex quibus nulla sentit quæ nervum non habeat insertum; si verò posset sentire in tanta distantia sicut ossa habent illum, non oporteret in partem ita inseri.

Deinde, ossa non sentire comprobatur aliis rationibus quibus utitur Galen. nam ossa sunt veluti stabilitum & sedes omnium partium, & veluti propugnaculum seu murus, ex quo colligere possumus non sentire: nam si corpus defendant ab injuriis, malè fecisset natura si illis tribuisset sensum cum quo molestia afficerentur. Tum præterea quia pondus totius corporis quod sustinent lacerent. Deinde quia experientia constat sectione facta in osse non sentire cum molestia aut dolorosè, ergo signum est non habere sensum. Neque valet dicere cum Hippocr. 2. aphr. 1. text. 46. *Duobus doloribus non eandem partem infestantibus, vehementer obscurat minorem.* Dum autem secatur aut uritur os, simile quid patitur periostium, quod habet exactiorem sensum, & sic in eo excitatur major dolor qui obscurat ossis dolorem. Sed contra est, nam experimento constat detracto periostio ab osse, etiamsi secerit, aut uratur, nullum objectum sentire, ergo ex eo quia facultas sentiendi ossa non habent.

## CAPUT IV.

*De causa finali dentium.*

**D**ENTIUM plures assignant fines partiales, inter quos masticatio & elaboratio alimenti quæ fit in ore non habet infimum locum, ita ut ex dentibus aliis conducant ad sectionem alimenti, ut sunt primi acuti, alij vero ad emollitionem, ut sunt lati. Deinde roboris gratiâ sunt instituti tum ad invadendum, tum ad defendendum. Rursus conducunt ad verborum rectam articulationem litteratumque aliquarum expressionem, quod colligitur ex laſione actionis quæ contingit per defectum dentium conductentium ad verborum seu litterarum expressionem, ut tenet Gal. lib. 11. de usu partium, cap. 8. rursus conferunt dentes ad firmitudinem linguæ dum movetur, aut aliqualem aëris retentionem.

Sed non solum hos usus habere dentes credimus, sed alios ad longitudinem vitæ pertinentibus, ut tenet Hippocr. lib. 2. epidem. sect. 6. text. 2. ita ut afferat quod qui habet dentes raros & in minori numero, minoris sit vitæ quam qui eos non habet raros. Ratio autem hujus assignatur ab eo; nam ex rareitate dentium plurimorum significatur os utriusque mandibulæ esse densum, & similiiter os crani compactum, quia humidum non fuit ita obediens virtuti firmativæ ut possit facere extensionem; quando autem caput ita se habet, fuligines & alia hujusmodi non revertentur; cùm autem retinentur, putreficit cerebrum, & sic brevis vita continet: sed quam connexionem habeat raritas dentium cum dentitate ossis mandibularum & cerebri non explicavit, nisi dicamus in illo eventu plurimam partem consumi materiae accommodare ad dentium generationem in illorum ossium productione, sique fieri dentes minores & raros. Tum præterea quia significant robur seu debilitatem facultatis naturalis, & sic ex hac parte longitudo aut brevitas vitæ potest mensurari.

Tandem advertere oportet quod in masticatione debemus considerare & motum elevationis, & compressionis qui fit mediis musculis facultate animali operantibus, & præterea peculiarem actionem dentium, quæ illam comitantur; estque manducatio actio vitalis ratione principij à quo procedit: nam fit ille motus ab imaginatione & appetitu & anima; immediata verò actio quæ fit à dentibus non est vitalis aliter, & licet verum sit ipsam comedionem secundum totam substantiam fieri à non vivente, etiam cum motu locali simili & actione dentium, non tamen secundum illum modum quo fit ab animali, modus autem propriè consistit in eo quod dimicimus.

## C A P U T V.

*De numero morborum dentium, & de singulis in particulari.*

**A**FFECTUS dentium qui communiter à Medicis enumerantur, sunt dolor, corrosio, defædatio seu nigrities, mobilitas, & hæmodia, fissura, nimium augmentum, fractio, stridor, vertes, tumores etiam præter naturam, & morbi temperamenti, sicut & solutæ unitatis; sed de omnibus his non agemus, sed solum de illis quæ sunt peculiares; & quidem quando de dentium dolore fit sermo, constat intelligi debere de parte circumvicina, cum ipsi non sentiant, vel quia in ipsis est objectum seu causa quæ sentitur ab alia parte: sed circa explicationem hujus symptomatis, causalisque ejusdem immorandum non est, cum jam sint dictæ.

Adverte etiam oportet dentes valde partatos esse ad fluxiones, nam quilibet eorum cum osse maxilla facit veluti quedam articulum cui non alligantur ossa ligamentis durioribus, veluti in aliis articulis, sed nervulis, quos juxta Gal. sententiam recipiunt per radices qui valde sentientes sunt. Similiter per radices, venas & arterias recipiunt, nam ob firmitudinem oportuit dentibus alimentum communicari. Tempora autem consensum cum dentibus habent, & sic solent condolere, quod haber fundamentum & causam in ea portione nervorum tertiae conjugationis quæ exit ex calvaria, & illa coarticulantur mandibulae, quæ distribuitur in tempora & radices dentium, indeque compassio prædictarum partium procedit.

Præterea inter ea quæ dolorem excitare solent poni solet dentitio, idest exitus dentium extra gingivas ob quam causam inter morbos puerorum nominatur, ut Hippocr. 3. aphor. text. 25. licet eorum augmentum sit secundum naturam; potest enim in alia parte morbum causare, & dolorem excitare: verba sunt hæc: *In progressu vero cum jam dentire incipiunt gingivarum prurigines, febres, & convulsiones, alvi profluvia.* Adverte etiam oportet esse maximam communionem inter dentes & aures ob nervos quintæ conjugationis à cerebro descendentes, quapropter in curatione doloris dentium in consuetudine est positum medicamenta auribus instillare, & ob eandem communionem sèpè fit permutatio affectionis dentium in aurium affectiones, ut insinuat Hipp. 5. epidem. text. 41.

Cæterum ex morbis quos dentes patiuntur qui pertinent ad distemperiem & tumores præternaturam, necnon ad solutionem unitatis, non habent aliiquid peculiare quod indigeat in præsenti animadversione.

De inflammatione seu tumore dentium, licet aliqui fuere qui affirment eam pati posse quando sit per congestionem alicujus recreamenti devenientis ad nutritionem, non verò per fluxionem, ita ut à vasis magnis in exiguo fiat delatio, & ab his in porositate;

nam hoc ossibus repugnare dicunt. Tamen ad naturam tumoris seu inflammationis parum referre judico ab hac aut illa causa fieri, ac proinde existimo quod dentes non possunt veram pati inflammationem; nam hæc à Gal. dicitur tumor cum rubore, dolore, & renitentia: sed ossa non sentiunt, neque dentes; ergo in his non potest fieri dolor ac per consequens, neque inflammatione, & sic quando inflammari docet Galen. non verè, sed per similitudinem è quod præter dolorem cætera alia possunt reperiri.

Deinde dentes ex corrosione possunt pati perforationem quæ morbum in soluta unitate facit & in cavitate vitiata in quantum caritas fit ubi non debebat esse; fit autem hujusmodi corrosio ex humiditate, vel humore ibi putrefacto qui dentem valet putrefacere; vel ex eo quod humor qualitatem acrem & mordacem adquirat, non ita ut istæ qualitates valeant producere sui similes, sed ex eo quod prædictæ substantiæ tenuitate partium corrodere valent, è quod penetrant & excavant si non putrefiant, aut urant, quæ actio productione primarum qualitatum prius fieri debet.

Nec mitum est dentes posse putrefieri, & non ubi ab igne, eti tantæ activitatis sit; nam potest esse resistentia major in aliquo passo respectu unius agentis potentioris, quam respectu alterius minus efficacis, dummodò affectus sint dissimiles natura; certum enim est os, aut testam, faciliter frangi quam comburi ab igne, & dentes communis facilius quam putrefieri, non ergo est mirum ignem comburent dentem non posse, quia huic affectui maximè resistit, bene tamen putrefieri, aut corodi, quia minorem habet resistentiam respectu hujus affectus.

Sed quæres quæ sit causa ut incipiente corrosione in dentibus non sit dolor, & postea ulterius progrediente sit dolor, & tandem majori existente cesseret dolor.

Respondeatur primò corruptionem non tangere nervum in quo inseritur dens, & sic cum non sit tensus, non est dolor; dum ulterius progreditur accedit ad nervum, & sic dolorem causat, cum sit pars valde sentiens: at dum corruptio magis procedit, solet cessare dolor, quia facto majori orificio humor qui fluit expurgatur optimè, & non detinetur, & sic neque molestum sensum causat.

Diminutio dentis potest contingere, vel à principio generationis, vitio virtutis formaticis, aut defectu materiæ, vel quia detrahitur portio ejus; in quo cum enim evenit est morbus in quantitate diminuta; si vero totaliter deficiat dens, morbus est in numero diminuto, & actio vitiata procedit in masticatione, quod autem multoties dens non adquirat eandem magnitudinem ac ille qui deficiens est, procedit ex debilitate facultatis, sicut non crescere quando abscessus est ex debilitate ipsius procedit. Morbus huic oppositus est in quantitate aucta, dente existente majori, & à principio generationis potest ori, ratione cuius vitium etiam in masticatione regatur.

Stridor dentium nihil est quam motus convulsivus factus à musculis maxillam moventibus

tibus irritatis, seu molestatis, quod symptomum est facultatis motivae animalis, rigorose tamen affectus dentium non est, dicitur tamen talis quia ad motum illum sequitur sonus in dentibus qui sentitur, à quo sumit denominationem.

prædictarum partium, in qua sunt aliqua accidentia quæ non sunt in aliis, ut dolor & color partis.

## CAPUT II.

## De speciebus Anginæ.

## DISPUTATIO XXXV.

## De Angina.

## CAPUT PRIMUM.

## Quænam sit essentia Anginæ.

**A**NGINA si nominis etymologiam sequamur, ab agendo seu suffocando dicitur, qui morbus peracutus est. Est tamen du- bium sub quo genere morbo- rum comprehendatur. Circa quod aliquibus placuit esse, vel consistere in inflammatione; sed cùm constet ex omnibus Medicis esse quandam anginam ex luxatione vertebrarum colli quæ in inflammatione non consistit, videtur falsa prædicta opinio. Ad quod satis- facere conantur dicendo esse prædictam anginam nostram, seu per consensum, non legiti- mam. Contra quod stat validum argu- mentum; nam in ea sunt signa omnia patho- gnomonica anginæ: ergo à qualibet causa nascatur, vera erit angina legitima.

Dicendum tamen nobis est morbum imme- diatum sub quo angina continetur, esse vi- tum cavitatis gutturis consistentis in angus- tia ejus, sive talis angustia fiat tanquam à causa seu morbo mediato ab inflammatione, sive à luxatione vertebrarum colli, semper tamen est verum vitium in cavitate diminuta esse in anginosis, ob quod eis imminet suffocationis periculum, definitur tamen fre- quenter per inflammationem, quia ab ea fre- quenter contingit.

Sed examinare oportet an debeat dici vera angina ea quæ fit ex luxatione vertebrarum colli; siquidem in ea omnia symptomata vi- dentur repertiri, scilicet difficultas respirandi à qua suffocatio imminet, quæ etiam advenire potest ob alias plures causas à Gal. enumera- tas, scilicet ab humore impedito in- gressum aëris, vel à spasmo seu convulsione musculorum gutturis, & à pluribus aliis, qui- bus videtur omnia hæc anginas dici debere.

Sed si doctrinæ & communi Medicorum consensui stemus, dicere debemus solùm consuevere nominari anginam eam quæ fit suffocatione eveniente propter inflammatio- nem partium gutturis, ita ut non quamlibet angustiam ex qua eadem symptomata eveniunt dicatur angina, sed quæ vi inflamma- tionis prædictarum partium evenit, ac proin- dè solùm ob similitudinem ad hanc dicitur angina ab illa quæ ex luxatione procedit, cu- jus non est ulla ratio, sed solum hominum placitum qui voluerunt vocare anginam il- lam suffocationem quæ fit ex inflammatione

luris species anginæ Autores nu- merare solent, nam quando ex diverso humore diversas constituunt species, ita di- versa species anginæ constituantur quando hu- mor pituitosus à capite in fauces descendit, quod tempore hiemis & veris frequenter so- let contingere; ab illa scilicet quod humor calidus & biliosus fluit in prædictam partem, quod frequenter estate & autumno solet con- tingere, cur autem ex aliis duobus humoribus, alia duæ species non constituantur, di- cemus postea.

Alio modo videmus dividì anginam ab Hipp. in tria membra, quæ divisio ex magnitudine periculi venit desumenda. Prima spe- cies est in qua celerrimus interitus evenit, ea scilicet in qua nihil conspicuum appetat in faucibus, aut in ore, attamen in ea est vche- mens dolor & ortophnæa, idest recta respiratio, meritò verò hæc pericolosissima est, ed quod sit in ea magna angustia, quod dixit Hipp. lib. 1. prorrhe. text. 14. *Fauces dolentes absque humore cum implaciditate strangulantes, supra modum pernicioſa.* Quia cùm nihil in ip- sa appareat, existimare oportet intra gutturus corpora inflammationem adesse, ratione cuius strangulantur. Secunda verò species est quan- do dolor similis est alteri speciei dictæ, non tamen tanta est difficultas respirandi, ut co- gat ægrum rectâ cervice respirare, sicut in prima, quia non est tanta angustia & inflam- matio in musculis gutturis, est tamen inflam- matio & rubor in faucibus, quæ quidem spe- cies exitialis est, et si paulò longior ac præce- dens, utpote in ea est magna respirandi dif- ficultas. Tandem tertia species est quæ caret magno dolore & difficultate respirandi cum inflamatione faicum, & cervicis, gutture nequaquam patiente quæ minus periculosa est, cùm symptomata minoris sint momenti.

Alia divisio communiter solet afferri ra- tione partis affectæ in quatuor membra; nam si inflammetur guttus (quod est asperæ arteriæ pars summa constans tribus cartilaginibus) secundum musculos internos dicitur Synanches; si secundum externos musculos dicitur paracynanches: Si autem fauces in- flammentur secundum duplarem partem, ex- ternam scilicet & internam, duplarem aliam speciem constituunt, ita ut inflamatio in- terna earum dicatur Synâches; extra verò pa- racynâches, dicuntur fauces pars illa quæ me- diat inter orificium gulæ & asperæ arteriæ.

Aliam speciem assignavit Aretheus quæ non est angina vera, sed solùm suffocatio quæ ab eo explicatur per mutationem spiritus in calidissimum & sicciſſimum, quod potest eve- niere à causa externa vi vaporis venenosi, vel aëris, & melius si habeat qualitatem adstrin- gentem, etiam à causa interna potest fieri,

non solum quando venenum in corpore generatur, quod suffocationem pariat, sed mutatione spiritus in calidissimam & siccissimam naturam, propter quem usum tanta sit necessitas respirationis, ut non sufficiat, sed brevi tempore suffocationem homo patiatur; videmus tamen hoc non reperiiri in febre ardentissima, etiam si nimis calefacit cor, non est tamen præter rationem mente concipere majorem indigentiam & necessitatem respirandi cuius defectu suffocetur animal, sed melius videtur si dicamus contingere quia aëris qui debet ventilare corrumpitur ab humore intus existente, vel à maligna qualitate simul cum calore, quæ non necessariò reperiuntur in febre quantumvis ardente.

## CAPVT III.

## Quæ pars afficiatur in Angina.

**S**A T I S commune & certum in hac re est, partem affectam in angina esse guttur, & fauces quarum inflammatio ab omnibus angina dicitur, quia cum quælibet illarum symptomata pathognomonica reperiuntur; sed cum suffocatio quæ præcipuum signum est, nullà existente affectione in pulmone, inveniatur, signum est ullatenus esse affectionem pulmonis, ut aliqui sine fundamento volvæ. Neque ad id facit esse aliquam speciem anginæ in qua nihil appetet, quantumvis lingua comprimitur, id est non appetet tumor: Ex hoc tamen non colligitur affectum esse pulmonem, sed partem profundiorem laryngis esse inflamatam, quæ cum profunda sit, ad visum non patet. Rursus licet in anginæ speciebus ardor sentiatur in pulmone, non proinde patitur, & pars affecta vocari potest, quia ibi non existit inflammatio. Sed hac existente in faucibus vel gutture, non fit attemperatio pro necessitate usus, cum impedita sit cavitas, per quam ingredi deberet, ac proinde à fuliginibus ibi detentis, sit ardor in pulmone. Neque sanguinis missio ex venis mammarum intentum probat, quia cum propter suffocationem calescant istæ partes, detractione sanguinis refrigerabuntur, & periculum suffocationis minus imminabit, solum ergo prædictæ partes afficiuntur.

## CAPVT IV.

## De causis &amp; signis Anginæ.

**M**ISSIS causis externis à quibus hoc malum potest excitari, de quibus non est opus in dubitationem trahere, de causis internis dicimus ab omnibus humoribus fieri posse anginam. Et de sanguine certum est, de bile etiam constat, cum in faucibus & gutture possit fieri erysipelas, quod licet non elevet partem in magna quantitate, tamen

eo existente non ita proportionatè & comodiè fit attemperatio per respirationem ac debetur, & sic timenda est suffocatio; reliqui etiam humores, et si frigidi sint, non est cur non faciant tumorem in faucibus, aut gutture quæ pars affecta dicitur, & ex alia parte anxietas & incendium potest excitari, eò quod non fiat debita ventilatio ratione tumoris, & sic fuliginibus detentis potest incendium excitari, quamvis non putrescent humores frigidi, inflammationem, seu tumorem causantes.

Sed dices: Angina est morbus acutus: sed si fiat ex pituita, non fit acutus; siquidem ejus motus non erit velox, neque accidentia & mala citè apparet; ergo Angina non fit ex pituita.

Respondeatur ex tali causa talem morbum non dici acutum, nam aliquando in quatuor dies prolongatur, anginam verò tunc esse acutum cum exquisita est, & à calido humore oritur; quæ verò angina ex pituita fit, dicitur à Fernelio notha; hæc autem febris est expers, & sine rubore & ardore fit, per destillationem pituitosi humoris in fauces, vel in cervicis musculos.

Circa signa manifestantia talem affectum dicimus esse difficultatem respirandi, & deglutiendi difficultatem non ita, tamen ut ambo in qualibet angina necessariò reperiatur, sed unum aut alterum, & multoties, immo frequenter utrumque simul juxta diversitatem partis affectæ, quæ ratione Hippocr. lib. 6. de morb. vulgarib. part. 7. text. 1. docuit esse quandam anginæ speciem in qua solum æger deglutire non poterat, quod explicans Vallesius, dixit, idest qui non aliter quam in deglutitione noxam sentiebant, eò quod apostema erat malignum, & in postrema lacerti parte erat, & sic cum eo non erat constrictio anhelitus, nisi cum deglutitio erat.

De dolore an necessariò in qualibet angina reperiatur, facilis est solutio; nam cum ab omnibus humoribus fieri haetenus dictum sit, si fit ex pituita & melancholia, non erit dolor, cum experientia constet omnes tumores ab his humoribus factos dolore carere: ergo etiam si tumor sit in faucibus, aut larynge, erit ejusdem naturæ. Quando vero Autores dolorem esse necessariò docent, de angina exquisita veniunt intelligendi, quæ ab humore fit calido: de febre vero jam diximus aliquam posse esse anginæ speciem, licet notham, in qua non sit.

Circa difficultatem deglutiendi est quod dicamus cum ægroti res liquidas difficilius deglutiunt, quam solidas; & dicimus ex eo esse, quia necessaria est major compressio ad res liquidas deglutiendas quam ad solidas, ob quod salivam non possunt deglutire, res vero solidas sic. Cum autem major compressio sit difficilior ratione inflammationis, hinc constat facilius deglutire res solidas ægrum. Sed hoc omnino certum non appetet; siquidem in omnibus non est verum; nam contingit aliquos melius deglutire res solidas, aliquos vero melius res liquidas. Causam ergo hujus querimus, & dicimus ratione partis affectæ id fieri: nam si musculi laryngis afficiantur, res solidæ difficilius transglutinentur,


tur, eo quod ad harum transglutitionem necessarius est motus sursum laryngis & linguæ cibum impellentis jugulum, & sic larynx affecto difficilis fit rei solidæ transglutitio; dum verò radix linguæ magis patitur, deterius potum deglutimus, eo quod ejus transglutitio, potus scilicet, magis fit per motum linguæ, seipsum intra deprimendo, quam per motum laryngis, & sic linguæ radice labente deterius res liquidas deglutimus: ad omnia tamen deglutienda motus gulæ æquè est necessarius.

Sed quod restat examinandum, quæ ratione fit ut in quadam angina periculosissima orthophneea dicta, agri melius erecta cervice respirent, ita ut cogantur erecta cervice respirare. Cujus rationem dedit Gal, nam si tales jaceant supini, meatus gutturis clauditur magis, collo thoracique secundum anteriores vertebrae concidente supra dorsum & cervicem; si verò erectus sit, meatus magis patet, per quem aëris ingrediatur, & sic oportet erectâ cervice ægrum jacere, ut respiratio fiat melius.



## DISPV TATIO XXXVI.

### *De vocis natura.*



### CAPUT UNICUM.

*Quid sit vox; quot sint ejus instrumenta & modus lesionis.*

 T à definitione incipiamus, *Vox* est ictus aëri (apud Aristotelem 2. anim. cap. 9.) respiratione attracti, que quidem ab anima fit ea quæ in his partibus collocatur, ad eam que gurgilio appellatur, cum imaginatione aliquid significandi. Ubi intellige vocem formaliter, non esse ictum aëris, sed causari sonum ex ictu aëris attracti per respirationem; qui quidem aëris ad duo deserbit, primum ad attemperationem caloris nativi ipsius cordis, secundum verò ut esset materia vocis, eisque deserviret: fit etiam ab anima, quia hæc mediæ imaginatione, & appetitu movet instrumenta ad attrahendum aërem inspiratione, debet etiam esse cum imaginatione aliquid significandi; non quia oporteat omnem vocem esse significativam rei, sed quia est ostensiva conceptus animi, in eam partem quæ gurgilio appellatur. Ubi adverte quod hæc pars non est simpliciter necessaria, quia plures sine gurgulione emittunt vocem, eo quod percussio non fit in eis, sed in cartilagine: solum ergo conductit ut melius formetur vox. Ex quo patet causam efficientem vocis esse facultatem animalm mediæ cognitione operantem & mediis musculis tanquam instrumentis, ita ut sit in nostra potestate eam emittere vel non emittere.

Sed adverte materiam vocis esse aërem respiratione mediæ attractum, non secundum


*Henriquz Lanrea Medica Tom. III.*

quod respiratione trahitur, sed in quantum ille qui pellitur, detinetur ad verberationem & articulationem faciendam; ex quo differt à tussi, quia hæc fit solum expiratione aëris. Denique advertere oportet, laryngem, esse partem organicam præstantem usum ad vocem. Partem verò similarem elicivam esse ligulam quandam cum qua habet similitudinem linguæ, quæ est in fistula artificiali: cuius natura describit Gal. 7. de usu part. cap. 17. Nervos etiam esse necessarios ad vocem formandam certum est, cum mediis illis virtus ad motum musculis communicetur; illi verò sunt qui recurrentes nominantur, & inseruntur in musculis laryngis & similiter qui in musculos thoracis inseruntur necessarij sunt, sicut & ipsum pulmonem ad id facere experientia manifestat: nam qui eo carent, neque respirant, neque vocem emittunt. Linguam verò est necessaria solum ad vocem dearticulatam, non verò ad vocem seu sonum quæ sine articulatione fit.



## DISPV TATIO XXXVII.

### *De his quæ spectant ad respirationem.*



### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit respiration, & à qua facultate fiat, voluntaria, an naturali.*

 E SPI R A T I O sic communiter definiri solet, Est actio ex dilatatione & compressione thoraci, quibus trahitur aëris, expelluntur fuligines, à facultate secundum naturam operante ad refrigerationem caloris & generando spiritus. Sed quod difficultatem habet à qua facultate fiat, an à naturali, an verò ab ea quæ est subiecta voluntati in sua operatione, hoc est an fiat à facultate animali. Ad quod supponere oportet voluntarium sumi dupliciter, primum prout procedit à voluntate quæ potentia spiritualis est, vel liberè, vel necessariò, de quo voluntario non est nostra disceptatio, cum in brutis inveniatur respiration, & non voluntas. Secundo modo sumitur voluntarium pro spontaneo, sic definito à S. Thoma cuius principium est intra, cum additione scientiæ. Arist. verò sit cuius principium est in ipso agente scientie singula; de hoc verò voluntario procedit quæstio, an scilicet respiration fiat actio spontanea, an verò merè naturalis.

Circa quod non defuere qui merè naturali actionem esse voluere, eo quod in dormientibus fit, & quia tussis est respiration vehementis, & tamen non est voluntaria, cum positâ causâ molestante, eam cohibere non possimus. Et confirmatur ex eo quod in actionibus voluntariis contingit lassitudine si nimio fiat usu, ut constat in motu progressivo, sed toto vita tempore non contingit in respiratione desfatigatio: ergo.

Alij dixerunt actionem esse mixtam voluntariam & naturalem, illam quatenus sit mediis musculis, hanc quatenus musculi constant venis, nervis, & arteriis, & mediis ictis cor communicat virtutem ad motum, & ex hac parte naturalis dicitur. Alij dixerunt esse animalem ratione instrumentorum, naturalem vero ex parte finis cogentis talem motum fieri. non certa mensura, ordine & tempore, quod in actionibus omnino voluntariis non invenitur; siquidem pro libertate efficiuntur in quolibet tempore & occasione. Alij voluerent esse voluntarium ratione muscularum movementum thoracem; naturalem verò propter motum ipsius pulmonis; nam iste cum non habeat musculos, naturaliter movetur, & quia talis motus originem dicit à corde.

Sed advertere oportet in praesenti dubium non esse de fine respirationis: nam hunc esse naturalem seu à natura impositum, nemo hucusque dubitavit. Dubium ergo solùm procedit de facultate quæ concurret ad hanc actionem, an sit metè naturalis, an animalis seu voluntaria. Rursus noto motum thoracis à corde non dimanare eò quod dum dilatatur thorax, septies dicat Gal. dilatari cor, & quia experientia constat, ut ipse testatur, quod si denudetur cor & manu comprimatur, animal non privatur neque voce, neque respiratione; & idem contingit si arteria quæ in thoracem inseruntur ligentur. Ex quo constat talem motum à corde non dimanare & sic calor influes sit necessarius tanquam communè principium vel comprincipium ad omnes actiones. Constat deinde, quia in actionibus merè naturalibus nulla est defatigatio, neq; remissio ratione divergentiae animæ, neque negligentia. Secùs verò in animalibus & voluntariis: sed constat actiones cordis & arteriarum non fieri diverso modo, ex eo quod mens sit occupata & distraeta circa aliud objectum, respirationem verò negligenter fieri, ut *disp. de phrenitide* satis probavimus: ergo ejus actio voluntaria, & non naturalis est; siquidem advertentiam requirit, ut debito fiat modo.

Dicimus tertid motum thoracis non esse compositum ex voluntario & naturali, eò quod motus compositus sit dupli genere instrumentorum; ut constat in expulsione urinæ, & ventris inferioris exoneratione, sit enim fibras transversis & musculis abdominis, sed in respiratione seu motu thoracis nullæ apparèt fibræ, sed solùm musculi, ergo solùm sit uno genere instrumentorum, ac per consequens actio non est mixta: sed licet hoc sit verum, non videtur optimè probare argumentū, nam motus localis necessariò non petit fibras, ut in cerebri motu constat, atq; adeò potest quis respondere motu thoracis fieri etiam à facultate insita naturali sine fibris, & sine cognitione operante. Neq; contra hoc aliquid valet dicere quod cessante cognitione & appetitu, aut renuente voluntate, cessat actio, quod si esset alia facultas naturalis, no fieret: nō inquit valeret; nā quando duo se habent ut causæ partiales respectu alicujus effectus, qualibet cessante, cessat totus effectus, ac per consequens nihil probat argumentū; & sic licet non probeatur motum non esse naturalem ex parte, quia

non sit mediis fibris, alia ex parte potest corroborari tertia nostra conclusio: nam quoties aliqua est causa partialis alicujus effectus, ei debet aliquid correspondere in effectu, alias sine necessitate multiplicantur: sed in motu thoracis nihil est quod possit tribui causæ operanti naturaliter; præterea quia si talis facultas naturalis concurrit, cā ablata cessaret talis motus thoracis quod nunquam contingit, imò quavis ratione se habeat, si ad eam se habeant bene, sine ulla fit læsione: ergo.

Dicimus quartid respirationem esse actionem voluntariam solùm, quod testatur Gal. lib. de motu muscularum cap. 5. ubi affirmat nullo alio modo cognosci actionem esse voluntariam quam ex eo quod possit retardari, citius, crebrius, aut ratius fieri, quod totum in respiratione invenitur. Et confirmavit cap. 6. citati lib. historiā illius barbari qui cum vehementi ira esset concitatus, humi prostratus cohibita respiratione se interfecit; ergo est in nostra potest, ac proinde voluntaria. Quod confirmatur ex eo quod sit mediis musculis qui instrumenta voluntarij motus dicuntur. Neque valet dicere hac ratione solùm probati in nobis solùm esse voluntariam & liberam, secùs in brutis in quibus non est libertas; nam solùm voluntas habet locū & dominium super actiones spontaneas, & non super alias, & sic ex eo quod in nobis cohiberi possit, inferimus esse omnino spontaneam & animalem quod solùm de brutis affirmamus; nam cum in illis non sit voluntas & liberū arbitrium, non potest cohiberi respiratio, ad hoc autē ut aliqua actio sit in nobis voluntaria & libera, nō requiritur quod præcedat deliberatio, & consilium, ut fiat, sed satis est voluntatem non renuere, ac per consequens actus positivus voluntatis non requiritur, ut constat in motu progressivo qui omnino voluntarius est, & tamen sufficit ad ejus elicientiam voluntatem non renuere.

Sed dices contra Gal. conclusionem: si respiratio est actio voluntaria, fieri nequit ut ea cohibita pereat vivens, sicut non perit ex eo quod aliae actiones voluntariae cohibeantur.

Respondeatur aliquas esse actiones liberas nulli deservientes ut deambulatio, locutio, alias verò esse voluntarias, deservientes tamen affectibus corporis, ut manducatio est actio libera, & tamen si per multum cohibeatur tempus, vivens perit, quia ad nutritionē deservit, sic respiratio ad attemperationem caloris nativi deservit, & sic solùm per parvum tempus sine noxa cohibetur. Neque contra nos facit quod dicūt, scilicet quod si intenti sumus circa aliud objectum, respiramus; ergo sine cognitione aut sensatione præcedenti sit, facile namq; respondeatur: nam quando valde magna est diversio, nō fit respiratio, ut contingit in phreniticis usquedum finis crescit, & objectum, vel finis respirationis valde instat, & cognitione est; quando plura facimus, respiramus etiam simul, quia non deficit omnino cognitione pro respiratione, quæ ita velox est, ut videatur multoties non præcedere.

Deinde contra nostram conclusionem efficaciter insurgo, nam respiratione est actio voluntaria quæ non solùm prærequisit actionem internam,

# Resolution.Theoric Disp XXXVII. 497

internam, sed externam tactus sensationem, eò quod licet species possint conservari in imaginatione & memoria quae valeant ad similem actum excitare sternum ad respirationem, vel motum thoracis scilicet, tamen quia respiratio non sit quovis modo homo velit, sed secundum exigentiam & necessitatē illius, ita ut modò fiat dilatatio, modò constrictio, modò cum tanta crebritate aut celeritate, oportuit interiorem potentiam determinari à sensatione tactus à partibus noxam recipientibus, quā præcedente juxta necessitatem auxiliij, potentiae interiores subministrant species, & movent appetitum ad respirationē eliciendam: quod non eodem modo in pulsu contingit, licet ejus motus eodem ordine fiunt, quia à fine extrinseco sufficienter facultas pulstifica determinatur cùm sine cognitione operatur, facultas verò respirandi cùm præcedente cognitione necessariò operetur, non potest determinari ad hunc, vel illum motum sine ilia. Quo prænotato sic consilio argumentum: usus respirationis non solum est attemperatio caloris, sed spirituum regeneratio, ita ut deficiētibus his, crescat secundum magnitudinē, & alias differentias, si opus fuerit; sed tunc per tactū nihil est quod percipiatur, cùm defectus spirituū sit quid privativum quod à tactu imperceptibile est; ergo, similiter quando multitudo spirituum est, etiam respiratio mutatur in tardam & raram, sed tunc nihil etiam sentitur per tactum; nam multitudo adveniens ab interna potentia non potest sentiri.

Huic dubio posset quis respondere, quod in excessa spirituum non sentitur ipse excessus, sed calor major qui producitur per talem excessum; tamen contra sic insurgo; nam si tunc calor sentitur in respiratione, debent esse differentiae quae calorem auctum comitentur quae sunt magnitudo, celeritas, & crebritas; constat verò esse raritatem, parvitatem, & tarditatem: ergo in tali excessu non sentitur calor spirituum. Neque in defectu spirituum potest sentiri defatigatio, seu debilitas; nam hæc potius ad parvitatem pulsus conductit quā ad magnitudinem; constat autem in defectu spirituū pulsus esse magnum; ergo quod sentitur non est debilitas: neq; frigiditas potest sentiri; nam parvus esset pulsus, ratione usus diminuti; sed experientia constat esse pulsus magnum; ergo nihil est quod sentiri possit per tactum, ac per consequens videtur non esse actionem voluntariam.

Noster Petr. Garc. affirmat circa solutionem hujus argumenti, neque sentiri spirituū abundantiam, neq; defectum; sed aliquid conjunctū cum illis, nempè cum per calorem resolvantur spiritus in exercitio v.g. non sentitur ipse defectus, sed calor ipse qui defectum comitantur; at dum restaurantur, jam cessat sensatio illius objecti. Sed dices non solum deficiunt spiritus ex vi exercitij, sed in magna evacuatione, sed tunc non est calor qui sentiatur, neque aliquid aliud, ergo concedit Petr. Garcia aliquid conjunctū sentiri debere, sed non explicat quid sit.


Ad rationes primò positas dicimus inter dormiendum partes non omnino privari influxu à cerebro, sed aliquem communicari sufficientem pro motu, quod constat ex pluribus

quæ agunt dormientes, ut ambulare; quā etiam ratione dicimus respirationē adesse in apoplectis. Sed hæc solutio difficultis mihi videtur, quia in apoplectis, aut in aliis sensu privatissimis non potest sentiri objectum hoc excitans ad respirationem; ergo. Antecedens probatur: nā sequeretur etiam sentiri causam dolorificam, quod est falsum: sequela patet, nā potentia eodem modo se habente melius debet sentire & irritari à causa intensiori quā à remissori; sed ponamus adesse causam dolorificam valde intensiore, quā ea quae ad respirationem excitat, quod evidenter probatur: nam id quod ad respirationem excitat, calor est, ut asserit Author fol. 610. sed licet accedat ignis apoplectico, non sentit, ergo neq; sentit calorem alium. Quod argumentum tantam mihi ingerit difficultatem ut existimem hac ratione oppositū probari, sed cùm ratio Gal. etiā magnam vim habeat, existimo id quod verum mihi videtur, quod sic se habet.

Pro quo notandum est id quod in Philosophia verum est, scilicet motui naturali posse accidere esse præternaturam, & è contraria: exemplum primi constat in lapide descendente deorsum, & in medio itineris impulsu, vel à magna mole, vel ab aliqua alia causa, ita ut ve lociori motu moveatur quā natura sua postulabat, tunc motus ille violentus est saltim ex parte modi. Exemplum secundi sit in aqua ascendentē sursū ad vitandum vacuum, tunc motus ille in veriori opinione naturalis est, quia in bonū commune quod magis naturalis est quā propriū, ecce quomodo motu violento accidat naturalis. Ex quo sic possemus dicere ut Gal. mens defendatur, nempè respirationem esse actionem voluntariam ut plurimum, cui potest accidere quod sit actio naturalis, ob aliquam causam impedientem cognitionē, & sic in apoplectis, quia deficit sensatio est impedimentū cognitionis, & tunc nō est voluntaria.

Ad secundum dicimus tussim etiam esse voluntariam seu spontaneam, siueque mediis musculis, & licet non sit vox, quia non est cum imaginatione aliquid significandi, est tamen cum actu imaginationis moventis.

Ad ultimum dicimus nō contingere in motu thoracis lassitudinē ita frequenter sicut in motu progressivo; nam cùm hic sit totius corporis in quo plures consumuntur spiritus, nihil mirum contingere passim, secus verò in thorace seu motu cuiuslibet membra, id sufficit aliquando posse contingere. In calce tamen hujus capitatis, notate oportet venas & arterias non esse partes componentes musculum, sed solum carnem & fibras, qui verò vas ad musculos pertingunt veluti rivi quidam sunt, qui non substantiam complent, sed eis subministrant, ut in vita permaneant, ex Gal. lib. art. med. cap. 50.



## C A P V T II.

A quo efficienti moveatur pulmo in respiratione.

**N**ON defuere qui existimarent thoracem non moveri ex se, sed ad motum pulmonis, hunc autem moveri à corde; sed in

hac re dico primò thoracem moveri motu proprio & voluntario, nam non moveri ad motum pulmonis constat, ex eo quod haberet musculos proprios, sed si à se non moveretur, ad nihil essent necessarij: ergo. Et confirmatur, nam musculis abscissis cessat thoracis motus; sed si ad motum pulmonis moveatur, non cessaret, vel si partialiter ab eo fieret; non omnino cessaret; constat autem experientia cessare, ergo.

Dicimus secundò, pulmonem non moveri motu voluntario, quianò habet musculos quos diximus esse instrumenta motus voluntarij.

Dicimus tertio, pulmonem moveri moto priùs thorace, & ad hujus motum; non quidem per alligationem, idest quia pulmo sit alligatus thoraci, ac proindè moveatur sicut moveretur lapis alligatus brachio dum brachium movetur: sed pulmo movetur ad motum thoracis, quia priùs requiritur quod thorax moveatur, ut successione ejus quod evacuat, pulmo moveatur, hoc est ad replendum vacuum: à quo verò moveatur difficultas est quæ coincidit cum philosophica difficultate, scilicet quando aliquod corpus ad replendum vacuum movetur, à quo moveatur. Et cum communī opinione dicimus moveri à virtute corporis quod discedit; itaque quantitas habet vim à natura propria ut trahat corpus sibi contiguum nē detur vacuum; sic ergo dilatato thorace movetur pulmo ab illo, vel ab alio corpore contiguo quod deserit locum, in compressione verò movetur pulmo quia thorax comprimit & pellit illum à loco in quo est.

Quod autem pulmo moveatur dicto modo probatur: nam perforato thorace, ita ut per vulnus ingrediatur aér, cessat motus pulmonis, ergo movetur à thorace gratiā vitandi vacuum.

Respondet Averroës negando consequentiam, quia potest cessare motus pulmonis quia refrigeratur frigidò aëre ingrediente per vulnus, ob quod, etiamsi haberet propriam virtutem motivam, non operaretur cessante fine; tamen contra est, quia statim quod thorax tale vulnus patitur, cessat pulmo à motu, & quamvis longo tempore maneat aëris ingressus, (quo potuit sufficienter refrigerari,) statim quod clauditur digito, aut quovis alio corpore, incipit moveri pulmo, sed tam citò non potest cessare frigus; ergo signum est moveri ratione vitandi vacuum. Confirmatur præcipua ratio, nam sectis musculis, vel nervis qui inseruntur in musculos thoracis, cessat hæc pars à motu, & similiter pulmo: ergo iste ad motum illius movetur.

### CAPUT III.

*An respiratio fiat solo motu septi transversi.*

**G**OMMUNIS satis Medicorum sententia est, septum transversum esse solum instrumentum respirationis naturalis quolibet alio secluso musculo, vel instrumento: sed hæc solum deservire quomodoque præternaturam & ordinem naturalem re-

spiremus. Quod non caret difficultate: nam in respiratione duplex invenitur motus, alius qui dicitur inspiratio quo dilatatur pulmo, alius qui dicitur expiratio, quo comprimitur. Ex his verò motionibus, licet possit intelligi inspirationem fieri solius septi motu, non tamen expiratio, nam quilibet musculus solum unum habet motum, nempe contractionem, ita ut quando debet laxari ex contractione oppositi procedit, ut patet in motu brachij; sed septum transversum non habet musculum oppositum, ex cuius contractione possit laxari, ergo non potest concurrere ad naturalem expirationem, & consequenter non erit voluntaria, quia nullo fit musculo ex cuius contractione septum laxetur. Sed posset aliquis respondere verum esse quod probat argumentum, ac per consequens expirationem neque à facultate fieri, nec medio musculo, sed sola de cidentia à gravitate ipsius musculi tanquam ab efficienti; quod autem septum cesseret à tensione, est causa per accidens veluti remorū prohibentis.


Sed contra hanc doctrinam est non leve argumentum, quia gravitas motet corpus cuius est, deorsum ex propria natura: sed compressio thoracis non est deorsum, ergo non fit à gravitate. Minor probatur, quia homine erecto existente, vel in qualibet positione, ita ut compressio fiat sursum, fit compressio thoracis: sed si à gravitate fieret, non fieret quando corpus est in ea positione ut compressio thoracis fiat sursum, ut contingit in positione quam vulgus vocat *boca avaxo*: ergo non fit à gravitate, quo eodem arguento probatur contra Valles. neque talem motum compressionis juvari à gravitate etiā talis motus est deorsum, etiam contra Valles. constat non esse cur juvet gravitas usque ad naturale cayum, & non ulterius, cum gravitas semper in locū inferiorem faciat corpus inclinare. Præterea sequitur respirationem secundum utramque partem non esse spontaneā seu animalē actionem, quod est contra Gal. id expressè affirmantem seu absolutè & absque distinctione. Præterea etiam cum sit necessarium tanquam removens prohibens quod tensio septi auferatur & laxitas inducatur, ut expiratio fiat, videtur impossibile, cum ut dictum *suprà* est, non sit musculus contrarius cuius contractione laxet septum: ergo. Neque valet tensionem cessare à gravitate, quia imprimis hæc non sufficit, ut constat in aliis partibus: deinde quia si non fuit sufficiens ut impediret motus contrarius, neque erit sufficiens ut non conservetur terminus illius.

Quidam sunt arbitrii respirationem fieri per contractionem muscularum abdominis qui videntur habere aliquam cum septo oppositionem ad quorum contractionem laxatur septum, & expiratio fit: hoc tamen aper te contrariatur Gal. lib. de dissect. muscularum cap. 23. ubi affirmat abdominalis musculos non esse necessarios simpliciter ad expirationem naturalem, sic ait *Thoracis etiam contractioni, aliquid conducunt nonnunquam abdominalis musculi*; ergo sentit non esse simpliciter necessarios ad expirationis motum, cum dicat *nonnunquam aliquid conducere*.

Neque placet opinio afferentium aliquos musculos

musculos ex intercostalibus concurrere ad thoracis contractionem in expiratione naturali , ita ut compresso thorace laxetur semper septum ; non inquam hoc valet , sed potius Galenus contrarium voluisse constat ex 8.lib. de anatomicis administrationibus cap. 5. sic ait, *Secta spinali medullā, musculos intercostales dicit reddī immobiles, respirationem verò fieri solo septo; quippe hoc solo inquit quodvis animal in parvis respirationibus utitur: cum verò majoris respirationis usus subvenerit, aut exercitio, aut febre, aut vehementi aëris calore, aut alio quodam affectu digesto, necessitas est diaphragmatis functioni intercostales subvenire.*

Nobis tamen dicendum venit expirationem non fieri ex contractione alterius musculi oppositi septo , sed tam inspirationem quam expirationem ab ipso fieri septo , eò quod ipsè habeat plures & diversos motus contractionis juxta diversas fibras , quibus gaudet : & licet frequenter contingat ex Gal. musculos non habere nisi unicum fibrarum genus, tamen non tollit quo minus aliquos eas habeant , nam secundus musculus eorum qui scapulas movent , habet plures fibras ; siquidem movet illam sursū versus occiput , & deorsum ad octavam thoracis costam , & ad latus versus vertebrarum regionem , semper tamen unus motus est , illius nempè contratio , aliter minimè ; non ergo mirum est quod in septo diversæ inserantur fibræ , ratione quarum plures valet elicere contractionis motus , ita ut ratione unius fiat inspiratio , & ratione alterius expiratio eliciatur , taliter ut per contractionem unius partis fiat laxatio in altera absque ullo opposito musculo . Ex quo manifestum fit compressionem thoracis habere intensionem & remissionem , & non fieri à gravitate decidentiam faciente , ita ut sicut in motione non naturali compressio suscipit magis & minus , ita similiter in motione naturali , talis motus potest esse intensior & velocior in uno quam in alio juxta diversos fines instigantes diversos juxta diversam naturam repartam in hominibus diversis.



## C A P U T I V .

### *Quibus partibus constet respiratio.*

**U**A TU OR esse in respiratione partes sicut & in pulsu , compertum est apud Galenum pluribus in locis; nam in respiratione est duplex motus , alius qui dicitur inspiratio , alius verò qui expiratio nominatur ; est similiter duplex quies , altera externa , quæ terminus est motus dilatationis thoracis , altera interna quæ terminus compressionis ejusdem motus thoracis dicitur. Inter has verò hæc communiter solet assignari differentia quod motus sint partes per se & principales respirationis , quietis verò per accidens.

Hinc communis solet oriri difficultas , an scilicet quietes sint per se intentæ à facultate sicut & motus : sed quia dubitatio hæc ad

lib. de pulsibus spectat , in praesenti ab illa supersedere decrevimus , & solùm in praesenti aliqua ex his quæ communia sunt pulsui & respirationi attingam.

Dubitari ergo potest ex motu duplice in respiratione réperto quis sit prior dilatatio thoracis , an compressio. Circa quod Gentilis de Fuligineo affirmat priorem esse compressionem , ipsa dilatatione tam in corde quam in respiratione , eò quod in prima viventis productione vivens producitur quoad calorem temperatissimum , & sic non est opus refrigerio , ratione aëris dilatatione attracti ; si enim aër attraheretur & refrigeraret cor , sine dubio eum distemperabit , quod non est concedendum ; debet ergo compressio prior esse , quia calor intra terminum naturalem producit fuligines quæ debent & petunt expelli , quod idem contingit in respiratione : ergo tam in respiratione quam in pulsu motus compressionis prior erit.

Sed juxta sententiam nostri Petr. Garcie qui affirmat calorem febrilem ab interno principio cordis dimanare , ita ut causæ quas Medici recensent sint per accidens , oportet assertare dilatationem tam cordis quam thoracis esse priorem , eò quod talis calor sit in primo instanti in corde ante fuliginum quamlibet productionem. Modò ergo juxta Gal. opinionem solvere debemus difficultatem. Aliqui affirmarunt dilatationem esse priorem , eò quod in morientibus ultima est expiratio ; ergo dum incipiunt vivere , prior est inspiratio. Cui poterit aliquis respondere dicendo nihil probare : nam in morientibus motus ultimus compressionis non sit à facultate , sed à gravitate ipsius membra , & sic potius probari in morientibus ex motionibus à facultate factis ultimam esse dilatationem , seu inspirationem : nam compressio quæ postea subsequitur sit solùm à gravitate.

Sed possumus respondere primam rationem nonesse universaliter veram , sed debere intelligi in solis morientibus morte naturali , in quibus calor naturalis adeò remissus est , ut non indigeat refrigerio , sed solùm expulsio fuliginum magis instet ; in quo casu videtur esse verum compressionem esse ultimum motum. Sed licet hoc ita intellecto sit verum , nihilominus non convincit arguties : nam nullam dependentiam , neque connectionem habet ; non ergo bene sequitur in morientibus est ultima compressio , ergo incipientibus vivere est prima dilatatio.

Sed ut res melius absolvatur , nota nos in praesenti loqui juxta communem philosophiam dicentium naturalia corpora in primo instanti produci in statu naturali dispositionis qualitativæ , quia hæc debet produci à forma supposita materia sine aliquo accidenti existente in ipsa : nam si sequamur opinionem satis probabilem dicentium plura accidentia in materia prima subjectari , & eadem numero quæ fuerunt ante remanere post generationem novam , dubium non est posse produci vivens de novo cum aliqua qualitate contra naturam existente in materia cum quantitate propria ; cùm autem possit esse excedens calor , iste petit in principio cordis dilatationem , & sic in hoc casu erit prior.

Absolutè ergo loquendum videtur esse efficax argumentum ad probandum dilatationem esse priorem, dummodò vivens in instanti primo generationis cum omni dispositione qualitativa naturali supponatur, quia nulla causa excogitari potest propter quam à facultate formatrice cor, aut thorax producantur in situ & termino dilatationis, cùm non sit ita secundum naturam sicut habent illæ partes compressionem, ita enim situm magis naturalem quād dilatatae habent: ergo dilatatio necessariò erit prior, etiamsi priùs urgeat finis compressionis, quia compressio fieri nequit quin priùs thorax dilatetur.

Et hinc sit in morientibus non esse certum ordinem quoad motus respirationis; nam in aliquibus ultimus motus est expiratio, in aliis vero inspiratio, juxta diversitates finium qui prope mortem contingere possunt; nam alij moriuntur ob distempriem nimiam calidam, in quibus erit ultimus motus dilatatio. Alij ob suffocationem in quibus potest esse compressionem ultimus motus, eò quod dum comprimitur thorax, non possit ulterius dilatari, quia pro illo instanti tanta fuit fuligineum multitudo, ut interficere valuit.

Dices: cordis calor dum major est moderato, producitur à fuliginibus: ergo priùs est esse fuligines expulsionem petentes per compressionem, quād calorem attemperationem exposcentem per dilatationem, ac per consequens prior erit dilatione compressio.

Respondeatur concedendo antecedens & negando consequentiam: nam calor qui indiget refrigerio à minori copia fuliginum producit, quād sit copia fuliginum quae petit expulsionem per compressionem, & sic priùs erit dilatatio, quia fuligines quae valent producere calorem petentem refrigerium per dilatationem, non exposcent expulsionem per compressionem, usque dum sint in majori quantitate.

Quæri ultimò potest quæ ex quietibus quæ in respiratione reperiuntur sit major. Circa quod Vallesius dixit internam esse majorem, quia facultas vel pars magis quiescit. Quod videtur falsum, cùm dicamus in utraque quiete operari facultatem, ideoque nobis videtur dicendum non posse certam regulam assignari, sed illam quietem esse majorem cuius contrarius finis minus urgeat: hoc autem juxta diversas naturas compensari debet.

Circa quod Vesalius tenet tam internos quād externos solū deservire motui expirationis, inspirationem verò à solo septo fieri.

Contraria tamen sententia verior est, & expressa Galeni, nempè musculos externos thoracis deservire inspirationi, internos vero expirationi, quod præterquam quod est expressum in Galeno lib. 2. de motu muscularum, est etiam Avicen. fen. 1. lib. 1. doct. 5. cap. 16. & similiter ex Anatomia constat ex modo quo prædicti musculi inserantur sumpto argumento.

Rursus dubitari potest, an saltem in respiratione violenta, aut quavis alia quiescente septo transverso, solo motu intercostalium, possit contingere respiratio. Circa quod Vallesius partem negantem tuerit, quia existimat septum ad quamlibet respirationem esse instrumentum simpliciter necessarium, & sic licet possit dari respiratio solo septo agente sine muscularis intercostalibus, non tamen è contrà, quia solū illi sunt necessarij, cùm opus est flatu.

Nobis tamen dicendum vénit posse respirationem esse solis muscularis intercostalibus agentibus; nam si verum est ad maiorem respirationem conducere etiamsi septum quiescat, poterunt dilatationem & compressionem facere in thorace. Et confirmatur; nam omnes musculi moventur in nobis propriè & voluntariè; ergo similiter septum, ac proindè ejus motus poterit cessare nobis violentibus quantumvis thorax moyeatatur.

Dices id verum esse absolutè, tamen si homo semel decrevit thoracem movere, oportet uti hoc instrumento, sicut bene potest quis liberè cessare à motu muscularum manus; si vero semel decrevit movere manum, oportet muscularis illis uti. Sed contra est, quia septum non est instrumentum necessarium ad quamlibet respirationem, sed ad naturalem, musculari autem manus sunt necessarij ad quemlibet illius motum, & sic non tenet paritas.

Dices iterum: muscularis intercostales conducunt ad magnam respirationem, septum ad parvam: sed magna non potest dari sine parva, cùm eam presupponat; ergo necessariò semper presupponitur motus septi.

Respondeatur respirationem magnam quæ fit per majus spatiū præsupponere parvam, id est, quæ fit per minus spatiū: tamen ridiculum est existimare, quod si muscularis intercostales possint per magnum spatiū movere, non possint per minus, & ita per idem per quod potest septum: quod inde constat, quia in violenta expiratione nimis contrahitur thorax, & usque ad locum ad quem comprimit septum, ergo ad inspirationem sequentem, si violenta debet esse, concurrent muscularis intercostales: ergo respiratio illis solis fieri potest.

## CAP V T . V.

*Quibus moveatur thorax, in respiratione non naturali.*

**C**ERTISSIMUM est muscularis thoracis tam internos quād externos fuisse datos propter respirationem, non tamen naturalem; nam hujus solū septum est effectivum, ut diximus: dubium ergo in præsenti est an supposito quod in thorace sunt & muscularis interni & muscularis externi, necessariò unico solū motui thoracis deserviant, vel solū unico & determinato.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T V I.

*De dyspnœa, idest difficultate respirandi in genere.*

**G**UM respirationis plures sint causæ, & respiratio ex pluribus potest lœdi, & ut rectâ methodo incipiamus, primò notandum venit difficultatem respirandi seu dyspnœam actionem esse lœsam quæ quidem pati potest ablationem quoad sensum, saltem vel diminutionem, vel depravationem: hoc ergo prænotato, Galenus enumerat unam speciem difficultatis respirandi, quam vocat sublimem, in qua laborans movet totum thoraceum, in parte scilicet anteriori usque ad jugulum, & in utroque latere usque ad humerum, & in parte posteriori usque ad scapulas. In quo advertas; quæso, non esse idem respirationem esse sublimem & magnam, nam sèpè debili existente virtute contingit moveri omnia instrumenta respirationis, & tamen tunc non est magna respiratione, utpote magnitudo est differentia familiaris facultatis robustæ, non est ergo idem respirationem esse sublimem & magnam.

Ut ergo cognoscamus causam lœsæ respirationis in memoriam revocare oportet tres esse causas continentis respirationis, facultatem scilicet, instrumentum & usum: & quidem primò cognoscimus lœsam esse respirationem propter usum auctum si pulsus perpendamus: nam si magnum, crebrum & celerem tangimus, usum esse auctum cognoscimus, & respirationem lœsam, ob hanc causam inferimus, è contra verò si pulsus rarus & tardus.

Dubium. Sed inquiri solet cur Gal. ad cognoscendum calorem auctum cordis, posuisset priùs expirationem quàm inspirationem: nam per hanc attrahitur aëris ad refrigerium cordis, & per illam fuligines expelluntur; pari ergo ratione videtur quod ostendant cordis incendium.

Respondetur facile, quod ex vi expirations magnæ & confertim factæ, necessariò colligimus multitudinem ustorum fuliginum quæ effectus sunt caloris maximisque incendijs; at verò ex multa inspiratione non licet colligere necessariò intensionem caloris, cum possit esse ob alium finem, scilicet regenerandi spiritus; undè certius signum demonstrans incendium est expiratio quàm inspiratio.

Sed inquiri solet cur quando usus est valde auctus, expiratio vel spiritus exsufflando fit.

Respondetur breviter expirationem quæ exsufflando fit solùm distingui à simplici expiratione, penes hoc quod illa fit cum sono, secùs hæc; hoc autem contingit ex eo quod illa fit cum majori vehementia & impetu, quo sit ut fiat sonus.

Præterea omisso difficutate respirandi quæ sit ob aliquam instrumentorum angustiam, quia nihil difficile continet, docet Galen. quid quando difficutas respirandi nascitur ex debili facultate, contingit ut nul-

la in ore facta exsufflatione per nares solùm exsufflemus; quod si alæ vel pinæ narum comprimitur, vel dilatentur, ait esse efficax inditum prostrata facultatis & imbecillitatis virium, quod debet ita intelligi, ut non solùm ex debilitate facultatis, fiat hujusmodi motus alarum narum; nam certum est quid si usus augeatur, & viæ sint constrictæ, ita ut finis non satisfiat per exsufflationem per os, necessariò etiam erit hujusmodi motus alarum narum, utpote sunt instrumenta naturalia respirationis per cuius constrictiōnem attrahitur major quantitas aeris ad refrigerium, & per dilatationem major copia fuliginum molestantium pellitur: ergo hujusmodi exsufflatio non est signum solius facultatis debilis: sed omnibus aliis positris quæ facultatem debilem demonstrant si sequantur motus alarum narum, indicium efficax est debilitatis facultatis.

Una ex præcipuis differentiis lœsæ respirationis, est respiratio magna & rara, quam ut proprium & inseparabile signum delirantium & eorum qui à mente alieni sunt, ponit Galenus. Quæ doctrina intelligenda est quantum attinet ex vi delirij; nam optimè potest cum delirio conjungi alter affectus cuius causa sit potentior, & sic apparebit respiratio alio modo, ut si cum delirio inflammatio plevræ conjugatur, in quo casu parva & crebra erit respiratio. Sed adverte hanc doctrinam esse intelligendam in his quæ circa causam procatarcticam contingunt, nam per ingentem tristitiam contingere potest eadem divertentia quæ inest delirantibus ob quam respiratio fit magna & rara.

Rursus, alia est differentia respirationis lœsæ, scilicet parva & crebra, cuius duas causas adducit Gal. dolorem scilicet & inflammationem, nomine istius quemcunque tumorem calidum intelligit, vel phlogosim, eò quod ratione doloris & inflammationis, non potest dilatari thorax sufficienter pro usû satisfactione, & sic necessariò apponit celeritatem & crebritatem; undè, si quis velit voluntariè ferre dolorem, sine dubio respiratio erit magna, & similiter quando urgentia respirationis exhibet majorem molestiam quàm causa doloris, erit magna respiratio. Poterit esse alia causa parvæ & crebræ respirationis, nempe compressio & coarctatio instrumentorum respirandi, propter eandem rationem; nam vi compressionis non possunt dilatari pro satisfactione usûs, & sic ad satisfactionem parvos & cerebros motus elicunt; & similiter similis respiratio potest contingere ab debilitatem facultatis ob eandem rationem.

Sed appetet dubium, cur scilicet existente dolore, eò quod dilatatio fiat major, fiat major dolor; videtur enim difficile: nam dolor solùm crescit, vel aucto sensu, vel aucta causâ, vel conditione. Primum eodem modo manet, etiam si magis dilatetur thorax, nec secundum, nam non est unde crescat solutio continui vel distempries, solùm per majorem dilatationem. Neque tertium, nam per illum majorem motum thoracis, vel augeatur solutio continui intensivè, vel extensivè; si extensivè non erit major dolor, sed erit dolor idem in pluribus partibus, hoc est in

Dubium.

in partibus aliis in quibus anteā non erat : si intensivè , implicat quodd sit major dolor ; nam solutio continui consistit in defectu unius indivisibilis ; ergo implicat quodd sit major : nam quomodolibet sit, solum defectu indivisibilis sit , qui non suscipit magis & minus.

Respondet Petr. Garcia quod rigorosè loquendo in ordine ad indivisibilia optimè probat argumentum , attamen cùm hoc stat ut in casu posito dolor sit major ; nam per maiorem dilatationem thoracis partis discontinuæ, magis distant localiter , quo sit ut aliquod corpus de novo ingrediatur, ne detur vacuum à quo major immutatio realis producitur , & intensior species.

Sed meo videri dubium semper manet in sua vi ; nam si vi hujus immutationis majoris realis sentitur major dolor ; ergo vel quia est nova solutio continui , & hæc non faciet dolorem majorem intensivum , sed extensivum ; dicere autem eandem solutionem continui fieri majorem , est impossibile ; nam non suscipit magis & minus , ut paulò anteā diximus : ergo. Sed fortalsè possumus respondere in alia parte vi majoris dilatationis fieri solutionem continui majori impulsu & intensiori & celeriori motu, & sic sentit vivens intensiorem dolorem in alia parte quæ anteā non sentiebat.

Denique aliam speciem lœsæ respirationis Galen enumeravit in qua veluti quadam brevi quiete intercipitur motus thoracis : hanc appellavit spiritum offendentem , & quandoque fit inspirando , quandoque expirando , & frequenter iste respirationis modus contingit in pueris flentibus , ut sit ad modum pullus caprisant. Hujus respirationis causas adducit Gal. usum auctum cum debilitate facultatis , & vitium instrumenti , vel per duritiem , vel per aggravationem quod significavit per convulsionem muscularum thoracis , ita ut in hac respirationis lœsæ specie , & in ejus causis philosophandum sit quemadmodum in causis pulsū caprisant.



## DISPUTATIO XXXVIII.

### De Vitiis pulmonis.



### CAPUT VNICVM.

#### De Asthmate.

**P**OST QUAM de lœsione respirationis in genere egimus , meritò de asthmate tractamus ; squidem species principaliissima est respirationis lœsæ , sive que ab Avicenna describitur. Est agitudo pulmonis cum qua patiens non inventit excusationem ab anhelitu frequenti. Itaque est symptomata respirationis consistens in crebritate

immodica sine febre , ex passione pulmonis. Oportet autem attendere Antiquos solum attendentes ad crebritatem immodicam respirationis , nomen asthmatis inducere , de qua appellatione nulla ratio à priori reddi potest , nisi quia sic volvare ; appellatur autem asthma aliquandò crebra & magna respiratio , aliquandò verò crebra & parva , non quia non dilatetur arteria juxta usum auctum , in multoties magis , sed quia licet dilatetur ob quod dicitur magna , semper tamen aët qui attrahitur est in parva quantitate propter constrictiōnem & oppressionem instrumentorum , ob quod dicitur parva respiratio , semper tamen crebra dicitur , ratione cuius , ut dixi , asthma appellatur.

Cùm autem hujusmodi affectio sit symptoma in actione lœsa , oportet scire quæ sit. Et breviter dico esse depravatum , ed quod cùm in asthmate parum aëris ingrediatur ad satisfaciendum usui , fuligines magis irritant , & sic depravatè fit actio , eo modo quo actiones pertinentes ad facultatem expultricem dicuntur depravatè , ex eo quod præcedat irritatio à qualitate molestante ; cum hoc tamen bene stat quod licet impropriè dicatur etiam actio diminuta , non quia facultas ita operetur , sed quia aës ingreditur in parva quantitate ob morbum præexistentem.

Diximus laborantes hoc morbo sine febre esse , quod intelligendum est quantum ex vi hujus affectionis , nam non oportet humorem causantem hunc affectum putredinem subire , ac proindè si putrefiat humor , erit febris per accidens , tamen erit in hoc affectu , quia etiam si ea non esset , symptomata propria asthmatis fierent.

De morbo à quo nascatur restat quod dicamus , & dicimus , immediatum morbum à quo fit esse in cavitate vitiata , vel impedita , sive fit ex obstructione , sive ex compressione , sive ex subsidentia , & licet Avicennas morbi complexionis in hoc affectu mentionem fecerit , intelligendus est de morbo mediato , quod non negamus.

Circa partem affectam constat ex Avicenna pulmonem , sed quæ pars ejus patiatur , est dubium , & dicendum nobis est cum communī consensu , esse asperam arteriam ; ea enim compressa , vel alio modo impedita , non ingreditur aës sufficiens ad refrigerium cordis , quo fit ut propterea dicatur parva , ut diximus , & crebra quia ob necessitatem refrigerij parum detinetur in quietibus.

Sed dices : etiam per arteriam venalem ingreditur aës ad refrigerium cordis ; ergo ea vitiata symptomata asthmatis sequentur sine dubio.

Respondeatur negando sequelam : nam licet esset crebra respiratio usu aucto , nihil minus non diceretur patua , eo modo quo in asthmate : nam ingredieretur aës proportionalis dilatationi & usui aucto , quando arteria venalis vitiatur , vel comprimitur ; asthma autem constituitur per crebram respirationem citra plurimam aëris tractionem.

Citra causas ejus dicimus causam frequentiorem esse humorem crassum cavitatem asperæ arteriæ , vel bronchia pulmonis occupantem , etiam si verum sit ab humore tenui ,

& à vaporibus crassis ibi existentibus causari quandoque posse.

Dubium tamen potest esse an à debilitate facultatis fieri possit asthma, & negativè Respondemus, quia debili existente facultate non potest fieri dilatatio thoracis magna quoad intrinsecum, sed parva, sed ad verum asthma requiritur necessariò dilatationem ita esse, & quod aër attrahatur in parva quantitate, & improportionatus, ergo à debili facultate nequit fieri, & propter eandem rationem vitio existente in muscularis intercostalibus & in septo transverso non sicut verum asthma, quia dilatatio quoad intrinsecum nequit fieri magna, licet sit crebra ob usum auctum. Quando ergo alias causas præter has adducit Avicennas, loquitur de spurio asthmate, non de vero.

brevitatis causâ omittere. Et ratione probatur, quia tuſſis fit eisdem instrumentis ac fit respiratio, nempè à muscularis thoracis, ergo est voluntaria. Præterea quia ea quæ à facultate naturali pelluntur, attenuantur, ut melius fiat expulſio: sed quæ tuſſi pelluntur non semper debent attenuari, sed reduci in mediocrem modum substantiae quando nimis crassi, aut tenues sunt, quia expulſio fit medio aere qui nec penetrat crassum, neque mouet nimis tenuem substantiam, quia haec cedit ad latus; ergo diversa facultas est effectiva tuſſis à naturali expultrice, quia diverso modo operatur.

Accedit ad hoc quod tuſſis possit à nobis cohiberi, quod omnimodam voluntarieratem significat. Et ut hoc notum fiat, adverte in tuſſi & esse causam molestantem præsentem parti quæ pati debet, & esse sensationem molestam, & tandem actionem vel motum ipsius thoracis; Ex his autem neque præsenta causæ voluntaria, neque sensatio illius, nam tactus præsente objecto cum conditionibus requisitis liberè non sentit. Solum ergo dicimus motum illius thoracis esse voluntarium in quo tuſſis consistit, licet fiat præsupposita irritatione, & violentiâ aliquâ sicuti in respiratione contingit, in qua licet cum noxa paret animal cessare à motu, ac proinde tuſſis & respiratio sunt actiones voluntariae, & possunt cohiberi, licet cum aliqua noxa, ex quo solum infertur non esse tamen voluntarias sicut motus crurum, aut manuum, quia hujusmodi sine aliqua noxa omnino cohibentur à nobis.

## DISPUTATIO XXXIX.

### De Tuſſi.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit Tuſſis, & ad quam facultatem pertineat.*

**V**ICENNAS sic tuſſim definivit, Est ex motibus quibus expellit natura documentum à membro aliquo. Ex qua definitione aperte constat esse symptomata facultatis motivæ quæ expellit motu locali id quod nocet. Galenus verò sic tuſſim describit. Est vehemens expulſatio quā plurimus spiritus pellitur. Quibus definitiōnibus suppositis facile cognosci potest tuſſim esse symptomata in actione depravata, quia facultas supposita irritatione alicujus nocentis mouetur ad expulſionem illius motu illo depravato, non aliter quā in diarrhœa & dysenteria, & asthmate, ut capite precedenti explicuimus, constatque ex Galeno lib. septimo aphorism. commentario 51. ita. Sicut enim tuſſis symptomata quoddam naturale est ad expurgandas eas, quæ sunt in pulmone, aferas arterias, &c.

Sed oportet scire cuius facultatis sit actio læsa. Et quidam affirmarunt pertinere ad facultatem naturalem expultricem, idque non alia ratione probant nisi quia expulſio est actio facultatis naturalis expellentis: sed tuſſis est actio quā natura intendit expulſionem; ergo est actio facultatis expellentis. Sed licet aliquibus videatur tuſſim partim esse actionem voluntariam, partim naturalem, dicendum nobis est tuſſim pertinere ad facultatem animalem motivam, ac proinde esse actionem voluntariam, sicut respiratio. Hanc veritatem comprobant quamplurima Avicennæ & Galeni testimonia quæ

Henriquez Laurea Medica Tom.III.

#### CAPUT II.

*Quæ pars afficiatur in tuſſi, an hæc sit pulmo necessariò.*

**O**STQUAM in præcedenti dubio de causa effectrice tuſſis diximus, cámque esse thoracis muscularos affirmavimus, in præsenti partem quæ necessariò in tuſſi debet pati explicare necessum est, & licet aliquibus videatur quod ad tuſſim spuriam seu illegitimam quæ per desiderium tuſſiendi explicatur, non sit necessarium pati pulmonem, sed sufficere muscularos thoracis pati, ita ut per inæqualem intemperiem in eis tuſſiendi cupiditas sit, non aliter ac contingit in rigore, tamen nobis dicendum est omnem tuſſim fieri per affectionem pulmonis necessariò: nomine autem pulmonis debet intelligi aspera arteria per quam ingreditur aës, sive patiatut per se, sive per consensum. Hanc nostram conclusionem quamplurima Galeni & Avicennæ testimonia exornant, & ratione potest comprobari, quia tuſſis est motus factus à facultate animali motiva ad expulſionem nocivi medio aere: ergo solum illa pars debet affici per quam transit aës; atqui solum per asperam arteriam ingreditur aës; ergo solum illa ne-


H H h cessariò

cessariò debet pati , vel per se , aut per consensum.

Quòd autem in tussi quam non legitimam vocant , hoc est in tussiendi desiderio , etiam aspera arteria patiatur , probatur : nam in vomitu patitur ventriculus , & similiter in nausea quæ cupiditas vomendi est , ergo similiter si in vera tussi patitur aspera arteria necessariò , etiam in non vera patietur , ex eo quod causa molestans sit remissior.

Sed dices contra conclusionem : in asthmate patitur etiam aspera arteria , ità ut morbus à quo provenit sit vitium in ejus cavitate : sed in asthmate non est tussis ; ergo non sufficit causam molestantem esse , vel occupare asperam arteriam ut tussis fiat.

Respondetur non quodlibet impedimentum sufficere ad tussim , sed majus quam illud quod in asthmate reperitur & licet non possit negari in astmatibus non tussientibus majorem partem humoris reperiiri occupantis cavitatem asperæ arteriæ , quam quantitas partis quæ solet tussim movere , aut quantitas alicujus corporis solidi , tamen tunc ratio tussis in uno casu , & non in alio est ratione loci ubi existit : nam quando in medio cavitatis est impedimentum , in minori quantitate excitat tussim quam si hæreat parietibus cavitatis asperæ arteriæ , quod contingit in asthmate ob quod in hac affectione tussis non est.



### CAPUT III.

*A quo morbo nascatur , & quæ sint ejus cause.*

**G**UM dictum jam sit tussim esse symptoma in actione depravata pertinens ad facultatem animalem motivam , partemque affectam esse asperam arteriam , restat scire qualis sit morbus à quo procedit. Et dicendum nobis est morbum immediatum à quo tussis procedit esse in vitiata cavitate asperæ arteriæ , ratione cuius impediatur transitus spiritus , ità ut omnes alij morbi à quibus originem ducit non immediatè , sed quatenus valent vitiare cavitatem morbum causent prædictum.

Causæ autem quæ communiter enumerantur , sunt repletio arteriarum pulmonis , obstructio , inæqualis intemperies , asperitas , aut mordicatio ; de omnibus his non est dubium quin tussim causent , ed quod facultas moveatur ad expulsionem nocivi. Sed de intemperie poterat esse maior dubium ; nam aliqui non omnem intemperiem esse causam tussis affirmarunt , excludunt enim humidam , ed quod affirmant eatenus intemperiem causare tussim quatenus dolorem inferre valet ; itaque me-

dio dolore irritate facultatem affirmant isti , ac proindè tussim causare.

Nobis tamen dicendum est non causare tussim medio dolore , nam multoties contingit dolorem esse in via spiritus , & non tussim : & ratione probatur , nam tussis est ut expellatur id quod impedit ut aër ingrediatur : sed ratione doloris præcisè nullum fit impedimentum nisi quid aliud accidat ad dolorem consecutum , ut attractio sanguinis & spiritus prædicti : ergo qualitates , vel intemperies non causant tussim medio dolore , sed mediatè , ut dixi , ità ut siccitas producendo vel causando asperitatem tussim causet , quatenus per asperitatem aliae partes asperæ arteriæ sunt eminentiores , aliae non , & sic vitiatur cava ; & frigiditas hoc facit inæqualiter densando ; & calor & humiditas laxando ; Ubi adverte per inæqualem intemperiem intelligi nudas qualitates intensiores in una parte quam in alia , ratione cuius aliae partes asperæ arteriæ eminentiores sunt aliis , ac proindè cava vitiatur , & impeditur ingressus aëris , quo fit ut facultas moveatur ad expulsionem mediæ actione tussi dictæ , propter noxam quam sentit animal , sicut quando prohibetur respiratio. Hæc autem noxa non est , quia sentiatur causa prædicta , sed alia , ut fuligines , aut quid simile à quo suffocatio imminet ; ubi etiam adverte mordacia non causare tussim , quia dolorem inferant , sed quia exasperant cavitatem asperæ arteriæ ; valet enim consequentia , quidquid mordax est tussim causat , non è contraria.



### CAPUT IV.

*De divisione tussis , & quibusdam quæ tussi excernuntur.*

**R**IMD dividitur tussis in tussim per propriam passionem asperæ arteriæ & in tussim per consensum , vel alterius partis , vel cum toto corpore , qualis est illa quæ in febribus ardentibus excitari solet. Deinde alia dicitur tussis siccæ , ed quod in illa nihil expuat , licet causetur à distemperie cum materia ; alia vero dicitur tussis humida , ed quod in illa aliquid expuat ; inter causas autem tussis siccæ materiam aut nimis crassam , aut nimis tenuem adducunt Autores , ed quod cum expulsio necessariò beat fieri medio aëre si materia est nimis tenuis , humor dividitur , & in latera migrat : si nimis crassus , adhæret lateribus asperæ arteriæ , & sic nihil expuit & tussis est siccæ.

Sed advertere oportet aliquando per tussim expelli aliquid grandini simile , & lapidum , quod causam calefacientem & exiccatum denotat in pulmone , ratione cuius quod est tenuis in humore resolvitur , & crassum durius

durius efficitur. Et licet Gal. in hac curatione usus fuerit remedii calidis & siccis, non ideo taxandus est, quia non adhibuit hæc tanquam contraria causæ hujus morbi facientis concretionem, sed ut sua tenuitate lapillus concretus frangeretur, non aliter quam in lapide renum, similibus medicamentis utuntur Autores.

## DISPVTATIO XL.

### De Peripneumonia.

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit Peripneumonia, & à quo humore fiat.*

**P**ERIPNEUMONIA est quidam affectus qui denominationem sumit à parte affecta, nempè à pulmone, ita ut inflammatio pulmonis peripneumonia, seu pulmonia dicatur. Ex quo planè constabit in quo consistat morbi essentia, & sub quo genere collocari debeat, & tandem quæ sit pars affecta. Ubi nota nomine inflammationis verum tumorem debere intelligi, & non phlogosum, seu ardorem, ut in Phrenite *proprio cap. diximus.*

Sed dubium esse solet utrum peripneumonia possit fieri ab omni humore, & licet aliis videatur non posse fieri à bile ob ejus tenuitatem, attentâ etiam substantiam pulmonis quæ mollis, tenuis & laxa est, ac proindè bilis cum humor subtilis sit, facilè fluit, ac proindè non potest facere moram sufficientem ut tumorem elevet; tamen nobis dicendum est quod etiam si frequenter ab humorè pituitoso, & grosso fieri nos doceat Galenus, tamen posse optimè fieri à bilioso, ut ipse testatur, & ab sputo in hac affectione colligit fieri posse à bile, ut potè hæc per tußim evacuatur in peripneumonia. Præterea quia quædam sunt species bilis quæ majorem crassitatem habent quam sanguis biliosus, ut patet de bile vitellina, quæ unctione generatur ex flava. Sed qui negant fieri hunc affectum à bile, concedunt fieri à sanguine bilioso: ergo vel fieri ab utroque humore est concedendum, vel à nullo fieri. Hanc sententiam expressit Galenus pluribus in locis ubi affirmat pulmonem in hac affectione erysipelate laborare.

+++ +++ +++ +++ +++ + +++ +++ +++ +++

#### CAPV T II.

*In quo explicantur modi quibus Peripneumonia generatur, & signa ipsius.*

**P**ERIPNEUMONIA dupliciter generari potest, vel præcedentibus aliis morbis, ut maximis fluxionibus, dolore plevritico, anginâ, aut anhelationibus; cum enim pulmo propter suam laxitatem, & spongiositatem facile retineat, & recipiat; inde est quod plerumque prædictis morbis præcedentibus tanta in pulmonem fluat materia, ut tumor in ipso fiat, & febris excitetur, ac proindè peripneumonia. Etiâ potest fieri per permutationem horum morborum, non itâ ut simul maneant, sed quod cessantibus illis, in pulmonem fiat fluxio humoris, & tumorem elevet, & pulmonia fiat, permutato morbo alio in hanc affectionem, juxta quod dixit Hippocrat. *i. aphorism. text. 11. A morbo laterali pulmonis inflammatio malum.* Quod non debet intelligi quia malum sit eo quod anteâ erat morbus tantum lateralis, & jam peripneumonia, sed quia peripneumonia est acutior morbas, cuius causa vicinior est cordi, ut potè pulmo vicinior est. Similiter potest generari pulmonia non præcedente alio morbo ex eo quod per congestionem paulatinam fiat tumor, sicut in qualibet alia parte, ex eo quod plurimum alimenti attrahatur, & non possit totum converti in substantiam.

Sed dubitationem habet id quod insinuant communiter omnes, quare scilicet frequentius plevritis permittatur in pulmoniam, & pulmonia rarissime permittatur in plevritidem. Siquidem utriusque est eadem via, per quam materia potest communicari, tamen rationem reddit Galenus quare id contingat, nempè quia dum pulmo dilatatur attrahit à partibus circumvicinis, & à levibus arteriis: at vero quando mediâ compressione expellit, non mittit ad easdem partes, sed per os & guttur expellit, ac proindè raro in plevram mittit materiam. Nos tamen huic rationi Galen. addimus aliam rationem, quæ sumitur ex natura pulmonis ad facilem receptionem, & ex debilitate facultatis expultricis ejus. Adde ad illam primam Galen. rationem quod os & guttur est commodior via ut tussi expellatur, id quod pulmoni molestat, ac proindè frequentius materia infestans pulmonem per os expellitur.


De signis est quod dicamus, & ea ponit Gal. lib. 4. *de locis*, nempè difficultas respirandi cui angustia & gravitas conjuncta est, febris acuta, & pulsus quandoque mollis, quandoque durus propter diversitatem causæ: nam si humor frigidus & humidus, mollis; si calidus & siccus, durus est pulsus. In hæc affectione dolor est gravans, eò quod substantia pulmonis sensu careat, ac proindè

H H h 2

solum


solum membrana quæ substantiam pulmonis succingit sentit gravitatem & pondus, & sic modus doloris fit cum gravitate & pondere, ac per consequens gravans nuncupatur.

Denique alterius signi mentionem fecerunt Autores, nempe de rubidine maxillarum, quod ex eo est quia maxilla carnosæ sunt, & rarae, ob quod faciliter recipiunt quam aliæ partes; & propter restitudinem quam habent cum pulmone vapores calidi elevantur, & ruborem magnum faciunt, aliter quam in febribus ardentibus; nam rubedo quam ut signum peripneumoniae tradunt Autores, est similis illi quem vulgo vocant *planchas coloradas*.



## DISPUTATIO XLI.

### *De Sanguinis sputo & rejectione.*



## CAPUT PRIMUM.

### *Quid sit, & à quo procedat.*


**I**CET sputum sanguinis posse procedere ex affectione plurium partium, tamen quia solet habere ortum ex quibusdam affectionibus pulmonis, in praesenti de hac affectione tractare decrevi. Et suppono prius distinctionem inter sputum & fluorem, quod sputum est expulsio in parva quantitate, fluor verò est expulsio in plurima quantitate: quo supposito sic sputum definitur, *Est expulsio parva & crebra sanguinis per os voluntarie facta.* Ubi adverte, quod dicitur parva, non quia per sputum non possit expelli plurima quantitas sanguinis absolute, sed quia plurima quantitas nequit unico sputo pelli; sed à fortiori si per sputum pellitur, in parva quantitate debet fieri, licet possit esse plurima per plures expunctiones. Dicitur etiam crebra, quia non sit sputum sanguinis morbosum semel tantum unicō die, ac proindè ut morbosum existimetur, cum aliqua crebritate fieri debet. Ubi adverte in praesenti non loqui de sputo sanguinis quod contingit dum quis laborat plevritide, vel peripneumoniā; sed de illo qui contingit circa hos morbos.

His præsuppositis, sputum est symptoma in excretis, quia elicetur id quod debebat retineri, sed antequam videamus à quo morbo procedat, scire oportet quot modis possit affici pars ut ex illa sanguis fluat. Et dicendum cum Galeno nobis est tripliciter, id posse contingere, vel per anastomosin, id est ex eo quod oscula vasorum aperiantur, vel per diapedesin, id est per transcolationem vasorum, vel per diætesin, id est per divisionem eorum; divisio autem vel potest

fieri per ruptionem, vel per contusionem, vel per vulnerationem, vel tandem per erosionem. Hoc ergo supposito aliqui affirmarunt morbum à quo sputum sanguinis procedit esse in soluta unitate, solum quod probant ex eo quod neque apertio vasorum, neque transcolatio potest fieri quin sit per solutionem continuitatis: ergo.

Nihilominus dicimus non esse unum genus morbi id à quo sputum sanguinis procedit, sed quandoque esse in soluta continuitate, quandoque in vitiata cavitate. Quod facile probatur: nam oscula vasorum nulla indicunt in se continuitatem naturalem: ergo in eorum apertione nulla continuitas solvit, sed solum contiguitas; ergo tali vitio existente in vasorum osculis, erit sputum sanguinis quin præcedat solutio continuitatis. Idem patet in diapedesi: nam talis affectio fit per transcolationem vasorum, vel resudationem, quod per nimiam eorum raritatem contingit, sicuti & apertio oscularum vasorum fit, vel ob impetum sanguinis ad oscula, vel ob laxitatem, vel ob eorum imbecillitatem, vel alia hujus generis.

Ultimò quæres quæ actio sit lœsa in sputo sanguinis, & dicimus quod vel sermo potest esse de illa actione mediâ quâ pellitur sputum postquam exivit à vasis, & hæc est actio facultatis animalis motivæ quâ voluntariè pellitur sputum, vel potest esse sermo de illa actione quâ sanguis exit à vasis, & hæc juxta Capivacum est actio lœsa facultatis retentricis vasorum; vasa enim à sua natura habent facultatem retinendi, & sic videtur quod quando ab illis exit sanguis, sit actio ablata in retentrice eorum. Nobis tamen videtur etiam esse actionem lœsam facultatis expultricis vasorum refectionem sanguinis, non quidem quod necessariò simul retentrix & expultrix in hoc affectu necessariò lœdantur, sed posse fieri vel per actionem ablata retentricis vasorum, ut optimè Capivacius, vel per depravatam actionem facultatis expultricis; nam vitio sanguinis, sive in qualitate, sive in quantitate, eo solum quod pars irritetur expelli contingit, sed in eo casu non lœditur retentrix; nam optimè existente si fortior est expultrix, præstabat suum effectum etiam si retentrix majori conatu quo possit retineat; ergo optimè potest fieri refectione sanguinis per vitium cuiuslibet ex dictis facultatibus.



## CAPUT II.

### *De partibus unde solet expui sanguis, & de signis quæ illas ostendunt.*

**C**ERTUM est apud Autores sanguinem per os excerni ex pluribus partibus; nam aut ex capite per palatum descendit, aut ex ipso palato, & gingivis, aut ex fauibus, columela, aut cœlophago, ventriculo, jecore, mesenterio, thorace, aspera pulmonis arteria, & ex ipsa pulmonis substantia.

Signa ergo quæ ostendunt quæ pars sit affecta ad quatuor reducuntur, scilicet ad modum excernendi, (sub quo etiam licet intelligere si excretio sit cum dolore aut secus) vel ex quantitate illius quod excernitur, aut ex substantia, & illo quod simul cum sanguine expellitur, aut tandem ex corporis dispositione, quantum ad modum quo excernitur. Primo dico quod si sanguis excernatur cum tussi, certum est pati aliquod instrumentum respirationis saltim per consensum; nam hoc ipso quod parte aliqua existente affecta, ut jecur, vel lien, potest sursum usque ad pectoris cavitatem mittere sanguinem, quo fit ut perveniat ad asperam arteriam, & tussi excernatur, ac proinde excretionem esse cum tussi; non significat affectionem per propriam passionem necessariò in aliquo ex membris, vel instrumentis respirationis, sed sufficit ut per consensum patientur. Membra autem, vel instrumenta respirationis sunt aspera arteria, pulmo, thorax, septum transversum. Quando autem instrumentum aliquid respirationis patitur per consensum, cognoscetur ex pluribus conjecturis, ut si ex capite descendat in asperam arteriam, cognoscetur an primò labore caput ex rubidine faciei & ex consuetudine fluendi per narres; et si per evacuationem illam sentitur in capite allevatio aliquis ponderis & ex aliis pluribus quæ conjectari possunt, & idem judicium est facendum si alia pars corporis primo affecta sit, servatis servandis.

Deinde in dubium est apud Autores quod si simplici expulsione pellatur sanguis, exit ab ore; et si excretione, à faucibus; si vero per vomitum, ex ventriculo excerni certissimum; ita tamen ut excretio per vomitum non significet necessariò pati ventriculum per propriam passionem, sed per consensum, potest enim ex aliqua primo affecta mitti in ventriculum, & sic vomitu excerni, quin ipse per se patiatur, ut de excretione per tussim etiam notavimus: ubi adverte quod quando ex jecore, aut liene affecto sanguis fluit ad ventriculum, & per vomitum excernitur, tunc excretus sanguis est grumosus & niger.

Advertere tamen oportet ad cognitionem partium quæ afficiuntur ex modo quo excernitur sanguis; quod si pars affecta est aspera arteria, excretio sit cum minori tussi, ac si esset pars affecta pulmo, & adhuc cum majori tussi sit excretio, si fiat affectio in ipso thorace, quam in pulmone. Ratio est quia expulsio fit mediis muscularis thoracis, medio aere, quo fit ut quanto distantia sit major à quo pellitur, tanto cum majori difficultate fiat tussis, ac proinde major quando afficitur thorax, ed quod sanguis est in tepidiori loco, & sic concrescit, & difficilius pellitur modo. Etiam difficilius modo pellitur si afficiatur ipsa substantia pulmonis, quam si fiat affectio in vasis ipsius; nam difficilius permeat sanguis per oscula asperarum arteriarum. Ex quo deducitur ut qui laborant ulcerare pulmonis, aliquando non habeant sputum sanguinis; nam propter distantiam carnis pulmonis ab aspera arteria coit in grumos, & sic non potest transcolari.

Etiā partem affectam colligimus ex mo-

do doloris, aut si fiat sine illo; nam si absit dolor, pulmonem affici significat, utoptè cum careat sensu, dolore etiam caret; & si aliquis sentitur, est remissus, & non ratione fui, sed ratione membranarum cum quibus circumvolvit. Aliud signum solet sumi ex qualitate ipsius sanguinis ad cognoscendam partem affectam, nam si fiat expulsio sanguinis, pauci, nigri, & grumosi, fit ex thorace tanquam parte affecta, ita ut licet thorax pars admodum calida sit, nihilominus cum sanguis extravasatur, non est agens intra cavitatem thoracis tantæ aëtitatis ac erat intra venas valens fundere & liqueare, & sic in grumos reducitur, & concrescit, licet non sit agens exuperans in frigiditate, sed minus calidum, quod patet in plumbo, & aliis metallis; nam juxta ignem liquantur, & separata concrescent, & tamen tunc non habent frigiditatem excedentem, cum si tangantur comburant: ergo sic in sanguine contingere debemus dicere.

Adverte tamen quod cum sanguis extra vas sit minus calidus quam intra, ac proinde adquirat aliquid frigiditatis à quo fit concretio, poterat esse dubium an talis frigiditas sit naturalis, & affirmativè respondeo; nam intra vasa sanguis ratione spirituum adquirit majorem calorem quam ex sua natura expostulabat. Præterquam quod etiamsi concretio non fieret ab illo minori calore non valente liqueare, poterit ratione loci in quo est, adquirere majorem frigiditatem quam ex sua natura postulabat, & sic ab illo concrecer.

Deinde si sanguis qui expuitur sit spumosus, signum est procedere ex pulmone, hoc est ex ipsius carne, nam ex venis non excernitur spumosus. Ubi adverte per sanguinem spumosum nos non intelligere sanguinem aliquam spumam commixtum; hic enim cum fiat ex aërea & flatuosa substantia, motu aut calore tanquam efficienti à qualibet parte sanguis hoc modo spumosus potest pelli. Quando ergo dicimus sputum sanguinis spumosum denotare carnem pulmonis esse affectam, loquimur de sanguine qui est totus quasi spuma, sumptù similitudine ab ipso pulmone à quo sub illa forma & similitudine elaboratur, ipso pulmone in sanguine agente.

Sed dubium potest esse quare ex thorace niger exeat sanguis, & respondeo ex alteratione ibi facta reddi præternaturam, & sic adquirere illum colorem.

Ex quantitate sanguinis etiam sumitur indicium ad partis affectae cognitionem; nam si sit in magna quantitate, ex pulmone fieri significat, ob ejus tenuitatem, & sic exiguo orificio exit plusquam ex aliis partibus; cum hoc tamen bene fiat ut etiamsi expellatur in parva quantitate possit affici pulmo, quia causa disrumpens potest esse imbecillis, vel corrosio in substantia pulmonis parva, & sic parva erit excretio.

Tertium signum sumebatur ex ipso modo substantiae sanguinis & ex aliquo quod cum illo sanguine erat permixtum.

Quartum denique erat dispositio corporis præsens, aut præterita, sed quia de his nihil difficile nec scitu dignum tradunt Auto-


res, nihil de illo agit Petr. Garcia. Solum unicum dubium tangit, an scilicet ex signis à nobis *suprà* traditis possimus certò colligere aliquod instrumentum respirationis esse affectum per propriam passionem, & non per consensum: Et videtur quod non, hancque sententiam amplectimur; nam neque ex eo quod vomitu ejiciatur, neque tussi, ut diximus: nam communicatà causā ab alia parte in ventriculum, & in asperam arteriam, hoc fieri sine dubio; ergo ex hoc solum sequitur laborare has partes per consensum, & non per primam passionem. Deinde excretum esse grumosum & nigrum non denotat thorace in laborare primariò; nam ex eo quod ab alia parte mittatur in cavitatem thoracis grumosus reddetur ex actione illius & niger, & expulsio fieri talis, non ergo videtur esse aliquod signum certò significans aliquod instrumentum respirationis laborare per propriam passionem, dum sanguis expuitur; solum poterat esse dum excernitur spumosum in sensu *suprà* dicto, significare substantiam pulmonis, laborare per se, quia nulla alia pars generat sanguinem spumosum nisi pulmo.

Si accedant febres, nam partem inflammatione affici est existimandum; inflammatio enim non solum impedit curationem ulceris, sed facit quod ibi putrefact sanguis, & sic corrosio fiat major.



## DISPUTATIO XLII.

### *De Phthisi.*



### CAPUT PRIMUM.

*Quid si Phthisis, & sub quo morborum genere continetur.*



I C E T varias phthisis aut tabis acceptiones communiter enumerent Autores, oportuit in præsentieis relictis illam solam enumerare quæ propriè phthisis dicitur à Gal. & talis dicitur quando ex ulcere in carnositate pulmonis sputum elicetur purulentum cum febre continua, & extenuatione totius corporis. Sed dubium est an etiam dicitur phthisis si ulcus sit in thorace, vel in canna pulmonis. Et viderur exquisitam phthisim talem appellari posse, nam posito ulcere in thorace, vel in canna pulmonis, sequentur omnia signa pathognomonica quæ reperiuntur in phthisi ex ulcere in carne pulmonis; nam & esset sputum purulentum, & febris continua, & extenuatio in toto corpore ob easdem rationes, ac in phthisi enumerata à Galeno; ergo dicentur verè phthisis exquisitè etiamsi ulcus non sit in carne pulmonis. Sed si itemus doctrinæ Galen. & communis Medicorum consensui, sola exquisita phthisis est quæ ex ulcere in carne pulmonis originatur, & quia omnes hanc solam phthisim rigorosam consueverunt nominare, & quia Galenus dum sermonem instituit de phthisi, dixit sequi ad pulmonis ulcera insanabilia: cum autem ulcera carnis pulmonis sint difficulter sanabilia, secùs ulcera thoracis & cannae pulmonis, hinc est illam solam phthisim rigorosam esse nominandam, totum quod questionem de nomine esse censeo.

Secundum quod inquirit quæstio est, sub quo genere morborum continetur, & aliquibus visum fuit esse morbus compositum ex soluta unitate ex carnis amissione, utpotè viscus illud phthisis corrosione fit, hæc autem nequit intelligi sine carnis amissione. Sed hoc videtur falsum quantum ad carnis amissionem; nam licet quando fit ulcus ex corrosione sit verum, tamen unde probant isti semper fieri corrosione, nam optimè caro pulmonis potest putrefieri, & tunc non erit defectus carnis, sed solutio continuatis, & distempries aliqua antequam pus fiat; similiter potuit rumpi non solum vas pulmonis, sed etiam ipsa caro, & ex hoc vulnere fieri ulcus genito pure, in quo eventu nullus erit defec-

etus

### CAPUT III.


*In quo quedam que ad prognosticum spectant in hoc morbo, explicantur.*

**U**M dictum sit *suprà* sputum sanguinis procedere aut ex apertione oscularum, aut disruptione eorum, aut ex corrosione, in præsenti oportet aliquid tractare de hisquæ spectant ad prognosticum. Et primū est quod quando sputum sanguinis procedit ex apertione oscularum venarum, hinc est minus periculosa & minus mala, quia sine dolore fit, & quia hujusmodi virium facile emendatur, utpotè fit sine febre & sine inflammatione. Sed huic doctrinæ videtur contrariari Hipp. lib. 4. aph. text. 27. ubi ait *Sanguinem suprà ferri, qualiscumque fuerit, malum.* Aliqui explicant illud verbum *suprà*, idest, per os, malum. Gentilis explicatio est quod sententia Hippocratis est vera non semper, sed ut plurimum esse lethalem, & præcipue est pessima excretio sanguinis per os, si procedat ex corrosione, quia significat acrem, & mordacem humorem, ad quem est longum tempus necessarium ob ejus malitiam; aliter enim parvo tempore emendari nequit. Deinde excretio sanguinis quæ fit ex ruptura deterior est illa quæ fit ex apertione oscularum, & minus quam quæ ex corrosione procedit; nam potest esse timor ex abundantia illius quod excernitur, licet alias possit prodesse alicui suppressæ evacuationi.

Quando autem ex pulmone elicetur sanguis, duo debemus timere, & superfluitatem excretionis, & ulcus imminens, ita ut si non cesset excretio, significet solutionem continuitatis perseverare; si autem hoc cum febre conjugatur, pessimum est, quod significavit Hipp. 7. aphor. text. 25. ubi ait, *Ex sanguinis sputo puris sputum malum.* Etiam periculosum est

Etus carnis , sed solum solutio continuitatis , & aliqua distemperies quæ faciat pus : ergo phthisis non est morbus compositus ex soluta unitate , & ex defectu carnis . Præterea quia in vulnere solum est solutio continuitatis quæ solum in defectu unius indivisibilis consistit , ergo non est necesse carnem deficere . Certum ergo ex dictis manet phthisim non esse necessariò morbum compositum , cùm possit quandoque reperiri sine amissione carnis .

Cùm autem in phthisi maneat aliud symptom , nempè extenuatio in toto corpore , defectu nostræ substantiæ dicendum est quod si hæc macies & extenuatio ad eum excessum pervenerit , ut laedatur peculiariter actiones , habere rationem morbi in magnitudine diminuta , secùs erit symtoma tertij generis , scilicet in his quæ excernuntur præternatram , morbus autem à quo procedit , est calor febrilis qui ibi adest . Sed adverte in extenuatione & posse considerari substantiam remanentem , & secundum hanc dicitur morbus in magnitudine diminuta , & potest considerati substantiam resolutam , & secundum hanc dicitur symtoma in his quæ excernuntur . Tandem nota phthisim esse morbum contagiosum , quia vapor inspiratus à phthisico , potest ab alio inspirari , imò in vestimento potest servari , undè infectio sequi potest .



## C A P V T II.

### *In quo diuersæ occasiones tabis continentur.*

**I**cet tabes magis pateat quām phthisis propria , oportuit in præfenti diversas occasiones incidendi in tabem detegere , ut generalibus præceptis instructi , ad particula ria faciliter descendamus . Igitur ad rem deveniendo , Hipp. lib. de internis affect. pag. 6. tres species tabis enumeravit . Prima quidem fieri à pituita ait , cò quod putrescat in cerebro , descendatque in pulmonem , & exulcerationem & corrosionem faciat , & hæc communiter contingere solet , & propria phthisis dicitur . Secunda species enumerata ab Hipp. est ea quæ fit à labore , cò quod nimis resolvatur & extenuetur corpus ratione laboris , & in hac non fecit mentionem de causa exulcerante . Tertia species fit quando spinalis medulla repletur sanguine , nam in tali casu non communicatur ab ea in partes inferiores virtus sufficiens ratione obstructionis ; quo fit ut in maciem & extenuationem incident ægri .

Alios tres modos incidendi in tabem communiter adducunt Autores : nam aut à cerebro in pulmonem descendit humor , ut diximus , aut præcedente anginâ seu pulmoniâ , aut morbo laterali , an tertio modo ruptio ne alicuius vasis , aut corrosione factâ .

Possimus , ut dixi , incidere in tabem cò quod à cerebro in pulmonem communicatur putrida materia corrodens & exulcerans , quod licet sit verum , etiam similiter est ye-

rum posse à cerebro communicari humor ad spinalem medullam , seu ad dorsum , in quo casu etiam in tabem incident ægroti . Ratio autem est quia ab spinali medulla in plurimas partes communicatur virtus ad sensum & motum ; & licet defectus hujus virtutis nihil faciat , ut laedatur nutritio partium inferiorum necessariò , nihilominus cùm aliquod membrum privatur motu & exercitio , excrementa redundantia ex nutritione non resolvuntur , ac proindè valent vitiare proprium efficiens & membrum extenuatur , ut continget in membro paralysi affecto ob eandem rationem , & sic defectus communicationis virtutis animalis per accidens est causa extenuationis , ut dictum habemus . Alij alteram redundant rationem , quia scilicet fluente humore ad spinalem medullam patitur plures dolores , ex quibus fit corporis extenuatio ob resolutionem .

Similiter potest quis incidere in tabem ex eo quod pulmo laboret calidâ & siccâ distemperie , cò quòd cùm aër ingrediatur ad cor , prius per pulmonem , si hic calidâ & siccâ distemperie afficitur , incalescit magis , & exiccatur , quo fit ut cor patiatur similem effectum , & per consequens toti corpori communicetur , & sic extenuatio fiat . Etiam aliam speciem tabis enumerant Autores , scilicet coxaria , quæ potest esse particularis ratione propriæ partis , similiter & cruris , cò quòd ab humore ibi existente corrumpatur alimentum , neque aptum sit ad nutritionem . Aliam deinde tabem vocant asthmaticam , ex abundantia crassorum humorum in ramis asperæ arteriæ , cò quòd non sufficiens aër attrahatur ad attemperationem cordis , & sic opus est ut immodec calefaciat , & sic totum corpus extenuetur , intemperato per calorem existente corde . Deinde ex ulcere renum & ex suppressione hæmorrhoidarum , & ex suppressione menstrua potest humor fluere in pulmonem , cùmque exulcerare , & phthisim facere , & non minus substantia pulmonis potest putrefieri intemperie calidâ & humidâ laborante sine materia , in quo casu erit vera phthisis , sicut etiam ex suppuratione contingit verâ . Et ratio est quia detento pure in pulmone , necesse est corrosionem pati & sic ulcus , juxta illud Hipp. lib. 5. aphor. text. 15. *Quicunque ex morbo lateralî suppurantur , si in quadraginta diebus purgantur , à die quâ fit ruptio , liberantur . Si vero non , ad tabem transeunt . Ex quo adverte non omnes suppuratos fieri phthisicos etiam si pus effundatur in cavitate thoracis ; nam ut adverbit Hipp. intra spatum quadraginta dierum potest adquirere acrimoniam quæ valeat exulcerationem facere .*

Tandem potest aliquis in tabem incidere ex decidentia cartilaginis mucrofæ , quæ est juxta ventriculum ubi finitur pectus , & ex decidentia alterius cartilaginis in qua finitur spina ad caudam , quæ vulgus appellat *(colonna casda)* cò quod vitiatis istis partibus , ventriculo , aut jecori aliquid communicatur vitiatis alimentum , quod ineptum sit nutritioni partium , & sic fit extenuatio alimentum enim in his partibus potest vitiari cò quod cavitas earum sit vitiata .

CAPUT.

## CAPUT III.

## De Signis phthisis.

**S**IGNA pathognomonica phthisis quæ communiter enumerantur sunt tussis, sputum purulentum seu cruentum, febris lenta, sive exigua cum totius corporis extenuatione: potest autem contingere ut sit vera phthisis, quin de facto sit sputio purulenta, eò quod nimis incrassetur aut attenuetur materia, aut ob debilitatem facultatis, quod non tollit, quin sit signum pathognomonicum phthisis; nam si deficit, est quia ab alia potentiori causa impeditur, ut aliqua ex dictis.

Sed dices contra assertionem: In empyematicis, sive suppuratis sunt omnia dicta signa pathognomonica phthisis: ergo non sunt propria phthisis: Antecedens constat: nam hoc ipso quod materia suppuratur in thorace, est tussis, expuatio purulenta, est similiter febris lenta, à qua extenuatio oritur: ergo sunt omnia.

Respondet hoc verum esse, tamen empyematici ultra hæc signa addunt aliquid, nempè fluctuatio materiæ quæ in phthisicis non est, ac proindè sufficienter separantur hi affectus, licet signa essentialia unius ingrediantur in symptomate alterius.

Secundò contra nostram sententiam dices: experientiæ constat ex destillatione à capite mutari humorem in pus in thorace, & sic adesse omnia illa tradita signa, absque eo quod sit vera phthisis. Huic objectioni respondet Garcia his solis signis non distingui hos duos affectus sufficienter, sed solum deberi distingui ex conjectura quadam facta ex præcedentibus, aut aliis quæ ex fluxione à capite solent reperiri.

Nobis videtur illum humorem descendenter à capite non posse facere extenuationem & febrem quin priùs faciat ulcus, ac proindè erit phthisis. Sed nota quod ex causis complicatis possunt esse omnia signa essentialia phthisis, tamen tunc non erit phthisis: sed affectionum complicatio, ut si excitaretur febris hecticæ, & cum illa complicaretur destillatio à capite in thoracem.

Advertere etiam oportet sputum in phthisicis non semper esse purulentum, sed aliquando cruentum, etiam quod evenit ex eo quod ulcus sit in vasis pulmonis, in quo casu cruentum & sanguineum erit: si verò ulcus sit in carne pulmonis erit purulentum. Nec hoc contrariatur Gal. dicente ex ulcere pulmonis sanguinem excerni spumosum, ac proindè non semper purulentum: nam facillimè solvit eò quod licet cum purulento misceatur aliquid sanguinis, nihil reputatur comparatione ad sanguinem qui excernitur, existente ulcere in vasis. Et idem est de sanguine qui excernitur existente ulcere in vasis; nam licet aliquid purulenti habeat, est in parva quantitate, & sic tota excretio cruenta reputatur.

Unum ex signis essentialibus est febris lenata de qua queritur, an necessariò sit hecticæ; circa quod communis consensus est esse hecticam: nam verè phthisici ex ulcere pulmonis ex Galeno verè tabidi sunt: sed tabidi laborant febre hecticâ, ergo & phthisici. Nos tamen dicimus quod, vel sermo est si potest in principio esse phthisis sine febre hecticâ; & videtur quod sic, nam ulcere parvo existente in pulmone, non est necessarium statim communicari calorem in facto in corde, licet verum sit quod postea procedente affectu hecticæ febris fiat propter vicinitatem cum corde. Cum hoc tamen verum est extenuationem illam in foto corpore posse fieri à calore colliquante, & non esse necessarium semper fieri à febre hecticâ.

Sed quæres quo pacto fiat hæc febris in phthisicis, & dicimus idē contingere quia aer qui transit per pulmonem ad refrigerium cordis plus calefit ab affectione pulmonis, & sic cor non refrigeratur, quod sufficit ut à calore fuliginum accendatur, & fiat febris. Præterea quia etiam elevantur vapores ex pure qui sit in pulmone, vapores autem cor calefaciunt præternaturam.

Unde advertas, quæso, quod si phthisis fiat ex putrefactione in pulmonis carne, tunc reducatur ad febrem in continentibus; illa verò quæ sit in principio phthisis ex pure reducatur ad aliud membrum, scilicet in contentis usque dum progressu temporis fiat hecticæ, communicato calore in facto cordi. Unde etiam sit semper præcedere in phthisicis hanc febrem febri hecticæ; nam prius est esse calorem in facto in pure quam in corde, ex quo etiam pati esse in phthisicis complicationem duplicitis febris, eò quod sit calor in facto in corde, & in pure, ob quod contingit aliquantulum crescere febrem penes eo quod ex pure eleventur vapores calidiores in uno tempore quam in alio, & sic aliquod incrementum febris sit, ita tamen, ut cessante pure etiam remaneret febris altera hecticæ per calorem in facto cordis, sicut in principio est calor in facto in pure & postea in corde.

Ultimò quæres, utrum permanente ulcere pulmonis possit quis non solum carere sputo, sed etiam febre, & respondeo affirmativè; nam ex eo quod inducatur crusta in ipso ulcere, non erit sputio. Deinde remediis frigidis & humidis perveniet corpus ad infibricitationem, ex eo quod cum in ulcere sit crusta, aer qui per pulmones transit, non calefiet, & sic non erit causa fœvens diætemperie cordis, ac proindè manente ulcere pulmonis, neque erit sputum, neque febris, licet ab occasione qualibet quandoque & passim auferatur crusta, & iterum ægroti spuant cruentum & febricent, ut passim expertus est Galenus.

## CAPVT IV.

*An ulceræ pulmonis sint insanabilia,  
& in difficultate curationis super-  
rent, quæ sunt in thorace.*

**S**CÉRA pulmonis quæ juxta Galeni doctrinam in principiis phthisicorum reperiuntur, insanabilia dicuntur ab ipso, non quia ipse sensisset impossibilem esse curationem earum (contrarium enim constat ex ipso in aliquibus historiis in quibus fateatur aliquos phthisicos liberatos fuisse,) sed quia difficultiam esse censet, primò quia ut ulceræ curentur, conglutinati debent; constat autem ad conglutinationem quietem esse necessariam, quam esse impossibilem in pulmo-ne constat ex necessitate respirationis.

Secundò etiam, quia cum in his sit tussis, sit major dilaceratio in ulcere ob vehementiorem motum, vel ob aërem ingredientem majori violentia. Nam potest aliquis dicere tussim fieri per magnam compressionem thoracis, per hanc autem potius fieri in ulceræ pulmonis conglutinationem, & sic ad violentiam aëris debemus recurrere.

Tertiò est difficillima curatio, eò quod medicamenta quæ possunt applicari transseunt per longum spatum, & sic eorum vires franguntur. Deinde quia ex motu fit major dolor ratione cuius est major attractio, & sic difficilioris conditionis redditur ulcus.

Quartò quia vel medicamenta sunt frigida, & hæc non possunt penetrare partem nisi tardissimè, vel sunt calida, & hæc nocent febri, sicut si sunt sicca: si autem humida, nimis laxant, & impediunt conglutinationem: videtur ergo omni ex parte difficillima, licet non impossibilis curatio: nam cum respiratio sit voluntaria, potest fieri sensim, & sic parvus erit motus pulmonis, quo habet locum curatio, licet difficilis existat.

Ultimum quod inquirebat quæstio, est quæ ulceræ habent difficiliorem curationem, ulceræ pulmonis, an thoracis; & videntur æquè militare de utrisque rationes *suprà* traditæ pro ulceribus pulmonis: sed reverè ulceræ pulmonis sunt difficiliora, absolute loquendo, & cæteris patribus, eò quod substantia pulmonis sit magis rara, & sic facile recipiat, ac proinde debilioi constet facultate quam substantia ipsa thoracis; & constat etiam quia per tussim non fit dilaceratio in ulceribus thoracis eò quod hæc, ut diximus, fit ab aëre ingrediente cum majori violentia, qui quidem non tangit thoracem, sed pulmonem:



## DISPVTATIO XLIII.


*De affectu quem passus est  
Antipater Medicus.*

## CAPUT UNICUM.

*Quisnam fuerit ille affectus.*

**A**LENUS lib. 4. de locis, cap. ultimo, enarrat historiam circa affectum quem passus est Antipater Medicus; asserit enim se tetigisse ejus pulsum, in eoque invenisse tam inæqualitatem collectivam seu in pluribus pulsationibus, quam simplicem, seu in unica pulsatione, sine febre & sine difficultate respirandi: Interrogatus quo affectu laborabat, respondit Gal. pati obstructionem, seu angustiā in lævibus pulmonis arteriis, vel à crassis humoribus, vel à crudo tuberculo; neque laborabat suspiciose orthophœna quia hæc est in asperis arteriis pulmonis. Iussit verò Gal. curari eisdem medicamentis quibus asthmatici curari solent, & transacto spatio sex mensium, difficultate respirandi & palpitatione cordis mortuum fuisse affirmat. Ex quo colligimus morbi à quo corripiebatur esse in cōpositiōne, in cavitate vitiata scilicet, & partē affectam læves arterias pulmonis; causas autem duas re- censem Gal. scilicet & humores crassi, & crudū tuberculū, quia frequentiores, non quia ab aliis humoribus, & à vaporibus crassis hujusmodi obstructio fieri non possit. Si autem doctrinæ Gal. attendamus, non constat certò quæ sit causa ex illis duabus assignatis ab eo; quæ affectū Antipatris Medici causaret, & sic quod possumus colligere ex verbis ipsius est, prædictū affectū causari ab humoribus crassis obstruentibus, & angustiā facientibus in arteriis pulmonis; nā propositā illâ duplice causā, nē pè crasso humore, & tuberculo, ita refert tunc ille respondens. Oportuisset, inquit, me anhelos à orthophœna laborare: probabiliter dixi ipsum loqui, sed nondum vere, quippe cum ab hujusmodi causa orthophœna fiat, humore crasso & lento non in lævibus arteriis, sed in aspera arteria collecto. Ex quibus verbis colligitur aperte crassum humorē in Antipatru Medico in lævibus arteriis extitisse.

Sed apparet difficile in Antipatro nullam esse læsionem in respiratione; nā arteriæ læves pulmonis sive venales, sunt deservientes ad attemperationē cordis, utpote deferunt aëre ad cor: ergo existente in eis obstruktione non ingredieretur aër sufficiens, pro cordis attemp- ratione, & sic usus augeretur, & necessariò læderetur respiratio si tali affectu laborabat. Sed iuxta nostrā doctrinā certum est posse esse angustiam dictam in lævibus arteriis & non esse difficilē respirationē, quia licet aër ingrediatur in minori quantitate, sufficiens tamē est pro augmento caloris, & sic non est difficilis; & sic poterat responderi in illo casu angustiam in regione cordis sentiri, non in respi- ratione usquedum impedimentum magis au- geatur quam pro communi angustia.


**DISPV TATIO XLIV.**
*De Empyemate.*

**CAPVT PRIMVM.**


*Quid sit Empyema, & in quo genere morborum continetur.*



Primo quod inquirit dubium incipientes dicimus propriè empyematicos dici qui intra cavitatem thoracis continent pus, & sic empyema *Est pus continentum intra cavitatem thoracis*, quod constat ex Hippoc. & Galen. pluribus in locis ubi hoc expressè affirmant.

Oportet tamen explicare quis morbus sit, & aliqui cum distinctione loquuntur: nam si sumatur impropriè empyema pro mutatione humoris facientis inflammationem inpus; tunc dicunt esse morbum in quantitate aucta: si verò sumatur empyema rigorosè pro pure contento in cavitate thoracis, dicunt esse morbum in numero aucto toto genere contra naturam, ad quod non est necesse quod id quod additur sit pars propria, sicut ad hoc ut sit morbus in quantitate aucta est necesse quod addatur pars quantitatis, sed sufficit quantitatem præexistentem extendi ad ultiore locum.

Sed nobis dicendum est juxta communem consensum, pus contentum in cavitate thoracis non facere morbum in numero aucto; nam non videtur quæ actio ibi lædatur ob solūm numerum auctum, & sic solūm facere pus morbum in cavitate vitiata obstruendo cavitatem thoracis, à quo actio fit læsa manifesta, nempè motus thoracis quoad compressionem læditur, utpote impeditur compressio, ita ut non adquirat thorax terminum naturalem ob pus contentum impediens acquisitionem termini naturalis compressionis thoracis.



**CAPVT II.**

*An ex pituita & quo-vis alio humore generetur verum pus.*

**I**RCA præsens dubium omissis his quæ ad præsentem institutum non pertinent, videtur pus non posse fieri ab aliis humoribus præter sanguinem quartum humorem, quia pus fit à calore & humiditate; nam medicamenta suppurantia calida & humida debent esse; undè fit quod humor melancholicus non possit esse materia ex qua fit pus utpote frigidus & siccus, neque humor bilious, quia licet calidus sit, nihilominus ratione siccitatis contrariatur qualitatibus facien-

tibus pus, & deinde propter tenuitatem conjunctam cum calore excedenti deflatur & resolvitur; nec humor pituitosus, quia licet propter humiditatem sit aptus, propter frigiditatem est ineptus; non ergo videtur possibile ex aliis humoribus præter sanguinem quartum humorem fieri pus, & quantum attinet ad bilum, tener Valles. lib. 4. de morb. vulg. comm. 42.

Nobis tamen dicendum est verum pus (& non per similitudinem solum, ut aliqui dixerunt) posse fieri ex quolibet humore immediatè; nam imprimis non est ratio neque experimentum quod probet à solo sanguine, & non ab aliis humoribus fieri; nam quod dicunt Autores de dissimilitudine primarum qualitatum reperta in tribus humoribus, non probat ex illis non fieri, sed tantum difficultius fieri, quām ex sanguine quarto humore, ob quod assertit Philosophus, facilius converti elementa symbola quām dysymbols, non quod dysymbols non convertantur, ac proinde dicta dissimilitudo non arguit repugniam, sed difficultatem. Deinde quia sedimentum, appendiculum & nebula quæ in urinis reperiuntur proportione respondent puri; sed illa tria ex omnibus humoribus fiunt, ergo similiter potest fieri pus verum ex omnibus, neque valebit si dicas pus solūm habere aliquam proportionem cum sedimento, distinguui tamen ab eo magnopere penes majus pondus & alia, licet conveniat cum eo in accidentibus communibus, ut inesse album, lœve & æquale, ac proinde etiamsi sedimentum fiat ex omnibus humoribus, non idem probatur de pure. Tamen non est undè constet talis diversitas in his substantiis; nam ab eodem instrumento fiunt, nempè à parte solida sive seminali, & medio eodem instrumento, nempè calore, & ex eadem materia quam utraque substantia potest fieri ex sanguine, non ergo est ratio cur distinguantur. Deinde in probabiliori opinione affirmantium omnes humoros immediatè nutrire, sic insurgo: nam possunt putrefieri; sed in tali casu non est unde repugnet actio media naturæ quā intendat eos in se convertere (sive dicatur coctio, sive non, quod non est hujus loci) & ob eorum ineptitudinem formam medium adquirant sedimenti; ergo ex illis omnibus potest fieri immediate.


**CAPUT III.**

*An ea quæ continentur intra thoracem possint aliter quam tussi expurgari.*

**E**RTUM imprimis est ea quæ continentur intra thoracem per os expurgari mediā tussi, quia familiaris valde via, ampla & commoda pro hujuscemodi excretione est; sed dubium est quomodo pus existens in cavitate thoracis tussi expellatur. Et circa hanc rem Andreas Laurentius affirmavit pulmonem dilatatione sua trahere ad se pus contentum in thorace & compressione illud pellere usque ad asperam arteriam, & sic tussi pellitur; sed hoc non est verum, quia cum dilatatur pulmo, potius attrahit aërem per alia viam

viam expeditiorem: ergo ratione vacui non est cur attrahat pus existens in cavitate. Et sic nos dicimus per compressionem thoracis pus pelli in pulmonem & in asperam arteriam, & sic hoc modo excitari tussim. In praesenti ergo dubium procedit utrum suppeditatio quod dicta via sit convniens naturae & valde familiaris ad praedictam evacuationem sit alia via (non occulta, nam de hac non erat dubitandum esse, præsertim ex Hip. 7. aph. text. 54. ubi ait, natu ram quandoq; per ossa n.ittere humorē, & fieri abcessum) manifesta & patens: Et affirmati vam partem ferè omnes antiqui & recentiores tuentur, quampluribus in locis in quibus expressè fatentur materiam contentam in cavitate thoracis excerni plures per urinam, & per intestina, aut alvū, & præcipue constat ex Hip. in coacis prænotionibus lib. 6. sect. 2. text. 4. ubi ait, *Suppuratis à pulmone pus per ventrem secedere, lethale.* Quibus verbis expressè fate tur pus occupans cavitatem thoracis posse expurgari per aliam viam manifestam citra os. Via autem per quas transit pus usque ad alvum & vesicam, sunt arteriae laves pulmonis, mediis quibus transit etiam per latus, vel si nūm sinistrum cordis, & postea descendat usque ad intestina per venam cavam per quam trahit, & cor sanguinem sui ad nutritionem, & licet hujusmodi arteriae sint plenæ spiritibus & sanguine, optimè potest facultas expultrix pellere nocivum, scilicet pus, etiamsi sit mixtum cum optimo sanguine, & facultas retentiva retenere quod est optimum, ut contingit in febribus ardentibus, quæ solent terminari per icteritiam; nam licet humor biliosus sit permixtus cum sanguine, natura ipsum tantum pellit ad partes externas retinendo reliquum sanguinem. Neque ex eo quod transeat per cor, pus causat syncopem in corde, aut aliud grave symptoma, eò quod & quia brevi tempore existit in corde & paulatim, & sic exiguum in eo mutationem facere potest; neque enim quælibet putredo, aut vapor sufficiunt, etiamsi communicentur cordi ad cau sanda in eo talia accidentia, ut in febribus putridis constat, in quibus vapores purtidi cordi communicantur, sed oportet ut ita fiat ut pravâ qualitate infestent cor, & non paulatim sed confertim.

\*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

#### CAPVT IV.

*Qualis febris sit illa quæ in vere suppeditatis reperitur.*

**D**eo intelligentia questionis supponere oportet in praesenti solum esse sermonem de febre quæ in suppeditatis seu in empypematicis est, vi talis affectus, non de ea quæ potest sequi, hac vel illa causâ existente complicata, vel de ea quæ potest accidere si à calore in facto existente in ipso pure inducatur, calor etiam in facto in spiritibus, vel in humoribus, vel in partibus solidis; nam certum est juxta diversitatem substantiarum habentis calorem in facto, excitati diversam febrem complicatam cum illa quæ ex vi talis affectus in suppeditatis necessariò evenit: quæstio ergo praesens de hac procedit, quæ scilicet necessaria

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

riò sit an hec̄tica, putridane, vel diaria. Circa quod dicimus primò hujusmodi febrem dici hec̄ticam à pluribus, quia sine manifestis incrementis reperitur, & quia habituallis: sed falso, nam hec̄tica propria debet dici quæ habet calorem in facto in partibus solidis, hoc est independentem à qualibet alia causa; sed constat in suppeditatis pluries cessare febrem pure solum evanescato; ergo calor febrilis non erat in facto tunc in partibus solidis, sed solum in pure, ac proinde in hac affectione, non est febris hec̄tica necessariò vi hujus affectus, præsertim cum ab una, vel duabus horis ab assumpto cibo, non magis incalescat hoc affectu laborantes.

Neque praedicta febris est putrida, ut alij affirmarunt, quia pender ex putredine puris, fuliginibus deductis ad cor, probatur primò quia in hac non est calor in facto in aliquo ex quatuor humoribus: secundò quia febris suppeditatorum caret quatuor temporibus morborum, quod non continget si esset putrida. Denique quia quælibet febris putrida quæ non est contingenſ, habet determinatos circuitus & repetentias, quibus caret febris propria empyematicorum: ergo.

Alij denique sine fundamento affirmaront praedictam febrem esse diariam: Nos tamen dicimus febrem suppeditatorum necessariò neque esse putridam, neque diariam, neq; hec̄ticam, sed contineri sub illa divisione quæ fecit Hip. in contentis, continentibus, & impetum facientibus. Et ex his sub contentis necessariò continetur, cum id quod habet calorem in facto, neq; sit humor, neq; spiritus, neque pars solida, sed altera substantia ut pus in se fovens calorem in facto; nam contentum non se habet ad convertentiam cum humorē, ac proinde illa febris necessariò est in contentis; cum hoc tamen optimè stat ut ex hac causa habente calorem in facto in dies possit fieri hec̄tica, communicato calore in facto ab illa in partes solidas, in quo casu erit complicatio harum febrium sicut si communicetur calor humoribus, vel spiritibus in facto, erit etiam complicatio. Unde hujusmodi febris propria suppeditatorum accidentalis & symptomatica potest nominari, sicut illa quæ oritur ex bubone, quia sicut quæ nascitur ex bubone aufertur illo ablato, neque indiget novâ curatione, ita illa propria suppeditatorum, aufertur expulso pure, neque indiget aliâ novâ curatione.



#### DISPV TATIO XLV.

*De Plevritide.*

\*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

#### CAPVT PRIMVM.

*De appellatione Plevritidis, & de ejus definitione.*

 T promissis stemus, & suo ordine satisfaciamus ad id quod inquirit quæstio, primò certum est plevritidem sumere denominationem à parte affecta in hoc morbo, scilicet à plevra, seu velamine

III 2 succin

succingente costas : quod' testatur Hip. pluribus in locis in quibus variis affectionibus impoluit varia nomina tum propter partis affectæ denominationem, tum etiam propter suam causam.

Secundò certum est plevritidem sic ab omnibus Medicis definiri, *Est inflammatio membrana succingentis costas, plevra dicta.* Sed dubitant aliqui; an hic affectus sumatur pro inflammatione à Medicis, an pro dolore. Et dicimus esse quæstionē de nomine, nā utrumque in hoc affectu necessariò esse affirmant. Autores omnes inflammationem tanquam morbum, & dolorem tanquam symptoma. Sed dubitabis an nomine inflammationis in definitio-  
ne, debeat necessariò intelligi tumor præter-naturam, vel sufficiat esse phlogosim, aut ardorem, sicut de phrenitide *superioribus dispu-tationibus*, diximus. Communis sententia est in plevritide necessariò debere esse verum tumo-rem, & non sufficere ardorem aut phlogosim, ed quod signa pathognomonica plevritidis necessariò supponunt & indicant veram inflamationem, ut pulsus durus qui in morbo lateralī laboratibus necessariò reperitur, quod non contingit in phrenitide, & lethargo; nam in his affectionibus optimè intelliguntur omnia sua signa essentialia sine vero tumore, ut ibi diximus: nam pulsus durus non est signum esseentialle phrenitidis, licet quandoque in ea inveniatur.

Unde fit quod pleuritis sicca dicta ab Hippocrate citra fluxum humoris fit, sed solus quod pulmo magnoperè exiccatus fuerit, non esse vera & rigorosam pleuritidem, licet sit dolor in latere, & tussis, quia nunquam ex hac causa erunt omnia signa essentialia, taliter qualiter ad exacerbatam & rigorosam pleuritidem requiruntur. In calce tamen adverte quod licet tempora pleuritidis communiter distinguantur ex sputo, tamen cum hoc bene stat ut sit verus tumor & inflammatio cuius sunt propria tempora ratione fluxionis materia, ut de aliis tumoribus diximus. Et licet non semper mutetur in pus, inde non sequitur quod non sit vera inflammatio & tumor, quia solùm tunc mutatur pleuritis in pus, quando resolutione, aut alio modo non potuit terminari, non aliter quam de aliis tumoribus dictum est, secundum omnium communem doctrinam satis receptam.

quo humore, nam signa sunt, febris continua, dolor pungens, difficilis respiratio, tussis, & pulsus durus. Ex his autem licet febris possit originari, vel adesse tumore flatuoso existente in plevra, eò quod vapores elevantes tumorem putrefiant, & sic excitent febrem, saltem communicato calore cordi per continuu alterationem. Deindè potest esse pulsus durus ratione tensionis factæ vi inflammationis in arteriis, est similiter dolor pungens; nam licet etiam sit dolor tensivus ratione flatum distendentium partem, qui modus doloris est in quolibet tumore, tamen non potest negari quin vapores præter tensionem alterent partem sua qualitate, & sic causent dolorem pungentem. Similiter flatuoso tumore existente in plevra, est difficilis respiratio, quia quando sit tumor ab humore, ideo est difficilis respiratio, quia ratione doloris instrumentum respirandi non distenditur adeò ut postulat usus auctus, & ideo sit parva & cerebra respiratio, sed similiter in flatuoso tumore est dolor in instrumento respirationis, scilicet in plevra, ergo eodem modo debet lœdi respiratio. De tussi est major difficultas, nam si ea est à flatuoso tumore, sine dubio ab eo plevritis vera sit, etsi tussis non est, aperte constabit non debere esse illam veram plevritidem, siquidem ad illam non sequuntur omnia signa pathognomonica.

Et videtur veram tussim esse , hoc ipso  
quod in plevra est tumor flatuosus ; nam  
tussis fit , ut superius diximus , ex causis quæ  
valeant impedire cavitatem asperæ arteriæ ,  
quo fit ut non ingrediatur aër ut decet , &  
sic tussis fiat : sed ex flatuoso tumore in plevra  
dolorem causante fit angustia in aspera ar-  
teria , eò quod dilatatio fiat minor ratione do-  
lotis ; ergo erit vera tussis , & per consequens  
vera plevritis .

Nihilominus dicere debemus ex tumore flatuoso non excitari necessariò tussim, & sic non esse veram plevritidem. Probatur, quia illa major angustia à qua tussis debet fieri propter dolorem tanquam occasionem facientem, ut thorax non dilatetur, ut expedit: sed hæc non necessariò sequitur existente dolore, nam si quis voluntariè velit ferre & pati dolorem sine dubio fieri dilatatio ut expedit, & per consequens nulla erit difficultas respirandi: ergo tussis non adest necessariò, existente tumore flatuoso in plevra dolorem faciente: sed est necessarium ut sit tumor ex humore, & quod resudet necessariò aliquid in asperam arteriam, ut necessariò fiat tussis vi tumoris, & inevitabiliter. Et licet ex tumore flatuoso possit in asperam arteriam aliquid transmitti, hoc ita parvum est ut non impedit sensibiliter, & sic non causat tussim ob ejus tenuitatem, ratione cuius non impedit sensibiliter cavitatem.

De humore à quo causatur , dicimus frequentiori modo , & utplurimum fieri ab humor bilio , & ex sanguine tenuori , eò quod sua tenuitate plevram faciliùs penetrant , quia hæc nimis densa est , ob quod difficulter multò fit à pituita & melancholia , licet non possit negari ab illis posse fieri , ex quo nulla apparet contradic̄tio ; solūm fit quod quando plevritis fit ex humoribus cras- sis.

sis, plus temporis durat & diurnior est affectus; an verò sola plevritis quæ fit ex bile & tenui sanguine fit exquisita, dicam alibi.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\*

## C A P V T III.

*Quæ sit pars affecta in plevritide.*

**T**A N Q U A M certum imprimis supponere debemus, plevridem dici exquisitam & notitiam ratione causæ, ita ut si fiat ab humore bilioso & sanguineo, dicatur exquisita; si verò à pituitoso & melancholico, dicatur notha, seu spuria, quia accidentia remissiora fiunt. Sed cùm etiam sit certum ratione partis affectæ dici plevridem exquisitam & notham, in præsenti quærimus quæ sit quæ dicatur exquisita, & quæ notha ratione partis affectæ, ut ex inde constet quæ sit pars affecta in utraque plevritide. Circa quod certum est quod quando inflammatio est in plevra seu membrana succingente costas, plevritis est exquisita, dummodò primariò laboret; deinde commune satis etiam est quod quando musculi intercostales externi inflammatione laborant, sit plevritis notha, dubium est de musculis intercostalibus internis, an eorum inflammatio sit exquisita plevritis, & dicimus quod non: nam inflammatione existente in his, non est dolor pungens, ratione sui, sed ratione membranæ costas succingentis, quæ necessariò patitur per consensum, existente inflammatione in musculis internis intercostalibus; si autem ad hanc solam attendamus, dolor tantum erit pulsans, ed quod constent arteriis. Sed nota quod quando dicimus existente inflammatione in internis musculis, disseminatis per plevram, & eam succingentibus, necessariò communicari malum ipsi plevræ, non ita debet intelligi ut metaphysicè, vel semper sit verum, sed quia frequenter contingat quod affectis musculis afficiatur plevra, & hæc affecta afficiantur illi propter continuitatem quam habent; quo fit ut in hoc casu erit complicata plevritis exquisita cum notha. Quod autem posit inflammatio esse in musculis internis, & non in plevra, & è contrà, constat, quia minor fluxio humoris requiritur ad inflammationem unius partis quam duarum, ac proindè cùm humor possit in parva quantitate fluere, poterit inflammari una pars ex dictis, & non alia. Licet autem plevritis notha quæ inflammatio est musculorum internorum intercostalium sufficiente distinguatur à plevritide exquisita quæ inflammatio plevræ est, penes ed quod in hac est dolor pungens, in illa non. Alium modum distinguendi affer Galenus scilicet quia cùm non faciat tantam tensionem inflammatio in internis musculis ac in plevra, utpote hæc durior pars est, & sic dum intumescit, facit majorem tensionem, ac proindè pulsus est magis durus in hac. Similiter musculis intercostalibus externis inflammati etiam pulsus habet parvam duritatem,

ex ed quod sint magis distantes à corde, & sic parvam tensionem inducunt, ratione cuius parum durus est pulsus illis affectis.

De inflammatione septi transversi est quod dicamus, an sit plevritis exquisita, & dicimus eam non esse, quia cùm positâ non sequuntur omnia signa pathognomonica veræ plevritidis, utpote deficit tussis quæ non sequitur quamlibet inflammationem septi, sed magnam, ratione cuius impeditur cavitas asperæ arteriæ, & fit tussis. Hæc Petr. Garcia. Sed nescio quid possit respondere dum est inflammatio magna in septo; nam in illo casu ad sunt omnia signa essentialia veræ plevritidis: ergo. Aliud signum adducit ad ejus distinctionem, nempe quod septo inflammatione laborante, est retræctio hypochondriorum versus superiora à principio morbi.

Denique dicimus inflammationem mediastini & periostij quæ duæ tunicae sunt succingentes costas, esse plevridem, saltem notham, quia non est ratio cur inflammatio muscularum extenorū intercostalium dicatur plevritis notha, & non inflammatio harum tunicarum.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\*

## C A P U T IV.

*De signis Plevritidis & causis eorum.*

**N**T E R signa plevridem ostendentia, alia sunt essentialia, ea scilicet quæ simul cum morbo necessariò incipiunt, & cum morbo desinunt; alia sunt assidentia quæ possunt simul cum morbo oriri, & non irà, sed postea, aut mox apparentia, & hæc sunt signa coctionis & cruditatis, aut salutis, aut mortis; & etiam hujus generis sunt signa critica; de omnibus ergo his est nobis agendum, & prius de pathognomonicis quæ quinque sunt juxta communem omnium consensum, dolor pungens, difficilis respiratio, tussis, febris continua, pulsus durus: ex his autem difficilis respiratio, febris continua, tussis, sunt communia peripneumoniae; particularia autem & quibus distinguitur plevritis à peripneumonia, est dolor pungens, & pulsus durus seu ferrans. Ex his autem signis quædam ostendunt affectionem, ut dolor absolutè morbum ostendit; quædam verò partem affectam, ut speciem doloris, scilicet esse pungentem, esse affectam membranam denotat. Sed adverte dolorem dici pungentem ad similitudinem cum functione quæ in externis contingit, ad quem esse necessariam fortem penetrationem humoris in partem dicimus, ut pungens dicatur; non tamen est necessarium, ut placuit Avicennæ, quod humor sit mordicans; nam licet talis non sit per penetrationem, esset dolor, & non aliter quam pungens, ergo non est necessaria mordacitas in humor, licet eam habeat humor biliosus à quo frequenter hujusmodi dolor in plevra causatur.

Dicit deinde Avicennas in motbo lateralí aliquando non sentiri dolorem pungentem,

nisi quando sit respiratio quod ex eo solet contingere, quia ratione motus ipsae partes magis premuntur, & sic sit intensus dolor ratione solutionis factæ de novo cum majori impulsu; constat etiam in plevra inflammata non esse dolorem pulsantem, quia talis pars caret arterijs.

Alterum ex signis essentialibus erat læsa respiratio, quod non de quavis læsione est intelligendum, sed de parva & cræbra; nam licet usus sit auctus, & hac ex parte debebatur magnitudo, tamen ratione doloris potest thorax dilatari, & sic apponit crebritatem ad satisfactionem usus aucti simul cum parvitate: celeritatem etiam non potest apponere ratione doloris: nam ratione velocitatis motus major sit dolor, & sic talis respiratio nis læsio est parva, quia ratione instrumenti vitiati nequit dilatati thorax pro usu sufficiens & est crebra, quia aliter facultas non potest satisfacere usui aucto: cum hoc tamen non nego habere aliquam celeritatem, sed omnem quam potest habere pro illo usu aucto nego; hoc autem signum læsa respiratio nis tantum denotat aliquod instrumentum respirationis esse læsum, non autem plevram. Alterum signum essentialiale est tussis quæ ex eo contingit non propter vicinitatem solam, sed quia plevræ inflammatione humorali laborante, aliquid humoris residat ad pulmonem, & ad asperam ejus arteriam, ejus cavitatem vitiantem; quo sit ut fiat necessariò tussis ex his quæ proprio cap. de tussi, & modo quo fiat diximus. Ad prædictam autem communicationē resudationis in pulmonem multum facit vicinitas plevræ, & sic se habet ut conditio ad communicationem; cum hoc tamen verum stat posse esse tussim sine resudatione, ut in inflammatione flatuosa plevræ dicimus, eò quod angustietur via respirationis, quia non potest sufficienter dilatari propter dolorem, sed tussis ex hac causa non est necessaria, ut diximus; nam si quis voluntariè velit ferre dolorem, sine dubio commoda fiet dilatatio, & non erit angustia in via respirationis, neque tussis. Nota tamen quod si via est obstrœcta, aut tunica nimis densata, tunc aderit dolor plevriticus, licet actu non sit tussis, quia obstrœctio in via per quam debebat communicari materia pulmoni, est potentior causa, & sic nihil mirum ut tale signum essentialiale impediatur, ut de pluribus supra dictum est.

Quartum signum erat febris continua, quæ necessariò sequitur inflammationem plevræ, eò quod sit valde propinqua cordi, & sic vel per continuæ alterationem communicatur calor, vel fuligines elevantur calefacientes cor, & sic febris vel potest esse diaria, vel putrida penes communicationem caloris in facto in diversa materia. Unde quod ab aliquibus Autoribus dicitur defecisse in plevri de aliquando febrem, vel intelligendum est de spuria ratione partis affectæ distantis à corde, ut sunt musculi externi intercostales, vel de spuria ex parte humoris; nam si fiat inflammatio ex humore frigido, & non putrefacto, non erit febris, vel denique possunt intelligi Autores de febre quæ valde remittitur ratione aliquius evacuationis per sputum magne.

Ultimum signum est pulsus durus & serrans; durus, idest tensivus, propter inflammationem plevræ à qua originantur arteriæ plurimæ, & sic distentæ plevræ ratione inflammationis per consensum arteriæ tensionem patiuntur. Serrans appetet pulsus propter inæqualitatem tensionis; nam ex eo quod aliquæ partes arteriæ sint magis tensæ, minùs dilatantur, ac aliæ quæ minorem tensionem patiuntur, & sic serrans appetet pulsus.

Advertere tamen oportet in plevritide vera posse reperiri delirium ex eò quod plevra existente inflammatione potest communicari cerebro humor vel distempuries, ratione cuius cerebrum patiatur per consensum, & sic deliret plevriticus. Adde quod id quod dicunt de plevriticis, scilicet appetere vinum, licet aliæ eum non appetenter esse sine fundamento; nam neque id potest contingere ratione humoris, neque ratione partis affectæ, neque ratione debilitatis virtutis; nam hæc omnia possunt esse & existunt de facto absque eo quod ratione illorum sit talis vini appetitus, non ergo est concedendus in plevriticis tanquam signum ejus.

• • • • • • • • • • • • • • • • • •

## C A P V T V.

*An morbus possit reperiri sine signis pathognomonicis, & signa, sine illo.*

**I**CET videatur morbum non posse reperiri sine suis signis essentialibus, & præsertim plevritis, ob quam in præsenti hæc questio proponitur, & intelligi debet de omnibus morbis, eò quod signa essentialia dicuntur quæ constituunt rem cuius sunt signa, & ab ea inseparabilia sunt; & similiter quia plura sunt signa quæ nunquam à suis morbis separantur, ut suppressio urinæ, lapide existente in vesica, difficilis respiratio in apoplexia, pulsus parvus in syncope, & sic de aliis; ergo idem est sentiendum de omnibus quia non est major ratio unius quam alterius. Sed nihilominus dicimus optimè posse existere morbum sine suis signis essentialibus, & è contraria, signa sine morbo; & præcipue hæc veritas probatur in plevritide; nam signa omnia possunt esse sine plevritide: nam imprimis tussis potest esse ratione aliquius destillationis, febris etiam, eò quod humores putrescant in venis, pulsus durus, si inflammatio sit in qualibet alia parte; dolor pungens ex flatu crasso ingrediente poros membranæ succingentis costas, difficilis respiratio, crebra & parva, ex eò quod debilis sit facultas, & usus auctus. Sed in tali casu erunt omnia signa plevriticis, & talis nullo modo dicetur talis; nam ad hoc ut talis diceretur, omnia signa illa deberent dimanare ab unicâ tantum affectione. Præterea constat sitim intensam & insatiabilem esse signum pathognomonicum febris ardentis, & tamen hæc potest reperiri sine illa, ex eo quod sit aliqua destillatio humida quæ illam siccitatem valeat obtundere. Et ratio à priori nostræ conclusionis

clusionis est, quia cum omnes morbi sint causae naturales à quibus dimanant symptoma essentialia, potest contingere quod causa aliqua potentior conjungatur quae valeat producere effectum contrarium, & sic impedit alterum producendum ab altera causa, ut contingit in exemplo tussis & destillationis *suprà* positio; non ergo est mirum symptomata posse existere sine morbo, & è contrà, licet verum sit, ut probat secundum argumentum aliqua signa essentialia non posse impedire, eò quod non possit conjungi causa potentior, quod non probat in omnibus idem debere contingere, quo manet solutum argumentum. Et ad primum dicimus signa essentialia non esse constitutiva essentiae, sed potius eam supponunt constitutam, quia sunt effectus illius, ac proinde sine illa possunt esse, & è contrà; cum autem verum stat quod dicantur essentialia, quia per illa essentiam & naturam morbi cognoscimus. De symptomatis assidentibus quae solent reperiri in plevritide, nihil est quod dicamus, quia nihil particulare continent.

\*\*\* \*\*\* \*\*\* + \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\* \*\*\*

## C A P U T VI.

### *De signis temporum Plevritidis.*

**P**LEV RIT I S sicut & alij plures morbi, habet quatuor tempora juxta communem omnium consensum, principium quod cognoscitur quod tussis est omnino sicca, & nihil expuitur, aut aquosum expuitur, sicut in principio febrium putridarum urina est aquosa quae responderet tussi sicca, aut perturbata, quae correspondet sputo aquoso; significat enim ultimam partem principij, in qua aliqua & obscura coctio inventitur. Augmentum est quandò incipit expuere pauca cocta. Status seu summus vigor, quandò sputum est multum & exquisitè coctum. Et tandem declinatio, quandò similiiter coctio adfuerit perfecta, quantitas verò quae expuitur minor est quam in statu.

Notare tamen oportet dici siccam tussim esse in plevritide, non quia fiat à nuda diatemperie, sed quia est sine sputo: potest autem contingere esse plevritidem sine sputo, aut quia debilis sit facultas, aut qua materia sit nimis tenuis, aut nimis grossa, aut quia sit obstruta via per quam communicatur materia cavitati thoracis, & ob alia quae possunt impedire expulsionem materiae, & fluxum illius. Oportet autem examinare utrum in qualibet plevritide sit necessarium præcedere tussim siccam, & partem negantem defendimus cum Petr. Garcia, eamque ex Galeno dedicimus ubi numerans principium plevritidis, dicit esse aut quando tussis est sicca, & nihil sputatur, aut quando sputum est exiguum, tenue, & aquosum. Ex quo deducitur principium hujus morbi posse compati cum sputo, ac proinde non est necessarium tussim siccam in eo semper præcedere.

Nec valet si dicas hoc esse verum in fine principij, sicut etiam urina est perturbata, ta-

men non probare in principio principij, vel in prima parte principij necessariò esse tussim siccam. Et confirmatur, quia signa temporum universalium suo ordine præcedunt sicut mutationes ex quibus procedunt, ergo sicut obscura coctio præcedit manifestam, & manifesta, perfectam coctionem, ita omnimoda cruditas quamlibet coctionem licet obscuram debet præcedere, quia omnimoda cruditas est terminus à quo incipit obscura coctio.

Respondet materiam morbi non dici crudam in principio universali quandò præcedit omnem alterationem, sed dicitur cruda quando putrida, & non victa à natura; sed potest esse putrida, & non victa à natura materia, etiamsi sit obscura coctio: ergo potest esse totum tempus principij cum obscura coctione, & sic non opus est tempus præcedere tussim siccam in plevritide.

Alterum dubium est quare quandò nimia cruditas est in materia crudo existente morbo, tussis in tali casu sicca sit.

Respondent aliqui id è esse, quia in principio nulla est resudatio plevræ in pulmonem; interrogati autem quare nulla sit resudatio, respondent quia in principio retinetur à natura, & postea dum est cocta expellitur: sed contra, quia ex hoc sequitur nunquam in principio aliquid expelli, quod est contra id quod *suprà* diximus. Dicunt ulterius non esse resudationem in principio, quia materia est nimis conculcata, & sic nequit expelli ad extremitates pororum. Sed contra est, quia etiam quandò obscurè coquitur, debet esse talis inculcatio, quia etiam est principium morbi, & per consequens nulla expulsio debebat fieri; quod esse falsum, constat ex dictis: præterea, quia non est quod impedit communicationem materiae ad poros, præsertim cum ex Galeno constet in omni inflammatione mitti materiam à vasis magnis in capillares & poros.

Dicendum ergo nobis est in principio universalis plevritidis etiam quandò tussis sicca est, aliquid licet parvum resudare ad pulmonem, aliter enim in hac affectione necessariò nequit fieri tussis, ut diximus dum signum esse essentiale explicavimus; resudatio autem contingit ex eo quod rara sit membrana, efficiens verò à quo sit resudatio, est substantia à qua humor in plevrā mittitur, ad quod etiam juvat calor ipsius partis qui attenuat & liquat humorē; postquam verò materia est cocta, licet crassior reddatur, expellitur in majori copia, quia tunc est tempus, ut facultas expultrix operetur, & anteā non, ob naturalem subordinationem harum facultatū.

In augmento verò illa portio materiae est perfectè cocta taliter quod si non expelletur, non adquireret perfectiorem coctionem, sicut in augmento febrium putridarum contingit, ob quod securè in hoc tempore exercetur expurgatio.

Majorem tamen difficultatem habet explicare an in summo vigore plevritidis materia sit necessariò suppurrata, quā scilicet actione hæc perfecta coctio in illa contingit, an supraditione quam actionem medianam inter putredinem & coctionem existimavit esse Galenus quam ut veram defendimus; non sit autem semper

semper hujusmodi suppuratione in plevriticis quia impeditur sufficienter per expulsionem continuo factam : si autem haec deficiat, sine dubio suppurrabitur, ut docet Hip. lib. 5. aph. t. 8. *Si expurgatio intra decimum quartum diem non fit in plevritide, suppurratur materia; Actio ergo illa est actio qua sit pus, & qua fieret si non expurgaretur materia, quam mediata inter coctionem & putredinem vocavit Galenus.*

Respondetur resolvi vi medicamentorum resolventium, tamen calor major partis conducere ex eo quod dum calidior est, minus habet frigiditatis retardantis resolutionem.



## DISPUTATIO XLVI.

*De quibusdam qua ad cor spectant.*

### CAPUT VII.

*Cujus lateris Plevritis sit deterior.*

**A**D decisionem questionis notare oportet plevritidem posse terminari tribus modis, vel per resolutionem, vel per suppurationem, vel per corruptionem: ex his melior est primus, quia citè liberat ægrotum: secundum locum habet terminatio per suppurationem, quia hoc modo aliqui liberantur, licet tabidi fiant; deterior vero omnibus est quæ per corruptionem terminatur. Hoc ergo supposito, licet aliquibus videatur deteriorem esse plevritidem sinistri lateris, quia propinquior est cordi. Tamen re melius considerata, & facta comparatione cæteris paribus, præter illud in quo sit comparatio, dicimus deteriorem esse plevritidem lateris dextri; nam latus dextrum est calidius ob restitudinem quam habet cum jecore, & sic valde paratum ad inflammationem. Et probatur ex Galeno lib. 2. de præsagione ex pulsione cap. 4. ubi dicit. *Qui habent sunt valenti & admodum diu in morbos non incidunt, periclitantur si incident.* Adverte tamen hanc deterioritatem debere intelligi ratione principatus partis, non quidem quod latus dextrum sit pars princeps absolutè, sed quod sit principalior ac latus sinistrum, & sic morbus illius erit deterior: unde constat hanc doctrinam esse veram cæteris paribus ex parte propinquitatis cum corde, nam si plevritis sinistri lateris sit in parte plevra propinquiori cordi, ac plevritis dextri, sine dubio erit deterior: in quo casu non procedit questione, sed cæteris paribus ex parte loci, & ex parte cause, & aliis, & sic quando Avicenna dicit esse deteriorem plevritidem lateris sinistri, non est intelligendum de quacunque plevritide lateris sinistri, sed de illa quæ majorem propinquitatem habet cum corde, quod nos non negamus, & in hoc sensu aptior est haec ad resolutionem: in alio vero à nobis allato aptior est plevritis dextri ad resolutionem quia calidior, & deterior erit, quæ in sinistro, ob corruptionem seu mortificationem partis; nam cum debilior sit, minus resistet; cum hoc tamen verum stat, ut licet plevritis lateris dextri melior sit ad terminationem per resolutionem, est deterior ratione principatus partis, ita ut hoc sit deterior in hac quæ in eadem sit optimum terminari per resolutionem.

Sed dices: resolutio debet fieri à calore partis: sed humor qui putreficit & inflammationem causat, est calidior parte, ergo non potest ab ea resolvi.

### CAPUT PRIMVM.

*An omne mortis genus contingat necessariò corde intemperato.*



**E**R TU M imprimis in hoc duobus est, cor esse principaliorem partem principem ex his quæ in nostro corpore sunt, & esse originem & fontem innati caloris quo indigent necessariò partes ad sua opera exercenda; cùmque etiam sit certum cor esse principium facultatis vitalis, & caloris vitalis, ita ut sua temperie actiones omnium partium perficiat, fit indè ut nequeat vivens perire quin cor laboret intemperie aliqua saltim originata ex defectu alicujus, sicut partes dicuntur interire saltim occasionaliter defectu caloris vitalis.

Secundò, quia actiones necessariò procedunt à temperamento partium similarium, licet unitas & partium compositio præstent usum actioni: sed actiones totius corporis ex temperamento cordis dependent, sicut ablatio ex intemperie ejusdem; ergo cùm actio cessat necessaria ad vitam, intemperatum est cor, quia deficit illi calor vitalis. Et licet verum sit, cessare actionem, & minui defectu eorum quæ præstant usum, ut de morbis ocularum satis constat, tamen hoc ipso quod cessat actio necessaria ad vitam, necessariò debet pati cor intemperie aliqua originata, & occasionata ex defectu caloris vitalis qui necessariò deficit per dispositionem contrariam vita. Ex quo aperte deducitur mortem evenientem vi morbi, semper comitari intemperiem frigidam cordis, licet sit verum mortem naturalem evenire per intemperiem frigidam & sicciam, quia ex Aristotele vita consistit in participatione calidi & humidi;

### CAPUT II.

*De morbis quos pati potest cor.*

**C**UM tria genera morborum communiter ab omnibus enumerentur, examinare in præsenti oportet, an cor ea omnia tria pati possit. Et circa distemperiem sive sit cum materia, sive sine illa, nullum appareat dubium, cùm constet in omnibus

nibus febribus continuo distemperie calida affici cum materia in febribus puridis, & si ne illa in hecsticis, & similiter in marasmo distemperie siccâ, quam non solum per consensum, sed per propriam passionem potest habere cor.

Deinde dicimus cor pati posse motum in mala conformatio, ex eo quod pati possit apostema. Sed advertere oportet hanc veritatem tantum de apostemate incipiente intelligi debere, non de confirmata: nam haec non potest esse vivo animali, sed necessariò subito evenit mors, ratione hujus morbi, cum morbo tamen in temperamento non evenit subita mors.

Sed quæres cur cor cum distemperie possit durare longo temporis spatio, & non cum inflammatione. Respondetur, quia cum inflammatione non solum est calida intemperies, sed humor qui impedit proprios motus cordis valde necessarios ad suam attemperationem, quo sit ut illis admodum impeditis ratione tumoris suffocetur calidum nativum à fuliginibus excedentibus, & contingit mors. Similiter pati potest cor tumores frigidos à quibus non evenit mors tam subita, præsertim pati potest hos tumores in tunica in qua cor est circumvolutum.

Sed de solutione continui est dubium, an illam pati possit cor, vivo existente animali. Ad quod dicit Galen, quod si solutio continua sit in carne cordis, possunt vivere per spatum unius diei ac noctis; si vero solutio continua penetret ventriculos cordis, minimè possunt vivere, præcipue sinistrum ventriculum, quod idèo est, quia ventriculus sinister continet sanguinem puriorem & magis spirituosum, quo sit ut si solutio continua ad eum penetret, evacuerit plus de spirituoso sanguine, & sic citius fiat mors. Advertere tamen oportet solutiones continuae in corde esse incurabiles ob continuum ejus motum, qui potest esse diminutus, & deprivatus, & ablatus, saltim quoad sensum.

## DISPV TATIO XLVII.

### *De Cordis Palpitatione.*

#### CAPVT PRIMVM.

*Quid sit cordis Palpitatio, & quomodo fiat.*



ALENUS libro de tremore  
& rigore, capite 5. assertit pal-  
pitationem esse elevationem &  
depressionem præternaturam.  
Quibus verbis constat nihil


aliud esse quam dilatationem & compref-  
eudi. Henriquez Laurea Medica Tom. III.

sionem præternaturam; de quibus du-  
biu[m] est à quo fiat, & imprimis de  
motu dilatationis inquirimus à quo fiat il-  
la dilatatio præternaturam in palpitatione:  
& aliqui dixerunt fieri à levitate fla-  
tus faciente illum motum sursùm, ac proin-  
dè illam elevationem, quod quām falsum  
sit constat ex eò quod si pars ponatur ver-  
sus centrum, cesset palpatio, quod si ra-  
tione levitatis movetur, levitas deorsum  
tendere non potest: igitur cùm constet motu  
dilatationis præternaturam in palpitatione  
fieri, etiamsi versus centrum sit posita  
pars, indè est quod illa elevatio non possit  
fieri à levitate flatus. Nos ergo dicimus il-  
lum motum fieri à parte mittente, movente  
& impellente flatum à quo fit dilatatio, ac  
proindè tales motum non fieri à solo morbo,  
sed etiam à parte flatum movente, &  
impellente; etiamsi flatus à solo morbo ge-  
neretur.

Non minorem habet difficultatem explicare à quo fiat illa compressio? Et certum est non fieri à gravitate ipsius partis, cùm constet fieri illam compressionem quomodo cumque ponatur ipsa pars, vel in qualibet positione, & sic nos dicimus duplixi viâ posse defendi fieri illam compressionem, primò ab ipso aëre resiliente secum trahente car-  
nem ne detur vacuum, nam eodem modo  
ac pila resilit ex pariete per impulsu[m] & im-  
petu[m] quem facit vincentem priorem, ita  
flatu[m] dum primò movetur per impulsu[m]  
receptu[m] à parte mittente resilit à carne resi-  
stante, & sic dum aës iterum movetur ad  
partem à qua discessit secum trahit carnem  
ne detur vacuum, & sic fit illa compressio.  
Vel possumus dicere omnes partes habere  
propriam facultatem naturalem motivam ad  
proprium suum locum, ita ut ablato impe-  
dimento statim illum situm sibi connatura-  
lem adquirant, ut patet quandò quis dilatat  
carnem manu sua, & postea illam relinquit,  
tunc quidem decidit à propria facultate, non  
quia partes internæ impriment impulsu[m];  
nam non est unde constet hoc, neque con-  
tingit tunc compressio illius carnis, quia  
quandò dilatatur, ingreditur aës, & quandò  
comprimitur, discedit aës, aut aliud cor-  
pus secum afferens carnem; nam potius caro  
dum comprimitur expellit tale corpus, cùm  
constet tale corpus semper necessariò adesse  
dum caro est elevata: constat ergo utroque  
modo ex illis à nobis assignatis posse fieri  
illam compressionem in palpitatione cor-  
dis. Quandò autem contingit compressio  
primo modo ex dictis, talis motus est  
contra naturam ex parte principij efficien-  
tis, licet sit secundum naturam ex parte  
finis, cùm adquirat pars suum locum na-  
turalem. Quandò autem talis compressio  
à facultate naturali fit, etiam potest dici hu-  
jusmodi motus esse contra naturam; nam  
licet non fiat à morbo immediatè, sed  
potius à principio naturali, sufficit quod  
talis motus fiat occasionaliter à morbo præ-  
cedente efficiente dilatationem præterna-  
turam.

Sed solum restat scire sub quo genere sym-  
KK k promatum

promatum palpitatio comprehendatur. Et dicimus ponit sub actione lœsa, ut nulli dubium est; non sub ablata, cum fiat actio; non sub diminuta, cum non fiat remissius dilatatio, & compressio ac in statu naturali, oportet ergo esse actionem depravatam: cum autem actio possit dici depravata, quia aucta, & quia erronea, oportet scire an sit aucta, an erronea. Et dicimus dilatationem esse actionem erroneam, quia aliter fit quam pro natura debebat fieri, ut potest fit à natura sive facultate irritatà à causa morbi, ratione cuius pars seu facultas movetur ad pellendum flatum. Compressio verò dicitur etiam actio depravata si fiat à flatu resiliente, & secum carnem deferente: quod si fieri dicamus à facultate naturali, dicimus posse dici depravatam, non ratione principij immediatè, sed presuppositivè. De facultate à qua fiat dicimus fieri à vitali, quia motus est similis ei qui fit à vitali facultate, & dissimilis valde ei qui fit mediis muscularis à facultate animali motiva, hanc autem dissimilitudinem infra explicabo.



## CAPVT II.

*A qua causa fiat, palpitatio & cuius morbi symptoma sit.*


**E**R T U M est palpitationem esse symptomam necessariò præsupponens morbum à quo procedat, fierique ab illo, mediante aliquo quod habet ratione causæ pro certo habemus. Quid autem sit hoc quod habet rationem causæ dubitant Autores: sed nos dicimus esse substantiam flatuosam faciens distensionem illam, & depressionem modo *suprà* explicato; esse autem ventositatem seu flatum causam palpitationis verè, & non humorem, ex eo constat quod citò generetur, & citò solvatur, adeò ut ab humore fieri impossibile videatur. Et licet *capite de epilepsia & de apoplexia*, probaverimus illam non fieri à siccitate, & hanc à frigiditate nuda, sed utramque ab humore quia citò fiunt & solvuntur, tamen palpatione, citius adhuc fit & solvitur quam epilepsia & apoplexia, & sic optimè probatur palpitationem non fieri ab humore, sed à flatu. Nota tamen quod quandò dicimus juxta Galeni sententiam citò generari & solvi palpitationem, non debere intelligi de generatione ipsius flatus, ità ut quoties fit de novo palpitatio, hoc est quoties repetitur motus distensionis & compressionis, fiat de novo generatio flatus & solvatur; hoc enim non esse necessarium ad palpitationem sic ostendo, quia palpitatione potest fieri multiplicatis motibus, ità ut inter unum & alium tempus exiguum intercedat: sed in tam exiguo tempore nequit generari & corrumpi, quia non appetat agens quod tam citò corrumpat vel dissolvat flatus; ergo doctrina non est intelligenda de generatione flatus,

sed de ipsis motionibus, ità ut permanente flatu absque nova ipsius generatione, fiat motus distensionis & depressionis præternaturam.

Sed dices: quod si palpitatione fit juxta modum *suprà* dictum, sequitur posse etiam fieri ab humore, præsertim si tenuis sit; nam irritatione in parte præcedente satis velociter potest moveri ut elevet partem, & postea faciat retrocessum eo modo quo diximus de flatu, ità elevatio fiat à facultate partis mittentis & impellantis: ergo erit vera palpitatione ab humore.

Respondetur in tali casu esse motum valde similem palpitationi: sed non esse veram palpitationem, quia citius fit, & solvitur ea quæ fit ex flatu. Sed meo videri, non est unde non possit dici vera palpitatione. Adverte tamen quamplurimos falli, existimantes quemlibet modum cordis similem palpitationi esse veram palpitationem, & sic aiunt consequenter posse fieri palpitationem ex abscessu & sero consecuto intra pericardium, quæ omnia intelligenda sunt non de vera palpitatione, sed de motu simili motui palpitationis veræ.

Restat scire, quisnam sit morbus à quo palpitatione oritur: Et communis sententia est esse distemperiem frigidam, ità tamen est intelligenda doctrina quod distempuries à qua procedit palpitatione sit calor valens elevare flatus, & non dissolvere, quapropter frigida dicitur distemperies, etiam si calor valens elevare & non dissolvere possit exceedere temperiem naturalem, & sic esse præternaturam. Cum quo bene stat ut semper curatio fiat per medicamenta calida, sumptuaria indicatione à causa ut discutiatur. Plures sanguinem mittunt, quia affirmant ex multitudine & sanguine cor infestante fieri posse; sed hoc intelligendum est in palpitatione non vera, sed similitudinaria, ut diximus.



## CAPVT III.

*Quæ sit pars affecta in vera palpitatione.*


**A**N QUAM verum in hac dubitatione existimo palpitationem non esse solam passionem muscularum & arteriarum, sed cuiusque corporis mollis, cavitatem habentis qui possit dilatari & comprimi. Sed dubium est utrum cor possit pati veram palpitationem. Et partem affirmativam ut veram defendimus; nam non repugnat cor laborare distemperie frigidâ; sed tunc existente materiâ crastâ, necessariò elevantur flatus distendentes cor: ergo in tali casu fieri palpitatione, nam calor sinistri aut dextri ventriculi cordis in tali casu non erit sufficiens ad discutiendos flatus, cum cor laboreret distemperie frigidâ: ergo in tali casu per propriam passionem patitur cor propriam palpitationem

palpitationem. Similiter per consensum eam pati potest ex eo quod vapores crassi & fatus cordi communicentur ab aliis partibus per arteriam magnam, aut per arteriam venalem. Neque ad hoc obstat quod sit via calidissima, nam potest distemperie frigidâ laborare, & sic non erit sufficiens, ut discutiat fatus. Neque obstat occlusio ostiolæ, seu valvularum arteriæ magnæ; nam hæ non sunt omnino clausæ neque per compressionem cordis impeditur transitus aëris; nam non adeò comprimitur: ut non possit ingredi substantia flatulenta palpitationem causans modo *suprà* explicato, neque tanta potest esse copia vaporum ut motum impedit & suffocationem faciat: nulla ergo ex parte repugnat cor pati palpitationem.



## DISPUTATIO XLVIII.

### *De cordis Tremore.*



## CAPUT PRIMUM.


### *Quid sit cordis Tremor.*

**C**IRCA difficultatem positam primò venit notandum magnam inter Scriptores esse cōfusionem inter tremorem & motum tremulum, quod in causa fuit ut cordi, tremorem sine dubio concedant, eò quod à Galeno pulsū tremulum in eo cōcedatur. An verò in corde reperiatur verus tremor, in controversia est, nam aliqui affirmant tremorem esse symptoma facultatis animalis motivæ voluntariæ operante, & sic cordi haudquam competere, quod videtur etiam insinuati à Galeno, sed si modo motus quo sit tremor stenus, videtur cordi posse competere, quia in tremore duplex motus reperitur, alter sursum à facultate factus, alter deorsum à sola gravitate elaboratus. Sed uterque eodem modo potest fieri in corde: ergo. Minor probatur, quia non repugnat adeò debilem esse vitalem virtutem ut vincatur à gravitate & pondere: sed in tali casu erit motus sursum factus à facultate, & motus deorsum factus à gravitate: ergo erit verus tremor.

Neque valet si dicas in tali casu motum compressionis fieri etiam à facultate, quia etiam brachium habet facultatem quā moveatur deorsum, & tamen quia gravitas ejus vincit facultatem, motus deorsum fit à gravitate; solum ergo sic in corde compressio erit à sola gravitate, præsertim si ad compressionem tunc non urgeat finis. Dices iterum quod quantumvis debilis reddatur vitalis facultas, non siet motus deorsum à gravitate, quia quando sic est facultas, cessat à motu, & sic facit pulsū intermittentem; & licet pos-

sit vinci à pondere, & sic non quiescere, talis motus non siet à gravitate quia non est deorsum, sed compressionis qui necessariò fit à facultate vitali quantumvis debilis. Dices iterum; ponatur cor, vel animal in eo situ, ut dilatetur cor versus superiora universi, tunc sine dubio compressio erit deorsum, ergo in tali casu si gravitas vincat facultatem, talis motus erit à gravitate, & sic verus tremor erit in corde.

Sed poterit quis respondere quod adhuc in hoc eventu non est ille motus deorsum à gravitate, quia cor secundum omnes partes comprimitur, & dilatatur à propria facultate vitali, & sic erit per accidens illa positio animalis ut motus dicatur fieri à sola gravitate; nam si secundum omnes partes movetur cor à propria facultate vitali, cur etiam non movebitur, etiamsi illo situ & modo ponatur animal, ac proinde dicendum nobis est in casu argumenti, solam gravitatem non facere illum motum deorsum, sive compressionis, sed fieri à facultate etiamsi gravitas ad illum coadiuveret, quod patrum refert, & per consequens non posse dici verum tremorem esse in corde si unus motus ejus à sola gravitate, & nullatenus à facultate debet fieri.



## CAPUT II.

### *De causis Tremoris cordis.*

**D**UPLICITER potest cor pati tremorem, aut per propriam passionem, aut per consensem; utriusque affectionis frequentiores causæ enumerantur. Causa tremoris cordis per propriam passionem frequentiores sunt, vel materia humorosa, nomine cuius non solum verum humor intelligimus, sed flatum & humiditatem seu aquositatem quæ solet intra pericardium existere; humor verò causat tremorem sive faciat inflammationem, sive secus; potest etiam causari à sensu vehementi, aut à distemperie nuda. Quando autem fit per consensem, fit aut communicata causæ à toto corpore, ut in febribus pestilentibus, aut ab aliqua determinata, ut cum pericardio, cum ventriculo aut pulmone, quando scilicet est obstructio in arteriis per quas debet communicari aëris, & impeditur, & cum aliis partibus quæ vehementi dolore afficiuntur, & sic fit aliquandò in crisi dictus tremor cordis. His ergo positis, necesse est ut percurramus & examinemus omnes causas tremoris & à prima incipientes, primò ponitur inter causas internas humor, sive aqua quæ in pericardio continetur quæ etiam solet causare palpitationem.

Sed primum dubium est an hujusmodi aqua reperiatur solum in corde morboso, an etiam in corde benevolenti, & dicendum arbitror in corde benevolent etiam reperi, eo quod per potum parva portio aquæ ingrediantur per asperam arteriam,

KK 2 usque


usque ad pericardium, attrahiturque à corde ad ejus attemperationem; cum autem sit in tam parva quantitate dum ingreditur per aleram arteriam, non causat tussim, neque oportet esse quantitatem magnam aquæ semper; cum toties vivant animalia quia plurimum resolvitur, & pellitur per alias vias, quandoque verò potest esse in magna copia, ut quandò causat palpitationem.

Altera causa est acutes sensus, in ipso corde quæ eatendis conductit ad tremorem, quatenus percipit causam quæ aliæ non percipere, & sic movetur ad expulsionem motu præternaturam. Sed hæc causa pendet ex alio dubio, an scilicet, cor secundum suam substantiam habeat sensum, & dico cor in propria substantia non habere sensum, quia non habet in ea nervos disseminatos, sed solum in pericardio eos habere, idest in tunica succingente cor, sicut de substantia lienis & jecoris diximus, non habere sensum nisi ratione membranatum succingentium hujus substantiam. Quod autem membrana succingens cor sentiat, sufficit ut faciat motus tremulos eò quod irritetur ab humore molestante membranam; unde constat hoc sufficere ut in corde sit verus motus tremulus.

Sed dices, si cor in suo motu dilatationis & compressionis non indiget sensu, quo pacto variatur motus ex sensatione molesta tunicae, cor succiente.


Respondet ratione sensationis molestantis rei variare motum, etiamsi non indigat sensatione ad proprium motum naturale; quod satis difficile appareat, & alibi dicetur. Sed huic doctrinæ addere oportet posse fieri tremorem quin præcedat molesta sensatio, ex eo quod intra cor potest esse crassus flatus comprimens & impediens motum; in tali enim casu poterit moveri concitato motu ad auseverandum impedimentum, non aliter quam in motu naturali citra sensationem divergo motu movetur pro varietate usus instigantis.

\* Aliam causam tremoris adduximus, scilicet intemperiem sine materia, quæ si sit siccus, & etiam facta, eatenus causat tremorem, quatenus molestiam infert, eò quod debilitatem causet in corde, ac proinde ratione illius aliquid residuum permanet, & sic movetur cor ad ejus expulsionem, & tremulum facit motum, ex eo quod irritetur ob varios motus: & cum ex alia parte debilis sit facultas, & non possit eos exercere, tremulos facit motus. Similiter ex abscessu in pericardio fit tremulus motus in corde, eò quod impedit proprium motum, & aliquod nocivum ipsi communicetur ei molestans.



## DISPUTATIO XLIX.

### De Syncope.



### CAPUT PRIMUM.

*Quid sit syncope, & quo pacto differat ab aliis affectibus, cum quibus videtur convenire.*



YNCOPÆ est gravissimus affectus cum quo prope mortui ægi apparent, cum cor illo laborat, & sic definitur à Galeno i. meth. cap. 5. Est præcepit virium lapsus, idest subitus. Dubitârunt plures an ad syncopem necessariò requiratur quod fiat subito virium animalium lapsus; quod si loquamur juxta communem consensum, affirmativam partem tenere debemus cum Galeno; attamen si rem attentè inspiciamus, non est cur non nominetur syncope paulatinus virium lapsus, siquidem nulla est ratio quæ contrarium probat.

Sed quatuor sunt nomina quæ similitudinem aliquam habent, licet aliquo modo differant, scilicet virtutis exolutio, tremor, animi deliquium, & syncope; nam virtutis exolutio, est quædam debilitas quâ sensus & motus perturbantur, servantur tamen secundum aliquam proportionem. Deliquium verò animi majorem debilitatem continet, licet ab aliquibus pro eodem ac exolutio virtutis accipiat: deinde tremor seu motus tremulus ex majori debilitate procedit, & tandem ex multo majori syncope nascitur, ita ut secundum magis & minus differant ex parte causæ, syncope & animi deliquium.

Rursus inquires, an solum differant secundum magis & minus prædicti affectus, & dicendum esse arbitror etiam differre ratione partis affectæ, nam in animi deliquio primariò patitur cerebrum, eò quod possint deficerre spiritus animales non deficientibus vitalibus, nec deficiente pulsu, ut constat quandò præcipit Galen sanguinem mittere usque ad animi deliquium, quod non fecisset si in animi deliquio necessariò pateretur cor: in syncope verò primariò patitur cor. Cum hoc tamen verum est ut in magno animi deliquio, etiam pati cor, licet non primariò; quandò autem deficit quantitas spirituum necessaria pro toto, tunc primariò patitur cor, quia illa passio communis totaliter non fit.

Sed dubitabis in quo consistat hoc symptomæ, scilicet animi deliquium, an in defectu spirituum, an verò in retrocessu remanentium versus principium, scilicet versus cerebrum. Et dico quod licet retrocessus spirituum sit conjunctus cum animi deliquio, tamen non esse causam immediatam ejus, sed potius causam immediatam esse defectum ipsorum

forum in debita quantitate; nam defectu ipsorum posito, etiamsi impediretur retrocessus spirituum remanentium versus cerebrum, sine dubio erit praedictum symptoma, quia deficerent spiritus pro actionibus animalibus, & tamen non erit retrocessus; ergo causa immediata erit defectus, non retrocessus.

Similis dubitatio potest fieri de syncope, an consistat in defectu spiritum vitalium, an verò in retrocessu eorum ad cor. Et eodem modo dicimus ac de animi deliquio, de syncope, ob eandem rationem; & quia retrocessus ad cor potius juvat pro actione quam pro ejus ablatione, in qua hæc symptomata consistunt. Adverte tamen oportet quod adhuc in retrocessu spiritum est maxima eorum præfocatio, & resolutio à causa infestante cor, ob quod actiones diminutæ adhuc in corde sunt.

Dubitatur ulterius an animi deliquium includatur intrinsecè in syncope. Ad cujus resolutionem supponere oportet in syncope esse lapsum virium animalium, & vitalium, & esse affectum primò competens cordi, id est per propriam passionem, & cerebro per consensum, cum quo stat ut cum syncope necessariò conjugatur animi deliquium, eo quod patiatur cerebrum per consensum cum corde. Pluribus autem modis potest dici cerebrum pati posse animi deliquium per consensum cum corde syncope laborante, primò propter defectum spiritum vitalium immediate, eo quod calor influens cordis sit necessarius ad omnes actiones, etiam animales eliciendas, ac proindè illo deficiente, cessant etiam omnes actiones.


Secundò quia spiritus vitales se habent ut materia animalium, & sic illis deficientibus non sit nova regeneratio animalium, & qui sunt generati revolvuntur, & sic sit animi deliquium per consensum.

Tertio modo potest contingere per subordinationem quandam, ita ut retrocessu factu spiritum vitalium ad cor, animalium ad cerebrum etiam fiat ob subordinationem quandam quam dicunt. His ita suppositis, facile est solvere quæstum, dicendo animi deliquium non includi intrinsecè in syncope, neque esse partem illius; nam nullus dixit affectum per consensum sive per subordinationem cum alio, esse partem illius qui est per propriam passionem, licet ita conjungantur ut existente uno, aliud sequatur.

Sed ulterius quætes, an animi deliquium praecedat necessariò synkopem, & juxta nostram sententiam in qua diximus hos affectus pertinere ad diversas partes, & contingere affectu diversorum spirituum, facile est intelligere non praecedere necessariò animi deliquium ad synkopem, & in qualibet operatione existimamus hoc esse verum: nam licet in gradibus intentionis id reperiatur, ut non possit agens pervenire ad intensum quin prius tempore accipiat remissum, si producio fiat in tempore, tamen in corruptione alicujus entis naturalis bene contingit ut corruptio plurium partium fiat simul, non praecedente corruptione cuiuslibet minoris secundum temporis, quia potest agens applicari pluribus secundum extensionem, praesertim secundum

virtutem sufficientem; undè bene stat ut in syncope corruimpantur simul plures spiritus vitales, absque eò quod præcedat secundum tempus corruptio eorum, ex quibus propter defectum materiæ saltim mediæ poterat fieri animi deliquium. Si autem dicamus per defectum vitalium spiritum immediatè deficere actiones animales, quia spiritus vitales sunt principium commune necessarium pro omnibus operibus, dicere debemus semper animi deliquium præcedere ad synkopem.

Ex dictis sequitur animi deliquium & syncope esse symptomata in actione ablata suarum partium; ita ut in corde sit actio ablata tam facultatis pulsificæ quam facultatis generantis spiritus; quæ quidem ambo resident in corde, & deficiunt à suis actionibus, eò quod deficiant spiritus necessarij valde ad actiones adhuc suarum facultatum; morbus autem à quo haec symptomata procedunt, est privatio qualitatis requisitæ ad actiones: juxta Gal. verò sententiam cum defectus spiritum non sit morbus, sed symptomata tertij generis, dicimus synkopem non procedere à defectu istius requisiti immediatè, sed medio alio morbo, quid autem sit, dicemus postea.



## C A P V T II.

*An animi deliquium sit soporosa affectio.*

**O**NCE L US I O nostra sit, quod etiam si in animi deliquio sit retractio spiritum animalium versus ventriculos cerebri, nihilominus non debet dici somno præternaturam laborare vivens (nam de naturali non est dubium quin in illo non sit) & ratio quæ à nostro Petro Garc. adducitur, est quia privatio sensus & motus non dicitur ad convertentiam cum somno; nam aliás qui sunt proximi ad mortem propter extremum languorem facultatis, dormire dicerentur, quod est falsum, cùm potius dicantur impotentes ad vigilandum; itaque ut aliqua affectio soporosa dicatur, requiritur esse in ea privationem sensus & motus propter motum impeditum spiritum animalium à causa præternaturam facientem morbum obstructio- nis. Sed reverè id videtur gratis dictum, & contra ejusdem doctrinam, cap. de somno & vigilia, ubi ait somnum fieri ob retractio nem solum spiritum animalium.

Adhuc contra doctrinam Petr. Garcie nuper insinuatam militat argumentum difficultimum; nam inter species cari numeratur ab eo ea quæ sit per spiritum resolutionem ex ingenti aliquo dolore; sed caro est affectio soporosa, ut ipse fatetur expressè, ergo defectus sensus & motus qui sit in animi deliquio per conjunctionem spirituum, & eorum retractionem ad cerebrum, erit verus somnus præternaturam. Respondet Autor hanc assignatam non esse veram speciem cari, sed solum dici propter similitudinem, ac proindè non esse affectionem soporosam, sicut neque animi deliquium.

Sed dices, in tali specie quæ per similitudinem ait dici carum, sunt omnia signa pathognomonica cari, quia est privatio sensus & motus sine febre, & sine lassone respiratoris; ergo erit verus carus.

Respondetur verum esse ibi reperiri omnia signa, sed non procedentia ab unica solùm affectione, sed à pluribus affectionibus partialibus, ut de dolore pleuritico diximus *proprio cap. & de empymate*; in tali autem causa in prædicta specie præter signa assignata est dolor quod sufficit ut distinguatur à vero caro.

tionem spirituum faciat subito, unde non sequitur in qualibet febre ardente, aut alia qualibet causa tantæ intensionis, hoc idem necessariò contingere, nam ob passi majorē resistentiam, potest non sequi dissipatio subita; hæc autem causa ad corruptivam spirituum reduci debet.

Ultimò dubitari potest quod dixit Galen. nempè ab omni intemperie posse syncopem causari; nam videtur difficile de siccitate & humiditate, nam hæ qualitates subito non possunt causare virium lapsum, sicut neque epilepsiam, ut ibi diximus, solùm possumus dicere causare syncopem quatenus potest communicare spiritibus aliquod vitium, ut densitatem, aut aliquid aliud quod impedit eorum vim, aut eos corrumpat; sed hoc est contra doctrinam *suprà traditam*: nam densare, alterare est, ergo per solam alterationem (non solùm siccitatis, sed *cujusvis* alterius qualitatis absque corruptione spirituum, eò solùm quod in eis producatur aliquid quod impedit, vel eorum generationem, vel eorum motum, ut etiam de distemperie frigida potest dici esse impedimentum ad eorum regenerationem) potest continere syncope, eò solum quod aliquid producatur in spiritibus quod impedit vim eorum, etiamsi eos non corrumpat,

## CAPUT III.

### *De causis Syncopis.*

**S**UPPONO imprimis robur virium duo potissimum solùm respicere, spiritus, & partes solidas, ita ut quodlibet ex his petat certam quantitatem & qualitatem. Hoc ergo prænotato quatuor communiter assignantur causæ syncopis, nam aut potest causari à vitio spirituum, vel à malo totius corporis, sub quo etiam cor comprehenditur, aut à distemperie cordis, aut propter morbum instrumentalem ejus. Ut ergo à prima in ordine incipiamus, certum est vitio spirituum causari; nam cum eis indigeant partes, per eorum corruptionem actiones necessariò deficiunt, possunt autem corrumpi aut ab intemperie, aut ab humoribus qui ita subeunt corruptionem, ut veneni vim comparent, aut evacuatione magna, aut maximo dolore, fame, aut rupto abscessu, aut hydrope repente vacuatis, aut alvi profluvio, aut suffocatione possunt perire per multitudinem humoris, ut in principiis accessionum solet contingere, aut in quibusdam animi passionibus, dum ad cor moventur; quid autem sit quod producatur in ipsis ut deficiant, non est hujus loci disputare, aut denique ut solet contingere in febribus syncopalibus, aut per interruptionem vasorum juxta cor, ob quod non possunt communicari in partes inferiores.

Secunda causa est sumpta ex malo totius corporis simul & cordis, ut in febre colligante & urente ratione dissipationis spirituum, nam aliter non potest intelligi syncopem causare.

Tertia causa est ex parte solius cordis, quando laborat aliqua distemperie.


Quarta quandò morbo instrumentalí afficitur, ut inflammatione, aut vulnere.

Ex quo debet conjectari solam spirituum alterationem absque eorum corruptione, non sufficere ad syncopem, nam experimur multories quamplures esse intemperies magnas quin faciant animi deliquium, tum præterea quia intemperies non sufficit ut à propria forma non dimanet qualitas vivificans partes, necessaria ergo est corruptio spirituum ad animi deliquium. Licet etiam conjectari ex distemperie calida posse sequi syncopem, eò quod talis potest esse ut dissolu-



## DISPUTATIO L.

### *De vitiis œsophagi, aut gula.*



## CAPUT PRIMVM.

### *Quid sit gula, quis ejus usus, & cuius facultatis.*



**G**ULA idem est quod œsophagus, est autem hic quædam pars quæ inter fauces & os ventriculi est media, & est continua ventriculo, via quideam est angusta & longa per quam ea quæ devorantur tendunt ad ventriculum, & per quam dejiciuntur ea quæ à ventriculo ad os elevantur; constatque eisdem tunicis, ac ventriculus.


Sed dubitabis cuius facultatis sit aetio, deglutitio. Et dicimus esse actionem compositam ex duplice facultate, altera naturali attractiva quæ attrahit alimentum; altera animali & voluntaria, quæ musculi ibi existentes aperiuntur, & dilatantur pro voluntate nostra. Itaque operatio deglutiendi illis duabus facultatibus complectitur, adeò ut quilibet deficiente, duriter & difficulter fiat deglutitio, ut quotidie experimur; nam si fastidio habemus aliquam rem duriter fit illius deglutitio, ergo facultas illa appetitiva cui attractiva naturalis est subordinata, ut dicimus postea, aliquid facit partialiter ad deglutitionem

titionem saltim mediâ scilicet attractiva naturali. Quod autem ad hujusmodi actionem concurrat facultas animalis constat, cùm multoties per paralysem in musculis œsophagi evenientem impeditur deglutitio; & præterea probatur, quia quandò volumus devoramus, signum ergo est facultatem animalem ad prædictam operationem concurrere.

Dices: si deglutitio est actio voluntaria, & in nobis libera, cur existente inappetentia non fit.

Responderetur facultatem ventriculi & œsophagi quæ eadem est, esse subordinatam appetentia quæ in ventriculo ponitur, ac proinde quod appetit ventriculus, faciliter devoramus, secùs quandò non appetit. Ad quod valde facit quod dixit Gal. 3. de fac. naturalib. cap. 8. ciborum appetentiam præcedere ad deglutitionem ciborum. Advertere tamen oportet illam appetentiam cui diximus subordinari attractivam facultatem deservientem ad deglutitionem non requiri auctualem sensationem objecti, & positivam, sed sufficere non habere repugnantiam ad cibum aut potum.

Sed quantum attinet ad instrumenta facultatis naturalis attracticis quæ est in œsophago, deglutitioni deserviens, dico esse villos oblongos ad attrahendum, & latos ad expellendum, licet etiam villi lati conducant ad ipsam deglutitionem, protrudendo alimentum versus ventriculum; villi oblongi sunt in tunica interna œsophagi, lati verò in tunica externa: Et non est mirum ut lati villi concurrant ad expulsionem & attractionem, quia id faciunt eò quod incipiunt motum ex diversa parte; nam si incipiunt motum ab ore ventriculi, pellunt, si verò ab ore, detrudunt versus ventriculum. De villis transversis non est quod dicamus, cùm in œsophago non sint necessarij, quia retentio ad quam conducunt non est necessaria, & si aliqua est, sit à villis latis, in quibus posuit Avicenn. virtutem retinendi licet parvam.



## CAPUT II.

*De vitiis quæ pati potest gula.*

**G**U M gula seu œsophagus duplum habeat usum, & esse viam per quam transit alimentum, & attrahat pellatque in deglutitione & vomitu, indè est quod secundum utrumque munus affici possit. Secundum modum primum instrumentaliter per impeditionem cavitatis, impediens enim corpus causat læsionem in gula, aut propter angustiam, & hæc potest contingere, aut per propriam passionem, aut per consensem, ut quandò contingit angina ex luxatione vertebrarum colli, aut quandò ibi excitatur tumor aliquis præternaturam. Quoad alia munera quæ exercet gula, potest pati vitium in temperamento, & etiam in soluta unitate. Sed notare oportet quosdam laborantes ita se habere, ut deterius res liquidas & cum majori

difficultate deglutiunt quam solidas. Cujus rei potest esse ratio, quia ob debilitatem facultatis non possunt contrahi fibrae ad unum opus, & sic ad aliud: nam major contractio requiritur ad res liquidas quæ propter tenuitatem imbibiri possunt, quam ad solidas. Et si dicas fluxibilitatem juvare ad deglutitionem, etiam dicimus gravitatem rerum solidarum juvare.

Secunda causa hujus potest esse siccitas magna in cartilagine cooperiente caput asperæ arteriæ, nam siccæ existente non cooperit sicut oportet, & sic tunc ingreditur res liquida & potabilis, & non solida, cùm via non sit ita patens, ut possit ingredi, quo sit ut impediatur ob hanc causam transitus rei liquidæ per œsophagum seu gula, & per consequens res solida solùm possit deglutiri.


Tertia causa potest esse appetentia rei solidæ & non liquidæ. Potest etiam contingere impedimentum in deglutitione ex siccitate fibrarum galæ, ratione cujus non possunt contrahi.

Ut ergo cognoscat Medicus an vitium in deglutitione proveniat ex debilitate solùm illius partis, oportet ut attendat si æqualis est difficultas per totum œsophagum aut gulam sine aliqua mora, aut dolore; nam si ita evenit, sine dubio causa est debilitas in parte illa, sicut si erecta cervice transeat sine difficultate, & non erecta difficulter. Si autem est in via tumor aliquis præternaturam, non est æqualitas in transitu, sed in aliqua parte magis detinetur, cùm ibi sit major angustia.



## DISPUTATIO LI.

*De his quæ spectant ad ventriculum.*



## CAPUT PRIMVM.

*De partibus quibus constat, & earum usu.*

**O**MNUNIS doctrina est inter omnes Medicos, in ventriculo esse duas partes potissimas, nempè os ejus cui appetentia tribuitur, eo quod sit pars valde nervosa, quia advenit ei ex nervis cerebrali ramus, ob quod valde sensibilis est hæc pars propter necessitatem famis & sitis; in qua parte virtutem concoquendi licet parvam, concedunt Medici.

Altera pars præcipue consideranda in ventriculo est fundum ejus cui tribuitur coctio, & est valde carnosa pars in qua aliquā appetentiam concedimus: unicuique harum partium unicam tunicam dedit natura qua prædicta vi pollet, in ore scilicet ventriculi tunicam nervosam posuit internam, in fundo

verò

verò tunicam carnosam externam, illa virtute sentiendi pollet, hæc verò concoquendi. In calce tamen adverte plures morbos sequi per consensum cum ventriculo, præseriū cordis & cerebri, hæc enim partes valdè consentiunt cum ventriculo, ob quod vitiato existente, solet contingere ut homines syncope stomachicâ laborent, ( quæ ad differentiam alterius syncopis cardiacæ, dicitur ) similiiter melancholiā morbum, delirium, difficiles respirationes & soporosas affectiones, quas omnes affectiones ex diversis causis infestantibus ventriculum eveniunt.

re in cerebro, & esse eandem potentiam ac illa cum qua alia objecta appetimus. Probatur quia non est ratio quæ id probet, & quia quod ibi in ore ventriculi fiat sensatio dolorosa famelica, nihil probat; nam non ponitur diversa facultas appetitiva in aliis partibus, ubi fiunt dolorosæ sensations; ergo neque in ore ventriculi; sed potius credere debemus ex sensatione externa tactus non moveri immediatè appetitum, sed mediâ cognitione internâ quâ repræsentatur objectum ut conveniens, vel ut disconveniens: sed hæc cognitio interna non est in ventriculo, ergo neque appetentia in illo sedem habere potest: sed ibi fit sensatio externa tactus, unde procedit appetitus cibi & potûs. Causam autem hujus tam magni consensus cerebri cum ventriculo, dicimus esse propter communio-nem nervorum à cerebro in ventriculum, qui nervi dicuntur sextæ conjugationis, licet noster Vallesius dicat fieri ob occultam analogiam inter has partes. Adverte tamen oportet pro integra hujus dubij intelligentia in ventriculo esse omnes fibras quæ ad operationes animales conducere solent, videlicet sunt fibrae rectæ ad attrahendum, & latæ ad expellendum, & etiam sunt obliquæ ad re-tinendum. Adverte tamen fibras oblongas esse in tunica interna ventriculi, latas verò in tunica externa suam sedem habent.

## CAPVT II.

*De sensu famis.*

**P**RIMO intelligentia dubij adverte quod quandò dicimus ventriculum sentire famem aut sitim, debet intelligi in eodem sensu, ac dicimus quamlibet partem sentire dolorem, non quidem quodd sentiat ipsam actionem dolorificam, sed quodd sentiat objectum dolorificum; sic ergo ventriculus sentit objectum famis & sitis, non ipsam actionem. Hoc ergo supposito, cum sentire famem non sit proprium inunus alicujus sensus interni, ut de se pater, necesse est quod sit actio alicujus externi sensus; ex his autem nulli proprius videtur competere sensatio famis aut sitis, quam tactui, nam ut deinceps dicimus, sensatio famis & sitis est dolorifica: sed objectum doloris pertinet ad tactum, ergo sensatio famis & sitis ad tactum pertinere debent qui percipit qualitates tangibles alimenti, ex quo sequitur statim appetentia.

Ex quo potest quis non difficulter deducere, tactus sensum qui reperitur in ventriculo esse ejusdem rationis cum tactu aliarum partium nostri corporis, eo quod qualitates tangibles sive extrinsecus, sive intrinsecus accedant, habent tandem modum immutandi tactum; ergo frustra diversas species tactus ponunt aliqui Autores, sed existimandum est ne sine necessitate augeantur entitatis, unicam esse speciem infinitam tactus, eamque esse in ventriculo sicut in aliis partibus.

Sed id quod diximus *cap. precedenti*, scilicet in ore ventriculi esse appetentiam alimenti tanquam in subjecto, non caret difficultate, nam si facultas appetitiva est facultas sentiens animalis, videtur difficile sedē habere in ore ventriculi, sed potius in cerebro.

Andreas Laurentius respondet facultatem appetendi esse in cerebro, actionem verò & efficientem in ore ventriculi, sicut videndi facultas est in cerebro, & efficientia visionis in oculo. Tamen si hoc intelligatur de parte ubi residet facultas tanquam in prima radice, est verum, id tamen non tollit ut ibi sit vera facultas ubi elicetur actio, & sic debet fateri in ore ventriculi esse veram facultatem appetitivam animalem.

Nos tamen dicimus potentiam appetitivam cibi & potûs nullatenus in ventriculo, neque in ejus ore esse ponendam, sed reside-

## CAPVT III.

*De Symptomatis lœsa actionis ventriculi.*

**E**RTVM imprimis est ventriculum posse pati tria illa genera actionis lœsa quantum ad suas actiones naturales, nempe ablatæ si deficiat aliqua actio naturalis; diminutæ, & depravatae. Et primò sumimus exordium à lœsa actione quæ respectu facultatis trahentis potest contingere; nam vel non trahit, vel longo tempore trahit, aut vix agrè, & hoc modo est diminuta; primo verò modo est ablata, vel denique vitiosè trahit, ut palpitando, tremendo, vel convellendo, vel vibrando, & tunc depravatae trahit. Dum autem dicimus depravatae seu vitiosè moveri, tunc de parte trahente est intelligendum, non de alimento; nam in hoc non apparent illæ differentiæ motus; & licet ut absolutè aliqua pars trahat, non est necesse ut moveatur, ut de magnete est manifestum, tamen si pars trahens habeat fibras accommodatas ad hoc opus ut ventriculus, sine dubio localiter movebitur, secùs partes quæ non habent fibras, ut ossa, in quibus hoc modo non potest coactio depravata esse, licet ex parte objecti possit dici depravatio, quando vitiosum est quod trahitur. Sed adverte quod licet ad depravatum motum ventriculi fecimus mentionem de fibris non est credendum motum hunc fieri à facultate animæ vegetativæ, sed quia juvant tractionem naturalem, idè illius motus fit mentio.

Sed ut adducamus l<sup>a</sup>esionem quam pati potest facultas retinens in suis actionibus, supponimus tunc facultatem retinentem esse secundum naturam, cùm tempus complectendi alimentum coequat cum tépore concoquendi. Hoc ergo supposito, actio retentricis potest l<sup>a</sup>edi tribus illis modis dictis, ita ut si nihil retineat, sit ejus actio ablata; diminuta est quandò non undique complectitur alimen-tum, nam cùm habeat fibras à natura institutas oblongas ad retentionem, si undique non retinet, est quia non quantum expedit contrahitur pars secundum illas fibras, vel etiam est diminuta quandò non tanto tempo-re detinetur sicut expedit ad coctionem; utrāque autem debilitatem arguit in facultate.

Sed videtur actionem retentricis non posse esse minori tempore quam expedit, quia semper ex parte alimenti, & partis retinen-tis, omnia se habent eodem modo; ergo non est cur retentio non duret magis, cùm in ali-mento nulla addatur major repugnantia, sed omissis pluribus dicendi modis, dicimus re-tentionem cessare quia fibræ mediis quibus fit, patiuntur à pondere per successivam re-ceptionem impulsū à pondere causatus qui paulatim producitur, & idē juxta majus, vel minus pondus durat retentio, vel non ex eo solū quod vincatur paulatim virtus facul-tatis ab impulsu.

Adverte ramen oportet quod inter ea duo quæ indicant diminutam esse facultatem retinentem, scilicet non undique retineri ali-mentum, vel non debito tempore illud reti-neri; hæc ultima arguit majorem debilitatem facultatis, & posse separari etiam si ambo indi-cent debilitatem, licet intensiorem & remissiorem, constabit ex signis utriusque, nam imbecilli existente complexu, hoc est quod non undique complectitur alimen-tum, sunt fluctuationes cum sonitu & flatulentia, quandoque verd non justo tempore retinetur, fit celer excretio, & corruptela ciborum in ven-tre inferiori: ergo si signis his stemus, optimè unum ex his sine alio poterit reperi-ri. Depravatio verd actio facultatis retinentis, quandoque cum palpitatione quodammodo, aut convulsione, aut vibratu, aut tremore fit.

Similiter respectu actionis expultricis sunt tres modi quibus l<sup>a</sup>editur actio; nam est abla-ta quandò nihil excernitur, ut in ileo; di-minuta fit actio quandò fit excretio tarda, & depravata quando fit excretio antequam fi-niatur coctio, quod idem est ac celer excre-tio, ut contingit in his qui in declivi currunt qui non valent se sistere.

Denique circa facultatem alteratricem, seu coetricem ventriculi, etiam possunt inveniri omnes tres prædictæ l<sup>a</sup>esiones in ejus opera-tione; nam si non coquat, dicitur ablata, si verd fiat longiori tempore quam oportet, di-minuta dicitur; & tandem depravata, si ali-mentum mutetur in alienam qualitatem quam pro natura debet.



## DISPV TATIO LII.

*De fame & siti naturalibus.*

### CAPVT PRIMVM.

*An aliqua fames & siti sit secundum naturam.*




UPPON O tanquam certum famem & siti non esse con-tra naturam, eò quod sanitate optima gaudentes, verè fa-mescunt & sitiunt; si autem fames & siti essent affectiones contra natu-ram, inducerent sensibilem l<sup>a</sup>esionem in ope rationibus, & postularent auferri per me-dica remedia; constat autem hoc esse ridi-culum, ergo nullo modo sunt præternatu-ram. Nec symptomata dici possunt, cùm nullum morbum medicum seu sensibilem supponant qui postuleret ablationem sui. Fa-mes ergo & siti naturalis dicuntur secun-dum naturam, quatenus procedunt à causis secundum naturam & inevitabiliter operan-tibus; & etiam quatenus sunt actiones à na-tura institutæ pro conservatione viventis, aliàs enim non esset cur natura ita formasset ventriculum tam acri sensu præditum; ut sentiret objectum famis, aut siti. Et licet hæ-sint sensationes dolorificæ, & ex hac parte malæ, nihilominus possunt intendi, licet non posse ut fines, tamen ut medium valde conduceat ad nutritionem, & conservatio-nem viventis. Possunt etiam dici secundum naturam, quatenus sunt operations factæ à natura, idest à principio activo, licet præ-cedat aliqua passio corporalis; est tamen alia fames contra naturam quæ per remedia medica auferri postulat, ut quæ pender ex nimia frigiditate ventriculi, aut ex pitui-ta acida. Adverte tamen quod licet dum vi-vens famescit, inanitum esse videatur, non tamen hoc sufficit, ut dicatur esse præter-naturam, nam licet cum hac inanitione complètè vivens non sit secundum natu-ram, non tamen potest dici morbosa, quia non procedit à morbo sensibili postulans sui ablationem.

Sed quæres an in fame sit appetitus simili-um, an verd contrariorum; circa quod si fames sit præternaturalis, certum est esse ap-petitum in ea contrariorum, de naturali est dubium, circa quod vel possumus loqui de appetitu animali cum cognitione operante, & hunc esse contrariorum afferit Gentilis, quia est ventriculus in dispositione non naturali, ut in frigida, sicut sitiens in calida; si autem loquamur de appetitu naturali non operante

cum cognitione, tenet esse similium, vel circa similia, quia suam conservationem quaerit ventriculus. Tamen contra est, quia si in ventriculo appetitu animali famescente, est aliqua qualitas vi naturalis quae expostulet sui ablationem, etiam appetitus naturalis non debet esse ad similia, sed ad contraria; probatur, nam si esset ad similia, esset inclinatio ad id quo augeretur qualitas ibi existens: præterea quia ventriculus famescens non postulat sui conservationem, quin potius naturaliter inclinatur ad illius ablationem.

Sed revera nobis dicendum est nullum appetitum ex his quae sunt in fame esse, neque circa similia, quia alimentum, ut posse videbimus, non est simile dispositioni illi internæ ex qua fames resultavit: neque circa contraria, quia neque est contrarium illi dispositioni, nisi longissimâ significatione vocetur contrarium, quatenus per adventum illius tollitur quod ante erat, quod non est esse contrarium; neque ex eo quod perat fames seu sitis sui ablationem, sequitur esse contra naturam eo modo quod diximus, nam temperamentum senectutis appellatur à Gal. secundum naturam, & tamen petit reductiōnem & ablationem, ergo etiamsi fames perat ablationem sui, potest dici secundum naturam modo à nobis dicto, & quia nullam facit sensibilem lassitudinem, licet cum ea male se habeat aliquo modo.



## CAPUT II.

### *Quot sint in animali dum famescit naturaliter.*

**G**ALENUS lib. de cansis symptomatum, cap. 7. circa rem hanc affirmat dum vivens famescit naturaliter, quinque reperiuntur: primum resolutio, vel exinanitio, vel vacuatio partium earum quae sunt circa cutem; secundum est appetentia naturalis earum partium quae exinanitæ sunt, quae non est peculiariis potentia, sed inclinatio quædam tertium tractio partium ordine se consequentium usque ad ventriculum à quo partes proximæ fugunt; quartum sensus suctus; quintum & ultimum appetentia animalis. Sed ex his tria prima, animalia habent communia cum plantis, & in duabus ultimis differunt, nempè in appetentia animali, & in sensu suctus, quo reliquæ partes fugunt alimentum ex ventriculo.

His ergo suppositis sic procedimus. Circa primum, à quo scilicet fiat vacuatio seu resolutio, vel inanitio illarum partium quae sunt juxta cutem; & breviter dicimus cum Galen. fieri à calore nativo nostro continuo agente in proprium humidum, & resolvente: Et licet hujusmodi resolutio à calore extraneo & ab aere ambiente juvetur, non tamen ulla ex his est causa necessaria, sed solum noster calor.

Sed contra dicta est argumentum, nam

non videtur oportere ut partes trahant alimento, eumque fugant ex ventriculo, prius exinaniri; nam facultas naturalis est attrahens quæ non potest non attrahere praesente objecto, ut potè operatur in quantum potest; ergo etiam partes quæ sunt juxta cutem non exinaniantur, sua facultate trahent ab aliis usque ad ventriculum.

Respondetur hujusmodi facultatem operari propter finem, & subordinationem quadam; quo fit ut licet ex parte agentis, vel virtutis activæ omnia in quolibet tempore se habeant eodem modo, tamen ex parte finis, non ita contingit, ac proinde pro necessitate finis operatur, & sic quandū est inanita trahit pars, secùs verò quandū non. Et licet magnes semper trahat, nihil facit contra nos; nam non est eadem ratio habenda de omnibus agentibus naturalibus.

Dices ultra: sequitur ex dictis in Athletis non reperi famem illam naturalem, nam cùm in his vasa sint adeò plena sanguine, non patiuntur partes cutanæ indigentiam ex qua debebat sequi tractio.

Respondetur non esse inconveniens concedere in Athletis non esse famem excitatam ex hoc modo tractionis per partium cutanearum resolutionem usque ad ventriculum, cùm sit materia superans in his in venis quæ possit attrahi pro satisfactione inanitionis, reperi tamen famem in Athletis, ex eo quod ventriculus privat alimento, aut indiget chylo, ut si mittatur ad jecur ob indigentiam generationis sanguinis: quo fit ut illa causa, scilicet resolutionis partium cutanearum, non sit simpliciter necessaria ad famem naturalem ventriculi.

Ex quo licet advertere, quod licet fetus in utero existens non nutritur per os, sed per vasa umbilicaria, laboret propria fame; nam licet ejus ventriculos non nutritur ex chylo, nutritur tamen ex sanguine, & cùm ex alia parte habeat sensum in illo qualis requiritur ad famem, necessarium videtur, quod per indigentiam sanguinis famescat.

Tandem in fine hujus dubij advertere oportet, quod licet Galen. non fecisset mentionem de siti naturali, non tamen debemus eam negare, inquit potius debemus credere easdem causas quas proposuimus circa famem competere sine dubio siti naturali, & præsertim prima à qua cæteræ oriuntur; nam ob consumptionem humidæ substantiæ fit attractio usque ad ventriculum ab aliis partibus in quo est sensus suctionis, & posse appetentia animalis: quod autem substantia humida, hoc est aqua, non nutrit, nihil facit ut partes eam attrahant, ut constat in pluribus exemplis.

## C A P V T III.

*An essentia famis & sitis consistat  
in sensatione, an verò sit  
passio appetitus.*

**C**UM famis & sitis affectiones dolorosae dicantur à Gal. & hoc sit satis commune inter omnes Medicos, in praesenti dubio philosophari debemus juxta doctrinam communem de actione dolorifica, an scilicet sit actio formaliter sensus, an vero appetitus sensitivi. Et ut imbuti generalibus preceptis ad peculiaria descendamus, de natura famis & sitis, imprimis supponere debemus, in fame seu siti & esse sensationem tactus, & esse actionem appetitus animalis quo fugit aut prosequitur objectum sensatum per tactum; haec enim duo sunt peculiaria in fame & siti, nam in aliis tribus causis convenient cum plantis.

Hoc ergo prænotato, licet pro utraque parte sint rationes dubitandi quas omitto, quia potius ad naturam doloris quam ad praesens dubium spectant. Dico in hac re famem & sitim formaliter consistere in actione appetitus; sensationem vero tactus presuppositi requiri ad famem & sitim, ac proinde quando communiter dicitur famem & sitim consistere in sensatione tactus, intellige causaliter, formaliter vero ad appetitum pertinere suadent plures rationes quas omitto, quia alibi sunt adductæ, ubi annotavi esse questionem de nomine questionem illam quæ inquirit an dolor pertineat ad sensum tactus, an vero ad appetitum, vide in hac re super naturam doloris Primarium nostrum Doctorem Martinez in suo opusc. de reb. naturalibus, non naturalibus & contra naturam, cap. de dolore, ubi ad latum haec omnia invenies.

## C A P V T IV.

*Quis actus sit appetitus.*

**C**UM duplex sit actus appetitus, alter fugæ, & prosecutionis alter, inquirit dubium an fames & sitis consistant in actu prosecutionis, an vero in actu fugæ ipsius appetitus. Ad quod supponere debemus in fame & siti esse actum fugæ quo fugit objectum dolorosum antea sensatum per tactum. Deinde est certum esse actum prosecutionis quo desiderat alimentum quo auferatur molestia illa, qui actus non differt à desiderio, cum sit per modum motus in finem extrinsecum: quæstio ergo est an in hoc actu desiderij, an vero in illo quo fugit animal molestam sensationem consistat fames aut siti.

Hoc ergo supposito, nobis dicendum consistere in ipso actu fugæ. Et probatur primò à simili de alterius causisque doloris natura,

*Henriquez Laurea Medica Tom. III.*

qui in actu fugæ consistit, etiam si in illis sit aliud actus desiderij quo cupiunt liberari à tali molesta sensatione: ergo cum fames & siti sint dolorosæ sensations, necessariò consistunt in actu fugæ, etiamsi desiderant alimentum quo auferatur illa molesta sensatio.

Advertere tamen oportet, quod quandò Gal. dixit sitim esse appetitum frigidi & humidi, nomine illius debet intelligi fluidi, vel substantiæ potabilis; nam quandò in alia parte sentiente est molestia à calore & siccitate, in illa est appetitus animalis frigiditatis & humiditatis, & tamen non laborat siti, oportet ergo esse appetitum fluidæ substantiæ, vel substantiam potabilem, qui solum est in ventriculo, & non in alia parte. De fame dixit etiam esse appetitum calidi & siccii; quod ita intelligi debet, ut sit appetitus illius quod habet aliquam consistentiam saltim in fine; nam licet in quantum est in reparationem substantiæ deperditæ dicatur humidum aliquo sensu, tamen quia compactam habet substantiam, dicitur siccum, prout contraponitur fluido, & in hoc sensu debet intelligi appetitus calidi & siccii; nam etiamsi sit frigidum alimentum actu, tamen ex illo reparatur substantia calida, & ideo dicitur appetitus calidi. Unde si stemus dictis Galen. solum in ventriculo erit fames & siti vera, & forsan si aliquis vult asserere esse sitim in fauces & lingua, eo quod in his partibus est eadem tunica ac in ventriculo, eadem currere debet ratio de fame.

## C A P V T V.

*Cujus substantiæ defectu sequuntur  
fames & siti.*

**F**A MES & siti contingunt cum deficit in ventriculo aliquid; in praesenti ergo dubio explicare oportet quid sit id quod deficit, ratione cuius fames & siti eveniunt, circa quod Vega tenet necessariò in ventriculo deficere non solum chylum, sed substantiam nativam, ut fames & siti excitentur, & probat quia animalia degentia multo temporis spatio in latebris terræ, per multum tempus carent fame naturali: sed non est credibile tantum temporis durare chylum in ventriculo; ergo non solum per defectum chyli, sed alterius substantiæ, nativæ scilicet, succedit fames & siti. Frivola quidem ratio, nam hujusmodi animalia abundant plurimis succis crudis & pituitâ quæ mutata in sanguinem, potest nutrire.

Quapropter mihi dicendum videtur solum per chyli defectum excitari famem. Probatur quia una ex causis famis *soprà* à Gal. enumeratis est tractio partis à parte usque ad ventriculum ubi est sensus suctionis &c. sed partes solum attrahunt chylum & alimentum ventriculi; & non substantiam nativam; ergo per solum defectum chyli succedit fames.

Secundò, quia licet maxima fames sit,


*L L 1 2 tim*

tim cessat ab assumpto cibo ; sed tunc non potest reparari in tam brevi tempore nativa substantia ergo solùm quod causabat famem, erat chylosa substantia defectus.

Sed quæres utrum in fame & siti sit ordo prioris & posterioris, ita ut necessariò vivens primò sitiat quā famescat, vel è contraria. Et respondeo inter has actiones nullum esse ordinem prioris & posterioris, sed tunc famem contingere prius, cū substantia solida prius deficit, tum verò sitim prius sentimus, cū fluida substantia prius resolvitur.

Dubitabis ulterius an simul possint esse fames & siti. Et ratio difficultatis stat in eo quod fames procedit ex nimio frigiditate existente in ventriculo, siti verò ex nimio calore; ergo videtur difficile aliquem simul habere sitim & famem.

Respondeo has qualitates posse esse in gradibus remissis, quo fit ut ambæ affectiones erunt, licet remissæ, vel dico, posse esse simul in gradibus intensis calorem & siccitatem illum excitantem, famem & sitim, ac proinde simul erunt hæc affectiones in gradibus intensis.



## CAPUT VI.

*Quid sit quod sentitur in ventriculo ut objectum, dum famescit naturaliter, aut sitibundus est.*

**C**UIQUE rem contemplanti videbitur dubium nostrum facile solutu, nam cū fames & siti sint actiones dolorificæ, sine dubio earum objectum erit aliqua ex qualitatibus primis, aut secundis tangibilibus. Sed adhuc manet difficultas ardua, nam cū plures sentiant dolores in ventriculo, & tales non sint fames, neque siti, oportet examinare quid speciale est quod sentitur in fame aut siti. Circa quod communis sententia est sentiri corrugationem quandam in ventriculo in prædictis actionibus, quæ contingit ex defectu cibi & potū, in qua corrugatione dicta debemus considerare motum localem partium, & solutionem continui factam ex illo. Ex his autem docet Vega sentiri in fame solam continui solutionem. Ratione probatur hæc sententia, quia non aliter calor tollit famem quam laxando; ergo constrictio erat quæ causabat solutionem continui, & objectum illius sensationis. Sed contra istam sententiam argumentor, quia in illa corrugatione solūm possumus considerare duo, & motum localem & solutionem continui causatam ex ipso motu; sed imprimis motus localis non potest sentiri in fame, aut siti, cū sit sensibile commune qui sine proprio sentiri nequit. Similiter non potest sentiri solutio continua, quia solutio passiva in eadem parte in qua est, sentiri nequit. Præterea quia hæc solutio continua in fame & siti est ejusdem rationis quantum ad intrinsecam; unde si quis vexaretur fame, & assumeret potum, cessa-

ret fames, & si quis vexaretur siti, & sumeret alimentum, cessaret sitis, quod est valde absurdum. Neque ad id valet quod ex diversa causa oritur solutio continua quæ est in fame quā quæ est in potu; nam id per accidens est, quoad intrinsecum ipsius objecti quod sentitur si solutio est.

Alij verò affirmarunt in fame sentiri frigiditatem; in siti verò siccitatem. Sed contra est, quia sequitur, quod si aliquis sitibundus assumeret alimentum humidum, statim auferretur sitis, & si aliquis fame laborans assumeret aquam, vel potum calidum, statim defigere famem, quod est contra experientiam.

Alij verò tenent famem naturalem excitari ab humore melancholico naturali qui à liene in ventriculum mittitur, qui quidem sua frigiditate, seu, ut aliqui dicunt, virtute quadam suâ adstrictivâ facit corrugationem in ventriculo, & expressionem substantiae alimentosæ, & sic famem excitari; objectum autem quod sentitur tunc, est frigiditas quædam, seu asperitas quæ in ventriculo remanet post talem expressionem; sed contra istam sententiam sic argumentor, quia experientia constat deficiente alimento in ventriculo sentiri famem: sed tunc non est objectum quod sentiatur aliqua qualitas prædicti humoris: patet, nam humor non fluit semper à liene ad ventriculum, neque ille qui semel fluxit semper perseverat, siquidem aut evacuatur, aut resolvitur: neque etiam est ratio aliqua quæ persuadet ut statim ac est defectus alimenti in ventriculo, lien mittat in eum humor melancolicum; nam potest tunc lien non irritari, aut gravari ad talementum expulsionem; non ergo videtur ratio quare inter prædictas partes ponamus talementum consensum necessarium, ergo cū possit deficere alimentum, quando nulla portio talis humoris in ventriculo est, erit fames, quin ab eo causetur.

Ulterius sic argumentor, quia qualitates quibus talis humor posset excitare famem, vel est frigiditas seu aciditas; & hæc non, quia per usum alimentorum frigidorum & acidorum in eadem intensione ac in melancholia, non tolleretur fames, sed potius magis excitaretur, quod videtur absurdum, & contra experientiam: vel qualitas excitans famem est virtus adstringens quæ reperitur in tali humore, & de hac potest confici idem argumentum de usu alimentorum adstringentium. Neque aciditas potest esse causa, nam hæc potius ad gustum spectat quam ad tactum, & sic nequit sentiri in ventriculo.

Præterea quia non afferunt quid sentiatur in siti naturali, nam dicere esse viam per quam jecur mittat in ventriculum bilem, sicut est via per quam lien mittat melanochiam, est præter rem, & ad libitum: præterquam quod si hoc esset verum, fierent molestæ affectiones & sensations in ventriculo quas non experimur. Et denique contra *suprà* traditas omnes sententias est argumentum difficile, nam non possunt explicari cur in aliis partibus sentientibus applicato eodem objecto quod dicunt sentiri in fame, ibi non sentiatur,

sentiatur fames, cùm sit sensus tactus, & obiectum, & cætera requisita ad talem sensationem, certè videtur difficile rationem assignare. Cum hoc tamen non negamus humorem melancholicum si fortasse existat in ventriculo non juvare, sed quod dicimus est hujusmodi humor non esse causam necessariam famis naturalis.

Sed nobis dicendum viderit in hac re sentiri quandam peculiarem qualitatem tangibilem dolorosam quæ habet ortum ex natura ventriculi ab eoque efficienter productur, supposito defectu alimenti aut potuſ tanquam conditione, est tamen diversa hæc qualitas in fame, aut siti, ut colligitur ex effectibus diversis, ut sunt appetitus diversarum rerum, quia alia pars non habet naturam ventriculi à natura institutam in subsidium nutritionis, indè est quod solum fames in ventriculo reperiatur. Hæc autem qualitas quæ sentitur neque est prima, neque secunda ex his quæ talia à nobis dicuntur, sed esse primam alterius naturæ ab illis; sic enim lumen est qualitas prima, & sonus non est propriè secunda, neque prima ex quatuor, qualitas tamen quæ sentitur est talis naturæ ut inclinet peculiariter in appetitum alimenti, aut potuſ. Neque mirandum ut in fame hæc qualitas sit quæ sentitur, cùm omnes ad hanc aut illam huic similem debeat reducere objecum quod in siti sentitur huc, usque à nullo Autore assignatam.

Sed dices contra hanc conclusionem; nam cùm hæc qualitas oriatur à principio interno ventriculi est formaliter in organo; ergo non sentitur, siquidem non potest producere speciem sui, sed si dicamus hanc qualitatem non indigere specie ut sentitur, sed ipsam qualitatem realē esse principium suæ sensatio-  
nis, nullam habet vim argumentum. Tamen in sententia communi concedente species, dicimus non sentiri in parte in qua, sed à parte contigua; sed hoc habet difficultatem, nam qualitas tangibilis non sentitur nisi prævio affectu reali, sed nulla sit immutatio ab una parte ventriculi in aliam; nam una pars carnis, aut nervi non sentit mollitiem, aut duritatem alterius. Et ratio est quia cùm nullam realem immutationem recipiat, neque speciem recipere valet; sed oportet aliquid præsumum produci ab una parte ventriculi in aliam ut sentiatur prædicta qualitas in fame. Quod autem producatur, fatetur noster Petrus Garcia, & affirmat non posse certò determinare quid sit præsumum quod productur; quod quantum difficile sit, jam constat.

Advertere tamen oportet, quod licet talis qualitas quæ sentitur in fame oriatur à natura ventriculi, deficit tamen per præsentiam alimenti, & productur per defectum alimenti, non quia ventriculus mutetur quoad intrinsecum, sed quia est finis extrinsecus ad quem ordinatur fames, & sic illo posito cessat, & ablato productur, sicut aliqui dicunt de vacuo, nam eo posito, concedunt aliqui in corporibus contiguis principium cōnaturalē quo moventur ad replendū vacuum, ita ut illo posito fiat motus, & illo deficiente cesseret, & tamen finis externus est. Cùm hoc tamen bene stat humor melacholicum, & alia

frigida conferre ad famem magnopere, quatenus ad corrugationem conductit, quæ corrugatio conductit ad famem, quatenus est necessaria conditio ut aliqua qualitas dolorem faciat, sit autem illa corrugatio ab illa qualitate quam diximus, & sic non tollitur per aliquam qualitatem primam ex positis.


Sed in hac re mihi videtur dicendum probalius esse existimare naturam ad actionem tam necessariam instituisse viam per quam lien continuo communicet melacholiam naturalē quæ excitet famem sua qualitate adstrictiva mediā quā facit corrugationem, & expressionem quæ conductit ad famem supposito defectu alimenti (sicut ait Petrus Garcia de qualitate illa occulta tangibili) tanquam conditione, ita ut posito alimento cùm deficiat finis extrinsecus, non operetur humor melacholicus, neque adstrictionem illam faciat, vel quia obtunditur ab alimento; melius enim est assignare causam manifestam, licet cum aliqua difficultate quām confugere ad qualitatem occultam cui quælibet operatio quantumvis difficilis pro libito potest attribui.

Verum tamen est adhuc manere insolatum quid sentiatur in siti, & adhuc difficile est explicare in hac nostra sententia, in qua dicimus fieri famem ab humor melacholico misso à liene in subsidium famis in ventriculum, quod est objecum quod ibi sentitur: tamen possumus respondere quod sicut in alia sententia in qua dicit Petrus Garcia humor melacholicum conducere ad famem: tenetur assignare quid peculiare sentiatur vi humoris talis, ratione cuius sit major fames, ita in hac nostra idem possumus assignare quod in illa Contrarij assignare tenetur.



## DISPUTATIO LIII.

*In qua continentur vitia, quæ circa lasam appeteniam ventriculi contingunt.*



## CAPVT PRIMVM.

*De Canina appetentia.*


 **P**PETENTIA sicut & reliqua actiones potest pati ablationem, diminutionem, & depravationem: deprevata actio vel potest esse ob nimiam cibi appetentiam, vel ob alienarum qualitatum desiderium; ex his ergo canina appetentia una est, quæ dicitur immodica ciborum appetentia, ita ut hac affecti cum ingerendis nimis cibos modum excedunt, ita ut se sustinere nequeant, indè est, quod gravato ventriculo his alimentis non potente sustinere molestiam ad vomitum se vertunt,

quemadmodum contingit in canibus, ob quan similitudinem canina vocatur hujusmodi appetentia: contingit etiam sàpè si non vomant, ut fluore alimentum dejiciant. Ex quo constat esse symptoma depravatae actionis pertinens ad facultatem sensitivam sen animalē ventriculi; dicitur autem depravata, quia aucta est illa actio facultatis sensitivæ ventriculi, quâ sentitur immodicè objectum famis, cum qua consentit actio appetitus ob connexionem quam habet cum molesta illa sensatione tactus. Ubi advertas, quæso, ad id non esse necessarium quod communicetur aliquid à ventriculo in partem ubi resider appetitus, sed sufficit connexio & concomitantia quæ inter dietas potentias reperitur.

Cùm autem causetur hujusmodi appetentia ex acido succo & frigido, & ob nimiam resolutionem totius corporis, ratione cuius partes trahunt ex ventriculo & exinanit, & statim resultat à natura ventriculi qualitas illa tangibilis dicta, in magna intensione, dicendum est morbum à quo procedit prædictum symptoma non esse unum, sed quandoque esse distemperiem frigidam, sive cum humore, sive sine illo, quandoque verò calidam distemperiem, quatenus facit prædictam resolutionem, ex qua sequitur attractio à ventriculo, & sensus, juxta ea quæ *suprà* diximus: vel possumus dicere calorem immodicum adhuc existentem in ventriculo causare famem caninam quatenus resolvere valet humiditates & superfluitates, vel substantiam humidam & calidam, ex quorum defectu redditur ventriculus frigidus, & sic excitatur fames dicta. Semper tamen est verum quandò excitatur fames dicta ob resolutionem partium ob quam fit attractio, & inanitio in ventriculo, quod patitur ventriculus, & morbo laborat per intensionem illius qualitatis tangibilis quæ intensioni modo tunc sentitur, qui morbus aliquo sensu potest dici per consensum, quatenus sequitur ad defectum ejus quo indigebat, in rigore tamen non patitur per consensum, quia invariato quoad intrinsecum resultat illa qualitas, ut diximus.

Tandem aliam causam addimus, scilicet vermes existentes in intestinis, aut in ventriculo; nam non ob aliam causam distempries calida in toto corpore causat appetentiam caninam quia per attractionem partis à parte causat defectum alimenti in ventriculo; sed hoc idem faciunt vermes, ergo possunt caninam appetentiam causare. Ex quo licet conjectare ad prædictum symptoma non esse necessarium ventriculum pati morbum, sed satis esse morbum esse in corpore à quo medio alio symptomate procedat prædicta appetentia canina. Quando autem ex vermis procedit morbus, vel sunt ipsi vermes, ut aliqui voluerunt, in numero aucto, vel ut melius aliqui, morbus est illa mala dispositio quæ est in corpore qua generantur vermes, quo fit ut hic morbus medio hoc symptomate in retentis præternaturam scilicet mediâ retentione vermium causet defectum alimenti à quo ortur actio læsa prædictæ appetentiae caninæ. Etiam licet advertere non esse ne-

cessarium in hoc affectu esse vomitum illius quod devoratur; nam quando fit ex resolutione partium à nimio calore, potius fit attractio alimenti ex ventriculo, & inanitio in eo; non ergo est causa necessaria, sed contingens.




## CAPVT II.

*De fame quæ dicitur boulimos.*

**B**OULIMOS idem est ac magna fames quæ dicitur hoc nomine, quia boves eā corripi solent, quapropter Avicenna appellat eam famem vaccinam. Est autem boulimos symptoma non simplex, sed compositum ex indigentia alimenti omnium partium corporis præter ventriculum, & ex diminuta, aut ablata actione appetitiva ventriculi; unde constat esse symptoma compositum ex actione depravata omnium partium corporis præter ventriculum, & ex actione ablata, aut diminuta hujus; contingit autem esse appetitiam ablatam, aut diminutam ob magnam frigiditatem, sive internam, sive externam mortificantem partem, licet etiam possit ita laedi ventriculus à distemperie calida ibi existente, licet non ita frequenter. Unde constat illam immodicam indigentiam partium esse symptoma procedens à morbo ventriculi, ratione cuius non assumit alimentum, undè partes trahant; in partibus verò talis defectus alimenti non est morbus, siquidem facultates naturales non patiuntur per consensum, ut *suprà* ostendimus. Sed existimo etiam posse dixi symptoma distemperie calidae à quo fit illa resolutio alimenti, ratione cuius sequitur illa indigentia.

Constat ex his satis distingui famem caninam & boulimum: aliqui tamen voluerunt semper famem caninam ad boulimum præcdere, ed quod frigiditas intensa à qua fit inappetentia ante fuit remissa, & sic causabit famem caninam: sed licet frequenter ita fiat, non tamen est necessarium ita fieri Medicè loquendo, quia potest ita breve esse tempus, ut insensibile sit; undè etiam advertere licet in hoc affectu esse duplicum morbum, in distemperie calida unum, à qua fit resolutio, ratione cuius fit illa indigentia in venis, & in distemperie frigida alterū, à qua fit mortificatio illa & inappetentia. Ex quo pater ad hunc affectum non sufficere solam distemperiem ventriculi, tamen ut *suprà* diximus non implicant inappetentiam illam quæ est in boulimo, fieri à calore.



## CAPVT III.

*De fame, pica dicta, sive citta.*

**M**ISSA nominis etimologia de fame dicta pica seu citta, ad id quod majus est oportet calamum extendere. Et primò fames

fames pica est symptoma depravatæ actionis appetitivæ potentia ventriculi quo res alienæ & diversæ naturæ appetuntur ; quæ ratione hoc affectu laborantes appetunt multoties carbones , & alia aliena & contraria nostræ naturæ ; hujusmodi autem affectus frequenter contingit in mulieribus pravis succis abundantibus , præsertim si menses sint suppressi , & etiam contingit in mulieribus prægnantibus , præcipue in tribus primis mensibus , in quibus non est tanta attractio humoris inducentis hoc symptoma à foœti.

Difficilius tamen est explicare à quo morto procedat hoc symptoma : ad quod prius oportet examinare causam hujus mali , & modum generationis illius, circa quod Galenus affirmavit causam esse vitiosum humor inibitum in tunicis præcipue oris ventriculi . Sed adhuc restat ut explicemus modum quo ex imbibito illo humor fiat talis appetitus , hoc tamen pendet ex alio dubio , scilicet an talis appetitus sit ad contraria respectu humoris ibi existentis , an verò ad similia . Circa quod nobis dicendum est esse appetitum ad contraria illi humoris à quo causatur talis appetentia , vel pica fames . Probatur quia talis humor est præternaturam ventriculo & sensatio quæ in tali fame est , non est voluptuosa ; ergo debet esse appetitus ad contraria . Patet consequentia , nam cùm sit contranaturam , necessariò debet esse molesta , ac proinde debemus appetere ejus ablacionem ; constat etiam hæc veritas ex ipso Gal. lib.art. Med. cap.63 , dicente , *Mala verò temperatūra , qua ratione morbi ventriculum occupant , hoc differunt ab his , qua naturales existunt , quia contraria , non vero similia appetunt* . Deindè quia aut sermo est de appetitu naturali , & hæc semper est ad contraria , nam semper est in subiecto inclinatio ad ablationem rei sibi præternaturali & molestæ , vel sermo est de appetitu animali , & hic etiam debet esse ad contraria ; nam talis appetitus non solùm sequitur actionem vel cognitionem sensus interni , sed tactus existentis in ventriculo , ergo si tactus sensatio est molesta , actio appetitus erit ad dissimile , & non ad simile , ut potè non potest molestiam desiderare , & appetere .

Mihi tamen videtur dicendum omnem appetitum esse ad simile causæ excitanti talem appetitum ; si autem est præternaturam , etiam erit appetitus , ad id quod est præternaturam viventi : si verò est causa excitans appetitum naturalis , erit appetitus ad id quod est secundum naturam viventi , & in hoc sensu est intelligendus Galenus quandò dixit *Mala temperatūra in hoc differunt ab illis que talia non sunt , quod appetant contraria* , intellige contraria viventi , non tamen contraria causæ excitanti talem famem . Vallesius tamen ita interpretatur Galen . ut affirmet quod quandò dixit *Mala temperatūra conducunt ut appetant contraria* , debet intelligi dummodò non sit redundantia horum pravorum qui imbibiti sunt in tunicis oris ventriculi , quia in tali casu semper est appetitus ad simile causæ excitanti talem appetitum .

Alij dixerunt sententiam Galen . esse intellegendam in intemperie fiente ; tunc enim est

appetitus ad contraria , secùs verò in intemperie jam facta ; hæc enim semper ad simile excitat appetitum . Hæc sententia sicut & Vallesius est impugnata à Petr. Garcia proprio capite juxta verò doctrinam *sprā dictam* à Petr. Garcia quandò in ventriculo est appetitus rerum alienarum à nostra natura , sentitur quædam qualitas tangibilis quæ causa est cujusdam dolorosæ sensationis quæ proprio nomine non potest nominari ; cùm autem humor præternaturam ibi retineatur , ibi est symptoma in tertio genere ; producitur autem à distemperie cuiusdam partis ventriculi , aut alteriusundè morbus ibi erit in distemperie quadam orta à vitio illius humoris qui retinetur , à quo prædictum symptoma evenit .

## C A P U T I V .


### *De inappetentia & cibi fastidio.*

**I**nappetentia & cibi fastidium actiones læsæ appetitivæ potentia existentes in ventriculo sunt , & communiter à Medicis pro eodem usurpantur , ita ut inappetentia dicatur actio ablata , si universaliter contingat , si verò non , erit actio diminuta appetitivæ potentia , solum potest esse discrimen , ut omne cibi fastidium inappetentia sit , non verò omnis inappetentia est cibi fastidium ; nam cibi fastidium postulat in ventriculo aliquid præternaturam , ratione cuius abominatur ea alimenta quæ utilia sunt . Cum quo optimè stat , ut cibi fastidium per inappetentiam explicetur tanquam per rationem superiorem in eo imbibitam .

Sed adhuc restat explicare an in cibi fastidio propriè dicto sit necessarius aliquis actus appetitus qui sit fuga & aversio , & dicendum nobis est cibi fastidium totale esse quandam inappetentiam cum actione ventriculi , & appetitus ablata ; si verò inappetentia sit circa quædam alimenta , & non circa altera , erit tunc actio diminuta ; hoc autem contingit quin necessariò sit aliquis actio appetitus aversionis , seu abominationis circa objecta utilia , & sibi similia ; quod autem aliquandò aliqui respuant & aversentur alimenta , ex alia causa procedit , nempè quia taliter affecti auditis , aut visis mediâ internâ sensatione , aut alio *Nisi sit sensu , pérceptis alimentis , aut sola recordatione appetitus movetur ad talem actum , ed quod ratione ad-* *aliquid vertentur* *ventriculus moveri ad nauseam , aut tie ari-* *vomitum , non quidein quia ventriculus ali-* *quid recipiat de novo , sed propter subordi-* *nationem quandam , sicut res pessimi odoris* *solent subverttere ventriculum , nihil in ipso* *recepto ; solà etiam cognitione sensus externi* *potest ventriculus illa pati ob eandem ratio-* *nem ; totum quod non fit necessariò in cibi* *fastidio , cùm faciat illa aversio , quin ventri-* *cùs tactus suo percipiat aliquid de novo , ra-* *tione cuius hujusmodi aversiones fiant . Quæ-* *res undè est illa apprehensio objecti per modū* *nocentis , si tactus ventriculi non operetur .* *Respondeo ex eo quod non sentitur aliquid ex* *indigentia*

indigentia, quod incitet ad assumenda talia alimenta non prosequitur.

Ex his inferre licet, in cibum fastidientibus præter inappetentiam & cessationem actionis ventriculi, posse esse rationem symptomatis in actione lœsa depravata; nam jam diximus quod licet non sit necessarium in his reperiri illos actus aversionis, tamen quando revera sunt, non potest negari quin sint actiones symptomatice in actione depravata; nam fastidiunt de alimento quod appetere debebant; hoc autem symptoma habet ortum à morbo quo laborat ventriculus dum laborat inappetentiæ, seu cibi fastidio; neque est inconveniens ab eodem morbo nasci actiones ablatas in una parte, & in alia inducere alium modum lœsionis in actione depravata, quin in parte aliqua irritatio de novo in ventriculo; Galen. verò neque Autor hunc modum, neque causam horum symptomatum non explicat.




## CAPUT V.

### *De quibusdam causis inappetentiae, & fastidij.*

 **M**issis pluribus causis fastidij, & inappetentiae, quia nihil peculiare difficile continent, ad eas quæ aliquid scitu dignum continent oportet animum erigere. Et primò Autores inter causas inappetentiae ponunt calorem, sive sit cum humore, sive secus, & frigiditatem si sit immodica, & nimis intensa; nam secus valet ad excitandam famem, ut dixi; sed quâ ratione hujusmodi cause valeant facere inappetentiam satis disputatum, & dubitatum est apud Scriptores, & omissis variis modis dicendi circa hanc rem quos quisque videre potest apud Petrum Garciam, ad nostrum placitum percurrere necesse est. Et si stemus doctrinæ dictæ *suprà* de objecto famis, non erit difficile semitam à columnis liberam invenire. Cum ergo objectum famis sit peculiaris qualitas tangibilis, dicendum est, idè frigiditatem (non immodicam, ut diximus) conducere ad famem, & quia expressionem alimenti facit, corrugationemque, & quia est dispositio, & conditio accommodata, ut illa qualitas intensior dimanet à natura ventriculi; quo sit ut illa sensatio, existente frigiditate dicta, fiat cum majori molestia, & sic fantes excitetur major illa existente quam si non existet. Calor verò idè impedit famem, quia laxat, & quia indispositio est ut illa qualitas tangibilis quæ est in fame resulteret, & dimanet ab ipso ventriculo, & sic cum producat dispositionem contrariam ab illa quæ requiritur ad famem, causat inappetentiam & cibi fastidium.

Rutus advertere oportet Avicennam inter causas prædictæ inappetentiae posuisse debilitatem jecoris, quod idè fecit quia in illo posuit facultatem concupisibilem. Deinde

aliam assignat, scilicet consueta alimenta, talia enim dejiciunt appetitum; hæc tamen causa debet intelligi non in corpore temperato, & bene se habente quoad omnia, sed in corpore parato cadere secundum appetitum; quod ex eo est, quia in corpore bene temperato, & bene se habente secundum appetitum consueta alimenta conducunt pro conservatione illius quod secundum natum est; at verò in parato corpore ad inappetentiam alimenta consueta nocent, & quod conducant ad illam intemperiem inducendam quæ vi consuetorum alimentorum incepit produci. Aliam denique causam inappetentiae enumerant Autores, scilicet repletio, quâ positâ, cum non sit necessitas tractionis, non fit suctus, & sic non fit fames, idè verò non attrahunt partes, quando non sunt repletæ humoribus, & alimento, quia tunc natura est valde intenta in coctione & nutritione, & sic deficit ab attractione, quod difficile est juxta ea quæ de divertentia animæ diximus in actionibus animæ vegetativæ. Melius tamen, meo videri, respondebimus si dicamus repletione existente deficere attractionem, quia tunc habet pars quidquid requiritur ad operandum juxta finem extrinsecum.



## CAPUT VI.

### *De siti contra naturam.*

**S**i tis sicut & fames, alia est naturalis, alia præternaturam; illa dicitur quæ sequitur causas naturales, ut est illa quæ post alimentum continuè sequitur, & quod ratione illius humidum consumitur; alia dicitur præternaturam, ea scilicet quæ causam præternaturam sequitur, ut est ea quæ sit à calore & siccitate præternaturam humidum resolvente, vel ab humore calido & sicco, vel falso. Ex quo sequitur sitim præternaturam contineri sub omnibus generibus actionis lœsa; nam potest esse actio sitis ablata & diminuta, & denique depravata, non solum per augmentum, & quod nimiam potionem appetant laborantes, sed quia varias & alienas potiones desiderent, ad modum quo de fame canina & pica diximus; quæ omnia sunt symptomata in actione lœsa facultatis animalis; undè si causis sitis quas numeravimus stemus, constabit morbum à quo sitis præternaturam procedit, aut esse distemperiem calidam, aut sicciam.

Sed quæres an sola calida intemperies, vel sola siccitia possit facere sitim: Et quidem in hac difficultate primò dicimus sitim morbosam posse produci solum per consumptionem humidæ substantiæ potabilis, absque eo quod aliqua siccitas ab extrinseco producatur in ventriculo. Probatur: nam prædicta substantia potest deficere distemperie calidâ morbosâ existente in partibus prope cutem, & propter maximam resolutionem exiccate partes posse trahere à ventriculo eodem modo ac in fame canina orta ex tali causa, in tali autem casu erit siccitia distemperies non ab externa

terna causa, sed ab interno principio potest resultare per defectum humidæ substantiæ. Addimus ad hoc non esse necessarium calorem illum præternaturam producere aliquem gradum siccitatis morbosæ ut fiat sitis præternaturam: nam si ad siccitatem naturalem sufficit non produci aliquem gradum siccitatis, sed solum consumi humidam substantiam potabilem; si hæc consumptio fiat vi morbi calidi, sine dubio erit symptomatica, & per consequens sitis præternaturam quin producatur vi caloris aliquis gradus siccitatis morbosæ, & ob eandem rationem siccitas potest hoc idem facere sine calore morbo, quo manet solutum dubium.


Dices: ad situm est necessaria corrugatio: sed hanc non potest facere calor, nam iste laxat potius ex Galeno: ergo non potest causare situm.

Respondet dicendo illam corrugationem produci à qualitate tangibili quæ sentitur in siti; hæc autem est majoris efficacitatis ad faciendam corrugationem quam calor ad laxitatem; semper enim tenere debemus ad situm, præter calorem aut siccitatem esse qualitatem illam tangibilem quam sentimus. Denique advertere oportet humores falsos, biliosos, aut nitrosos non aliter excitare famem quam calefaciendo & exicando, ratione suprà posita.



## DISPV TATIO LIV.

### *De his quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi.*



## CAPUT PRIMUM.

### *De Singultu, quid sit, & quomodo fiat.*

**S**NTER ea quæ pertinent ad facultatem expultricem ventriculi, singultus est præcipuus affectus, qui sic ab Avicen. explicatur *fen 13. lib. 3. tract. 5. capite 19.* *Est motus diversus complicitus sicut spasmus, constrictivus cum tensione dilatativa, existens in ore stomachi, aut toto corpore ejus, aut meri.* Oportet autem singula perpendere: Imprimis dixit esse motum diversum, quod idem dixit quia erat contra naturam, & sic diversus à naturali, estque sermo non de motu rei quæ intra ventriculum movetur, sed de motu ipsius ventriculi, quia iste præternaturaliter movetur: Ex quo patet esse symptoma in actione læsa depravata, non solum quia aucta, sed quia erronea ex parte modi constat, cùm neque sit diminuta, neque ablata; facultas autem quæ ita operetur est expultrix ventriculi

quæ movetur ad expulsionem rerum molestantium motu simili convulsivo, licet neque sit vera convulsio, cùm hæc sit solum passio muscularum & in ventriculo tales non sint; & quia non est motus compositus ex constrictione & dilatatione, sed tantum in retratione consistit, & denique quia solum fit à morbo, singultus verò à facultate fit; neque est motus convulsivus, cùm etiam sit proprius solum muscularum: dicitur autem singultus convulsio, vel motus convulsivus, non quia verè taljs, sed quia similis est motui convulsivo; hic autem motus constrictio & dilatationis similis convulsivo, sive causetur per inanitionem, sive per repletionem fiat, quia parte sentiente irritata fugit & facit motum constrictio, non solum ut fugiat à re nocente, sed quia per ipsam constrictio se preparat pars ad ipsam expulsionem, ut experientia contingit, in his qui brachio pellunt lapidem; nam retracto brachio versus posteriore, fortius impellitur versus anteriora, similiter qui saltant prius contrahuntur, ut vehementiorem motum edant dilatatione; sic ergo in singultu constrictio non solum fit ut pars fugiat à nocente, sed ut fortius pellat nocivum motu dilatationis qui postea sequitur, medio impulsu; non quidem fit expulsio in singultu per expressionem media constrictio, sicut quandò pellitur aqua existens in spongia, sed mediâ dilatatione per impulsu quem facit pars in rem molestantem.


Hujusmodi autem motus contractionis qui in singultu reperitur fit à fibris dispersis per totam tunicam illius tanquam ab efficienti. De motu dilatationis est major dubitatio, nam quandò fit à siccitate ratione inanitionis, tunc qualitas inherens non sentitur, & sic non est cur moveatur ventriculus ad expulsionem, cùm nulla sit irritatio. Ob id affirmavit Avic. quod quandò singultus fit abs inanitione, contractio fit solum à siccitate, & dilatatio fit non ad expulsionem, sed quia natura contraoperatur alteri motui constrictio; propterea quod ratione contractio à siccitate facta fit sensus molestiae ex solutione continui facta à siccitate. Sed quam alienum sit hoc à ratione constat, cùm tam compressio quam dilatatio sint actiones depravatae facultatis expellentis, ac proinde ad expulsionem nocivi debent ordinati; quomodo verò id contingat in singultu ex inanitione, constabit capite sequenti quo solvetur dubium primò positum. Sed à quo efficienti fiat dilatatio non explicat Petr. Garcia, quia cùm diversa ratio sit de fibris quam de muscularis, ut potè per constrictio unius dilatatur pars altera muscularis, at verò cùm fibræ in ventriculo existentes solum habent unum motum contractionis, ibi non currat ratio eadem ac in epilepsia. Nam ibi dilatatio fit à muscularis sicut & contractio, in singultu verò licet contractio fiat efficienter à fibris, dilatatio verò non videtur à qua efficienti fiat, cognitio neq; explicat P.G. nisi dicamus esse aliam facultatem motivam in ventriculo quam movetur ad expellendum per motum dilatationis medium impulsu communicato rei expellendæ.

M M m.

Dices:

sit voluntaria, & expelli debet, est intra tunicas; ergo non potest recipere impulsum per dilatationem. Pro nulla erit batur quia corpus quod impellit alterum, non difficultas recedit ab eo, sed potius accedit ut imprimat impulsum in illo, sed per dilatationem cum pori & cavitates fiant majores, partes magis distant, ergo & magis recedunt latera ab humeris, ac per consequens illo motu non impellitur humor, sed potius ipse decidet, vel resolvitur, sicut aqua existens intra cavitatem spongiae decideret si partes lateris fierent distantes. Sed hoc argumentum adhuc habet eandem vim contra afferentes communiter motum convulsivum fieri à facultate irritata ad expulsionem. Respondetur tamen in utroque casu, verum esse quod probat argumentum; si quandò dilatatur ventriculus, vel quælibet alia pars, partes solùm distarent per præsentiam localē, toto omnimodè quiescente, tamen cum reverà totum moveatur, etiamsi pori dilatentur, accedit humor unius aut alterius parti, & sic impellitur ratione impulsus ab ea producti. Ex quo fit & ex dictis posse dici in singultu contractionem fieri ante dilatationem, esséque illam priorem hac, quia contractione veluti præparatur pars ad faciendam expulsionem per dilatationem cum majori impetu.

Hinc etiam colligere debemus differentiam inter vomitum & singultum esse, quia in singultu humor est contentus intra tunicas, & sic esse vehementiorem propter maiorem affixionem quam habet materia nocens; in vomitu vero materia est in ipsa cavitate ventriculi, & sic non indiget motu tam vehementi, sed cum minori impetu, ob quod in vomitu materia expellitur, non vero in singultu, etiamsi quod non expellatur possit esse alia causa. Neque ob hanc differentiam debemus existimare solùm differre vomitum à singultu secundum magis & minus, nam singultus duplici illo motu constat à nobis explicato, vomitus vero non; nam ut expellat materiam nocentem ventriculus per vomitum non oportet illum modum motus facere qualem in singultu ad quem dicebamus requiri contractionem ut melius fieret dilatatio & expulso, & ut fugeret, rem molestam, nam in vomitu contracatio non est necessaria, quia materia non est ita affixa ut in singultu, & quia nullus ex Medicis appellavit vomitum similem motui convulsivo.



## CAPVT II.

### De parte affecta, & causis singultus.

**D**ICIMUS indubitatum est partem quæ non habet principium motus localis non posse pati singultum, neque motum convulsivum, cum constet in prædictis affectionibus partes moveri localiter in expulsionem nocivi, instrumenta autem motus lo-

calis sunt fibræ, aut musculi; etiamsi cerebrum sine his moveatur localiter, tamen quia est principium unde derivatur virtus, natura dedit illi principium motus sine prædictis instrumentis.

Hoc ergo supposito, certum est in singultu partem affectam esse ventriculum, vel secundum os ejus, vel secundum totum corpus ejus, cum quo tamen etiam est verum gulam seu cesophagum posse pati singultum, quia constat duplici tunica, & genera fibrarum ejusdem rationis cum illis qui sunt in ventriculo quantum ad usum, & sic viderur probabiliter posse concedi pati posse singultum: & licet uterus constet etiam fibris, & sensu, tamen non potest dici pati posse singultum, quia sunt quædam symptomata & morbi qui accipiunt peculiarem denominationem à parte affecta, licet ex natura rei non differant aliis, ac proinde licet in utero reperiatur similis motus, tamen non dicetur singultus nisi talis motus sit in ventriculo. Neque existimare oportet pertinere ad thoracem singultum eò quod sternutatione auferatur; nam hoc contingit quia ex tam vehementi motu contractiuntur partes ventriculi, & ita pellitur materia; sic etiam uterus laborans suffocatione potest juvari sternutatione, ergo optimè compatitur, singultum esse solam passionem ventriculi, & auferri sternutatione.

Circa causas est quod dicamus, & primò certum est duas causas enumerasse Galenū, repletionem scilicet & inanitionem; repletio autem in tantum causat singultum in quantum sua quantitate gravat ventriculum & irritat ad expulsionem: de inanitione vero est major difficultas quomodo id faciat, id est quomodo à siccitate quæ per inanitionem resultat, in ventriculo fiat singultus; & dicimus, omissis aliis quæ nihil utilitatis affert, à siccitate causari occasionaliter, quatenus eā existente in ventriculo contingere potest, ut aliquid fluat ad ventriculum, ut quandò evacuatio sit nimia, & loco ejus succedit, quod yaleat irritare & facere illum motum, & quia aliquid in ventriculo manet, redditur recepta siccitate acris & mordax, & sic irritat; aut quia ob densitatem quam causat in poris ventriculi magis detinet aliquam substantiam nociva, & sic occasionaliter à siccitate causatur; hoc autem ultimo modo etiam à frigiditate occasionaliter potest causari, quatenus densare potest poros, ratione cuius detineatur aliquid in ventriculo quod molester, est etiam occasio frigiditas, quatenus reddit materiam magis contumacem; sive iliter tam calor quam frigus possunt causare singultum quatenus possunt solutionem continui causare in ventriculo, & sic inferunt molestiam; ergo non repugnat in tali casu ut irritent ad expulsionem, non aliter ac causatur præter has dictas causas ab humoribus acribus serosis, & medicamentis stomachum mordentibus, ut contingit in his qui piper devorarunt, aut alterum calidum medicamentum sumperunt, & deinde super id calidam potionē biberunt. Ex quo patet omnes prædictas causas mediante irritatione & molestia causare singulum,

tum, unde etiam constabit non esse unum genus morbi à quo causetur singultus, sed plures, quos attentis causis quilibet potest conjectare.

## C A P V T III.

## De nausea &amp; vomitu.

**V**T optimè naturam humorum perpendamus, oportet à definitione incipere. Circa primum sic Avicenn. vomitum definit, *Est motus ventriculi ad expellendum ex eo aliquod quod est in eo per viam oris*: Nausea verò est impetus ventriculi, vel inclinatio quædam retentâ causâ ad vomitum, quæ quidem inanis & sine vomitu solet appellari. Hinc fit non distingui hos affectus secundum magis & minus, adhuc quia non semper procedit ex debilitate non expellere materiam, sed ob alias causas; solum ergo differunt accidentaliter, eo quod in vomitu sit expulsio materiae, in nausea verò licet sit idem motus in ventriculo, tamen nihil expellitur; hinc fit esse symptomata in actione læsa secundum depravationem, nam constat non esse diminutam, neque ablatam. Fit ergo depravatè ex parte modi quælibet ex his actionibus quia fit media irritatione, & quia fit ancta præternaturam, utpote quælibet ex his actionibus fit intensior quam naturaliter contingere solet; facultas autem quæ patitur est expultrix naturalis quæ medià irritatione pellit. Ex his facilè erit intelligere à quo morbo procedat, nam licet immediatè procedat, quia causa irritat ventriculum, & fit dolorosa sensatio quæ habet adjunctam solutionem continuam, tamen præter hanc esse potest alter morbus considerandus vel ex parte quæ generat materiam, vel productus ab ipsa materia quæ molestat.

Sine difficultate assignatur principium effectivum dilatationis ventriculi in vomitu, & in singultu, & in nausea, & similiter in palpitatione, si concedamus tam ventriculo quam cordi facultatem quandam animalem motivam quam contrahunt & dilatantur istæ partes ad expellendam causam molestantem quæ operatur supposita sensatione, & non indiget musculis; neque ejus operatio est nobis voluntaria, propterè quod sequatur gradum sensitivum tantum, & non sensitivum rationale. Vide ad hoc nostrum Primarium Emanuelum Martinez *Suō tomo de rebus naturalibus, nonnaturalibus & contra naturam, opusculo de passionibus animi, in ultima quæst. in secunda parte, ubi invenies rationem ob quam talis facultas debeat poni, & modum quo ab illa fiant affectiones cordis & ventriculi prædictæ.*

## C A P V T IV.

*An vomitus sit evacuatio naturalis.*



U M dictum sit juxta doctrinam P. Garc. vomitum esse symptoma in actione depravata facultatis expulsive, videtur dubium impertinens; nam quod est symptoma, non potest esse naturale. Sed nihilominus dicere debemus vomitum posse dici naturalem & contranaturam. Dicitur naturalis quatenus illa actio sit instrumentis naturalibus à natura ad id destinatis, & à facultate quæ convenit viventi secundum naturam; ac proinde attento principio efficienti & instrumento, talis motus dicitur naturalis: sed quia licet hoc sit verum, est etiam verum, hujusmodi actionem esse læsam quia procedit à morbo, & fit irritata natura à causa præternaturam, ac proinde dicitur etiam ex hac parte contra naturam; advertere tamen oportet vomitum non fieri contractione fibrarum oblongarum versus os, quia hic modus repugnat ex parte formationis & adhaerentiae quam habet cum tunica interna; potius ergo fit à fibris transversis existentibus in tunica externa, ac proinde licet per eandem viam & per eandem tunicam possint fieri de glutitione, & vomitus, non tamen eisdem instrumentis, fibris scilicet.

## C A P U T V.

*De parte affecta & causis.*



O N V E N I T inter Autores in vomitu & nausea partem affectam esse ventriculum, sed videtur quod licet in utraque affectione patiatur ventriculus non secundum eandem partem, nam in vomitu patitur secundum cavitatem, ita ut causa ibi existens evacuerit, in nausea verò patitur secundum tunicas, ed quod causa molestans ibi sit imbibita; propter quod in nausea fit impetus & inclinatio ad expulsionem, nihil tamen in ea expellitur; cum hoc tamen bene stat ut non patiatur necessariò in nausea ventriculus secundum tunicas, nam optimè potest materia esse in cavitate ventriculi, & propter debilitatem facultatis non expelli, in quo casu erit vera nausea.

Circa causas est quod dicamus omisssis tamen aliquibus quæ nullam nobis afferant utilitatem, ut de reliquis agamus, præmittere oportet tria esse consideranda in objecto vomitus, aut in causa quæ irritat ventriculum ad vomendum, & qualitatem, & quantitatem & aliena à natura, seu id quod à tota substantia est alienum. Neque id solum in vomitu debemus attendere, sed etiam in qualibet alia

M M m 2      expulsione

expulsione quæ sit præcedente sensu. Hoc ergo supposito restat quomodo qualibet causa ex his operatur, & quid producit in parte, ratione cuius inferat molestiam. Et quantum ad duas causas res est facilis; nam quantitate immodica sentitur pondus per speciem sui præcedente aliquâ solutione continui, quo sit ut facultas gravata & molestata moveatur ad expulsionem; præterea quæ qualitate mordaci irritant, etiam inferunt molestiam præsuppositâ aliquâ continui solutione: Quid verò producatur in parte à qua fiat talis len-satio, diximus jam *supra*; major verò difficultas est, in eo quod dicamus quo patet operentur ea quæ aliena dicuntur à nostra natura secundum totam substantiam, & quid producant in parte, quod pertinet ad libros de morbo & symptomate, ubi de hoc diximus.

Præterea advertere oportet inter occasio-nes vomitus poni à Medicis debilitatem facultatis retentricis; sed hæc sola non sufficit ad vomitum nisi expultrix operatur, nam ex eo quod non retineatur, corpus potest decidere à proprio pondere, tamen vomitu exire minime nisi pellatur per impulsum quod adhuc debet esse verum quandò per locum inferiorem movetur humor; recipit enim impulsum ex eo quod contractione fibrarum pellitur; aliter enim non potest pelli & extra mitti à proprio pondere, eò quod via non sit accommodata per quam transeat proprio pondere. Positâ autem debilitate facultatis expellitur id quod anteà non expellebatur, quia humor magis ponderat & irritat facultatem, nam non retinere, est occasio ut augeatur effectus realis, quod experientiâ constat in externis; si enim lapidem, vel ferrum digitis comprimam, ferè non sentio pondus; si verò supra ponam extensis digitis, sentitur major pondus, & molestia, ita ut non retinere sit occasio istius; sic ergo contingit dcbili existente facultate retinenti ut pondus qui anteà non irritabat & molestabat ad expulsionem ob prædictam occasionem irriter.

Dubitabis, à quo nascatur ut viso aut imaginato alimento horribili, multoties plures excitentur ad nauseam seu vomitum.

Respondeatur hoc non fieri vi imaginationis tanquam causa, sed quia viso aut imaginato objecto horribili, major sit advertentia & attentio, ratione cuius molesta qualitas quæ anteà non sentiebatur, ob attentio-nem sentiatur; si autem in illo casu non esset quid molestans in ventriculo quod sentiretur, etiamsi esset imaginatio, aut visio talis objecti, non excitaremur ad nauseam seu ad vomitum, quod idem contingit dum quis mingit ex eo quod videat alterum mingente-m; hoc autem diximus *Disput. de morbis per consensum in responseione quarti argumenti*.

Cum autem non solum hæ affectiones sint per propriam passionem, verum etiam per consensum, & inter partes cum quibus ventriculus consentit, præcipua sit cerebrum, scire oportet, quare vulnerato cerebro statim sit vomitus bilis, nam licet concedamus inter prædictas causas certam commu-

nionem, oportet explicare unde proveniat, quod bilis perveniat ad ventriculum, statim ac cerebrum est vulneratum, undè fit vomitus, ut expressit Hippoc. 6. aphor. text. 50. his verbis. *Quibuscumque praeseinditur cerebrum, his necesse febrem, & bilis vomitum supervenire.*

Causæ nauſæ plures sunt: primò non expellitur materia, etiamsi concitet ad vomitum, quia vehemens est retentrix facultas, aut quia parum irritat qualitas molestans, vel ex parvitate materiae, parvâ enim existente, aut minus irritat, aut non potest expelli, quia non potest recipere impulsum debitum ob suam parvitatem, sicut in externis contingit non posse expelli aliquod corpus ob ejus parvitatem, nimis quia non potest recipere impulsum.



## C A P V T VI.

### *De Cardialgia.*



**O**MNUNTER Medici os ventri-culi cor solent appellare, juxta quam acceptiōnem afferunt cardialgiam es-se affectionem cordis, idest oris ventricu-li: advertere tamen oportet esse affectionem dolorosam, & non quamlibet; nam imprimis non est sicut fames, nam hæc est sensatio dolorosa in qua præcedit sensus suetūs qui non reperitur in cardialgia. Similiter non est quilibet ventriculi dolor, sed ille dolor qui habet ortum à pravis succis mordentibus os ventriculi, ita ut in ea sentiatur mortus: ex quo patet cardialgiam esse symptomā in actione lœsa depravata eo depravationis genere quo dolor quilibet, siquidem dolor est: cum hoc tamen stat ut plures communicata cau-ſa cordi ab ore ventriculi ob communionem harum partium eveniant in his affectionibus syncopes & multoties febris, ex eo quod bi-lis flava ebulliat in tunicis ventriculi.

Hinc etiam constabit quā ratione cardial-gia distinguitur à cardiaca affectione; nam in hac non est dolor mordax necessariò, sed est affectio ventriculi in qua totum corpus languet & exolvitur vitio alio peculiari ventriculi ob dissipationem paulatim factam ipsius substantiæ ab humore venenoſo; compatiēt autem corde totum corpus languet: neque oportet ventriculum dolere ut cor tra-hatur in consensum, nam ex humore vene-noſo aliqua portio deductā ad cor spiritus corrumpit, & totum corpus languet quæ af-fectio ex lumbricis evenire solet qui halitu suo pravo causant hoc symptomā multoties. Ex quo colligitur hoc non esse sym-potoma in actione depravata ventriculi si-cut cardialgia, sed est symptomā tertij ge-neris quantum attinet ad defectum spiri-tuum, vel substantiæ spirituosaे, eò quod evacuatur quod debebat retineri; unde se-quitur virtutis debilitas & actio diminuta actionum. Solent hoc malo correpti anxijs esse qui decubitum non ferentes, ja-cendi

cendi figuram evariant per depravatam motionem localem, ed quod homo tempore quo debebat quiescere movetur.

## CAPVT VII.

## De morbo cholera appellato.

**R**IMO certum est non appellari hanc affectionem cholera morbus, quia fiat à tali humore, nam potest ab alio fieri, scilicet ab alimento corrupto in ventriculo qui adquirat aliquam pravam qualitatem, ratione cuius irritet ad expulsionem, ita ut supernè & infernè fiat evacuatio. Dicitur ergo cholera morbus *Immodica ventris perturbatio superà infirâque*, à Paulo lib. 3. cap. 2. frequenter tamen in hoc affectu humor biliosus supernè & infernè expellitur sanguis, licet possit cessare una evacuatio manente alia ad invicem; & licet Hipp. referat historiam in qua quidam laborabat hoc affectu, & tamen evacuatio inferna erat suppressa, nihil facit contra nos: nam licet non expellatur materia per has duas partes, sufficit evacuari per unam & esse irritationem in alia ratione cuius sit in illa inclinatio ad expulsionem.

Advertere tamen oportet cholera morbum esse in dupli differentia alia dicitur humida, in qua aliquid excernitur; alia vero dicitur secca in qua nihil excernitur, sed solum in utraque parte, infernè scilicet & supernè est irritatio, hæc autem communiter solet causari à flatu acri & mordaci, sive generato ex edulis ad id accommodatis ut sunt cepa, allium, ova frixa, sive à calore, vel adustione ventriculi urente, etiam si materia sit benigna, cum hoc tamen non repugnat cholera siccum fieri ab humore qui non possit excerni, & solum valeat irritare supernè & infernè, sicut de nausea diximus.

Constat ex hoc cholera morbum esse symptoma tertij generis, quia excernitur id quod est contra naturam, vel quantitate, vel qualitate, quod est verum considerando excretum; sed hoc symptoma fit vitio facultatis naturalis expellentis, sed quod irritat & molestat. Et licet possit hoc symptoma sequi vitio facultatis retentricis, ut de vomitu diximus eò quod ea debili, humor vel causa molestias magis gravat & per cōsequens facultas expellens magis irritatur & movetur ad expulsionem, tamen sola vitiata retentrice hujusmodi symptoma nequit contingere; nam ad hoc ut extra fiat excretio, oportet impellere materiam; & non sufficit non retinere, quod indicat necessariò actionem facultatis expultricis.

## CAPVT VIII.

## De causis cholerae morbi.

Pereda.

**P**RÆSENS dubium in præsenti exagitatur propter cujusdam Autoris placitum *in suo scholio*, qui tenet solam esse unam causam cholerae humidæ, nempè

bilosum humorem acrem & mordacem à toto corpore ad ventriculum venientem. Cujus rationes adeò futilis sunt, ut ab eis libenter abstineam, ut id quod verius est, statim proferam.

Dico ergo non solum à prædicta causa fieri cholera morbum humidam dictam, verum etiam ex eo quod alimentum corrumpatur in ventriculo, ibi quod adquirat vitiosam qualitatem, ratione cuius irritet ad expulsionem in utraque parte, sursùm scilicet & deorsum, in quo eventu sine dubio erit talis affectus, quin à venis aliquid communicetur, ratione cuius prædicta sequatur irritatio, & per consequens prædictum symptomatum.

## DISPV TATI O LV.

## De his quæ pertinenter ad coctionem ventriculi.

## CAPVT PRIMVM.

## De imbecillitate ventriculi, &amp; cruditatis speciebus.

**N**T E R vitia quæ cohexiunt ventriculo, in quantum est instrumentum coctionis, unum est imbecillitas, quæ licet possit competere aliis facultatibus naturalibus quæ sunt in ventriculo, ita ut actio cuiuslibet dicatur debilis, tamen absolute loquendo & sine addito, per imbecillitatem ventriculi intelligimus vitium & debitatem facultatis concoctionis, quæ rigorosè loquendo actio diminuta est.

Ut ergo omnia hæc clara evadant advertas, quæsio, cum Galeno coctionem *Quæ alteratio ciborum est in convenientem animalis qualitatem*, tripliciter posse vitiare, aut ablative quando scilicet non fit, sed alimenta remanent, sicut fuerunt assumpta, & appellatur *Apepsia*; aut potest esse debilis, aut diminuta, quando licet producat qualitatem illam convenientem, alimentum ægrè tamen & spatio longiori, & appellatur *bradyapepsia*; aut denique potest vitiare facultas coctionis depravata quando scilicet alimentum mutatur in alienam qualitatem, quæ omnia vitia à Medicis sub generali nomine cruditatis appellantur; ex quo fit hæc omnia habere rationem symptomatis. Cruditas autem communiter dividitur in acidam & nidorosam: dubium est sub quo genere actionis læsa comprehendantur, & de nidorosa, dubium non est quin sit depravata, nam in ea sit mutatio alimenti in alienam qualitatem viventi. De acida vero cruditate est dubium, de qua non defuere qui existimarent esse diminutam actionem ventriculi, ed quod fieri dicant ex

diminuta coctione. Sed si attentè naturam  
ejus consideremus, constabit esse actionem  
depravatam sicut & nidorosam, nam acidi-  
tas est qualitas quædam multò diversa ab illa  
quam comparat alimentum dum sola diminu-  
ta coctione alteratur, & est aliena nostræ  
naturæ, aliàs non esset differentia inter illam  
quæ diminutè coquitur, & acorem compa-  
rat, ergo cruditas acida est actio depravata  
eo deprivatioñis genere sicut nidorosa in qua  
fit mutatio in alienam qualitatem nostræ na-  
turæ.

## C A P U T I I.

### *De morbo debilis actionis ventriculi.*

**P**lures causas à quibus coctio lœ-  
ditur enarrat Galen. lib. 3. de causis  
*symptomatum*, cap. 1. quia verò nihil  
difficile continent, eas omitto; modò verò  
quæro morbum à quo debilis fit coctio, se-  
clusis autem his quæ extrinsecus possunt ac-  
cidere, aut aliquo se tenente ex parte alimen-  
ti, excrementique, & morbo instrumentalis;  
Certum in hac re est morbum à quo proce-  
dit debilis actio coctrix, esse in distemperie  
frigida; nam cùm constet apud omnes co-  
ctionem fieri à calore naturali, juvarisq; etiam  
ab humiditate, certum est à frigiditate vitia-  
ri, & debilem fieri, & deinde à siccitate,  
quia istæ sunt qualitates illis duabus contra-  
riis à quibus fit coctio.

Deinde dicimus etiam ab omni distempore posse minui coctionem ; nam cum requirat proportionatum temperamentum in quo vigeat calor in certo gradu, ut recto & debito modo fiat, quod magis fiat deviatio à proportionato & debito temperamento , magis vitiabitur coctio & minuetur, eò quod ratione illius non possit alimentum adquirere qualitatem naturalem & conformem nostræ naturæ.

Aliqui Recentiores triplicis caloris alterantis ventriculum faciunt distinctionem, alimentalis scilicet, & influxi à corde & membris circumvicinis producti, & tandem alterius contracti ex semine & sanguine menstrui, qui in humido radicali conservatur, à quibus omnibus assertunt coctionem fieri, quia qualibet ex his diversum usum praestat in ventriculo per cuius defectum vitiatur coctio. Nobis tamen dicendum quod licet verum sit quod omnes isti calores conducant ad perfectam coctionem, tamen frustrâ ponuntur diversi usus in ipsis; nam cum omnes alterent & conducant medio suo effectu primario, calore scilicet, omnes eodem modo conducunt, & eosdem effectus praestant. Vide circa hoc Petrum Garciam, *Sup. hoc capitulo* 875.

## C A P V T III.

*De morbo cruditatis nidorofæ,  
et acidæ.*

**C**ONVENIUNT in hac re Autores circa morbum à quo fit cruditas nidorosa ventriculi, esse scilicet distemperiem calidam urentem alimentum, ratione cuius fit mutatio in alienam qualitatem; ad quod etiam valde facit siccitas quæ juvat ad ustionem, & quia auget vim caloris. Hæc est expressa assertio Galeni & Avic. & omnium Medicorum. Ad quam cruditatem etiam conductit dispositio ex parte materiae, suppositâ tamen virtute efficientis alterantis quæ diversimodè alterando & putrefaciendo cruditatem prædictam causare valet.

Præterea etiam convenit inter Medicos aci-  
dam ventriculi cruditatem fieri à frigiditate ;  
sed dubium est cur in ventriculo quando-  
que producitur crudum sine acore , quando-  
que cum illo, cum utrobique sit coctio dimi-  
nuta, investigare autem oportet an hujusmo-  
di cruditates fiant à diversis agentibus, & di-  
cendum nobis est ex eo differre quod cruditas  
acida fit à frigiditate cum partium tenuitate ,  
ob quod alimento adquirit aliud terminum ; cruditas verò non acida fit ob debilem  
calorem non potentem perfectè coquere ali-  
mentum, ità ut adquirat qualitatē debitam &  
proportionataim viventi. Cum hoc tamen bene  
stat acidam cruditatem fieri à calore ventricu-  
li quemadmodum fit in aceto , ex vino & in  
fermento, & aliis rebus externis; quod fit qua-  
tenus ratione caloris vinum mutat formam  
substantialem , & transit in aliam naturam: sic  
ergo contingit in alimento , ità ut à calore  
ventriculi purrefiat, & mutet formam substan-  
tialem , transéatque in alienam naturam ,  
quæ potest esse frigidi temperamenti natura-  
lis , licet causa antecedens efficiens sit calor.  
Ex quo facile est intelligere quā ratione ex  
calore ventriculi quandoque fiat acor , quandoque  
nidorosus sapor, aut amarus, quod pro-  
venit quia ex parte alimenti, aut ventriculi est  
aliqua alia qualitas ex qua redditur accom-  
modatum temperamentum ad illam secun-  
dam qualitatem , aut aliam.

## DISPUTATIO LVI.

*De his quæ spectant ad affectus  
intestinorum.*

## CAPVT PRIMVM.

*De facultatibus quibus constant intestina, an præter expultricem habeant alias.*

**T**A N Q U A M certum in hac re supponere debemus h̄ic non esse quæstionem de facultatibus quas qualibet pars nostri corporis habet ad suam nutritionem, quæ quidem quatuor enumerantur,

tur, subministrantes dictæ: nam his indigere intestina ad suam nutritionem nullus dubitat. Solùm ergo in præsenti dubitamus de facultate movente fibras, cuius motus cæteras dictas actiones juvat.

His ità præactis convenient inter Medicos omnes intestina habere facultatem expultricem quâ communia excrementa debent pelli, & quod habeant fibras ad hunc motum accommodatissimas, & quia aliter fæces quæ sunt excrementa primæ coctionis non poterant expelli: in dubium autem est an præter hanc facultatem, sit etiam facultas attractrix quæ propriis fibris operantibus exerceatur; & dicendum nobis est in intestinis esse fibras, vel villos oblongos, quibus sit attractio chyli ad intestina: probatur imprimis quia ex hoc nulla sequitur implicatio, nec sequitur quid intestina non validè expellant; nam facultas attractiva debilis est, & sic non erit impedimentum ad motum expulsionis; sicut ex valida facultate pellente intestinorum non colligitur jecur catere trahente, sic ex eo quod in ventriculo sit facultas pellens valida, non sequitur in intestinis non esse facultatem trahentem, præsertim cum non laedat retentionem ventriculi; nam idem inconveniens sequebatur positâ facultate trahente in jecore, & in aliis partibus, etiamsi sit expellens in antecedentibus; inconveniens autem nullum est, tum quia ventriculus, vel quælibet alia pars potentius retinet quam alia trahat, præsertim in ventriculo in quo clausus est pilorus usque elaboretur chylus; & sic licet valida esset facultas trahens in intestinis non traheret à ventriculo ante tempus debitum.

Dubitabis an etiam in intestinis sit facultas retinens, non quælibet, sed illa quæ motu fibrarum operatur. Respondetur negativè; nam non sunt fibrae ad hanc actionem determinatæ, & probatur quia si talis peneretur, maximè ad retinendas fæces, sed hoc non, quia laxato sphinctere præter voluntatem decidunt, ergo non erant fibrae ad retentionem; aliam tamen facultatem retinentem ministrante ad nutritionem deservientem, libenter & à fortiori concedimus, sicut & facultatem concoctricem in tenuibus intestinis ad quam sufficit transitus alimenti per intestina, ut in venis, etiam sufficit transitus sanguinis; præsertim quia via est stricta prioris intestini, & anfractus aliorum; hæc autem facultas coctrice est prima ex tribus quæ communiter enymenrantur; nam ex Gal. intestina habent ferè eandem naturam cum ventriculo; ergo in illis facultas eadem est ponenda, ità etiam ut tenuia intestina nutritiantur ex chylo, præsertim ob similitudinem tunicarum cum tunicis ventriculi; ex quo constat usum intestini tenuis esse distributionem chyli facere. De crassis intestinis etiam dicimus similem facultatem coctrice habere, quia sunt ejusdem naturæ, undè qui asserunt cylstres nutrientes ad crassa intestina solùm perduci, concedunt necessariò posse illa in chylum mutari & ex illo nutriti; dum verò hoc non cōtingit, nutritiuntur ex sanguine, non ex chylo ventriculi; siquidem non pervenit ad illa tanquam instrumenta distribu-

tionis, non tamen præcipue facta ad colligendas & expellendas fæces.

• • • • • . • • • • • + • • • • •

## C A P U T II.

### De Lyenteria, siue intestinorum laxitate.

**L**IENTERIA ex Galen. lib. 6. aphor. comment. 1. Est velox exitus eorum quæ comeduntur & bibuntur: que talia dejiciuntur, qualia fuerunt devorata. Dicitur autem ab Antiquis talis affectio laxitas intestinorum, quia existimant intestina habere quandam asperitatem, mediâ quâ amplectuntur alimen-tum, amissâ autem hac, lenitas, vel laxitas in illis sit, ratione cuius non detinetur in illis alimento, & sit velox excretio. Sed hæc nominis etimologia reprehenditur, ex eo quod in ventriculo est propria facultas à qua sit retentionis; hæc autem deficit quia facultas non operatur non defectu asperitatis, & idem est dicendum de intestinis.

Hoc ergo supposito, & supposito quod in hac affectione omnino cruda dejiciuntur excrementa, facile est intelligere esse symptoma in excretis, quia videlicet excreuntur ea quæ debebant retineri; actio autem quæ laeditur est ablata; siquidem nullam mutationem suscepit alimento; sed cuius facultatis sit actio ablata, restat quod dicamus; frequenter in hoc affectu auferitur actio facultatis retinentis, licet possit contingere lienteria, quin temperies naturalis facultatis retinentis labefactetur, ed solùm quod alimento ita valde irriter ad expulsionem ut antequam operetur retenzione, expultrix facultas pellat alimento, quin etiam ista labefactetur in sua temperie, & sic potest esse symptomum facultatis expultricis lienteria; oportet tamen in memoriam repetere quæ supra diximus, etiam defectu retentionis expultricem operari, quia magis irritatur: ratione ponderis occasionati defectu retentricis.

Cum hoc tamen licet advertere quod si coctrice facultas ita esset debilis ut ejus actio esset ablata, omnino incoctum & crudum ejiceretur alimento, tamen hæc affectio non diceretur lienteria; quia dejicitio non esset celer; ita ut statim fiat ac devoratur; an autem dicatur lienteria spuria, quæstio de nomine est.

De morbo à quo hoc symptomum procedit dicimus non esse unum, frequens tamen est distempries frigida & humida quâ vitiatur temperies retentricis; potest etiam esse solutio continuitatis, ed quod exulcerata parte, alimento eam tangens aded irritat ut incitet ad celerem illam excretionem; aliquando etiam potest fieri à distempirie calida sua caliditate mortificante virtutem retentivam. Et licet asperitas & rugositas ventriculi, & intestinorum conferant ad retentionem faciendam, nihilominus his ablatis, non erit sufficiens causa ad celerem dictam excretionem alimentorum, nam ob actionem facultatis retinentis non pendentis ab asperitate & rugositate

gositate sine dubio retinebitur alimentum, ac proinde non erit celer excretio, neque lienteria cum conditionibus requisitis.

De parte affecta est aliquid quod dicamus, & breviter dicimus, in hoc affectu necessariò debere affici ventriculum, & intestina; nam cùm in intestinis sit facultas coctrix, & etiam retentrix, ( quæ non operatur mediis fibris, nam hanc negavimus *suprà* ) certum est vitio non existente in intestinis, etiamsi sit in ventriculo alimentum, non excerni omnino crudum, neque celeriter, cùm debeat recipere mutationem in intestinis, & idem dicendum est si intestina solum afficiantur ventriculo illæso manente, oportet ergo à qualibet causa fiat lienteria, simul affici ventriculum & intestina.

Causa verò ob quam tenet Galen. in hac affectione esse bonum signum ructum acidum, est quia signum est alimentum aliquantulum retineri in ventriculo, & calorem agere in illum, & sic quantum agitur ex vi lienteriae, est bonum signum, licet ex alia parte sit malum quatenus alimentum convertitur in alienam naturam quod satis periculosum est.


### CAPUT III.

#### *De Cæliaca affectione.*

**S**i quis attente consideret ea quæ de lienteria diximus, facile naturam cæliacæ affectionis intelliget; est enim cæliaca affectio quandò alimentum semicoctum & imperfectum excernitur: ex quo constat secundum magis & minus differte à lienteria; ex quo etiam sit fieri per solum vitium actionis facultatis retinentis, quandò scilicet talis facultas diminutè operatur. Probatur: nam hac diminutè operante, excernitur alimentum semicoctum, & imperfectum; ergo per solum vitium illius sequitur prædictum symptomata, quin alia facultas patiatur. Cum hoc tamen optimè stat posse fieri per vitium facultatis coctricis non potentis perfectè coquere ob ejus debilitatem, licet non contingat ex hac causa ita frequenter sicut ex debilitate retentoris facultatis: Probatur, nam debili existente coctrice alimentum semicoctum excernitur, & imperfectum, ergo erit cæliaca affectio per vitium illius. Patet quia hæc non requirit celerem esse excretionem sicut lienteria; ergo per vitium coctricis fiet affectio cæliaca.

Aliqui verò affirmâunt excretum debere esse liquidum & putridum in hac affectione, ex eo quod detineatur alimentum in ventriculo, ibique cùm non possit perfectè coqui ob debilitatem caloris nativi adquirit putrefactionem & corruptionem: sed quæm falsum hoc sit constat, nam non est de natura hujus affectus quod excretum si putridum, neque hujus putrefactionis assignatur agens sufficiens, cùm defectus caloris nativi id non faciat, ed quod affectus positivus causam requirit positivam. In calce tamen hujus capi-


tis, licet advertere, posse fieri cæliacam affectionem ex vehementia facultatis expellentis qui pellat ante perfectam coctionem, hoc ipso quod incipit materia coqui, & probatur; nam si vomitus contingit ob facultatem expellentem sursum, multò melius contingit deorsum.



### CAPUT IV.

#### *De diarrhœa, & quid sit.*

**D**IARRHOEA est alvi fluxio diuturna sine inflammatione, aut exulceratione; debet intelligi trium humorum alicujus; nam quandò fluit sanguis, etiamsi citra ulcus non mereatur nomen diarrhoea, est symptoma facultatis expultricis naturalis intestinorum quæ quantitate, vel qualitate humorum irrita movetur ad expulsionem, licet verum sit debilitatem facultatis retentoris posse esse occasionem ad diarrhoeam eò quod si cessat à retinendo, gravatur magis expultrix, & irritatur, tamen sine actione facultatis expultrices pellentis humorem ad extra hujusmodi affectio contingere nequit. Plures autem sunt morbi à quibus alvi diuturna fluxio potest excitari; nam in compositione, ut quando obstructione aliqua procedit, aut intemperie, ratione cuius immodicus humor fit, aut præternaturam alteratur. Pars affecta in hac affectione sunt intestina non semper, sed aliquando & merito, nam morbus à quo procedit, non est necessariò in illis, sed potest esse in alia parte laborante à qua mittatur humor in intestinis, & irritet ad expulsionem.



### CAPUT V.

#### *De dysenteria, & tenesmo.*

**D**eo intelligentia dubij primò supponere debemus quatuor esse differentias excretionis sanguinolentæ quæ comitantur quatuor affectiones, una est quandò aliquis artuum abscessus est, vel si qui exercitationem dimiserunt; nam cùm in his abundet sanguis ultra quantitatem naturæ convenientem, cujus portio antea consumebatur in nutritione illius partis quæ deficit, vel consumebatur exercitio, dubium non est quin natura illum sanguinem redundantem pellat per ventrem inferiorem, eò quod ab illo molestetur & gravetur.

Secunda quandò ex jecoris debilitate aquosus excernitur sanguis similis loturæ carnis recens mactatæ.

Tertia est excretionis sanguinis melancholicæ, splendentis, eò quod postquam in jecore convenientem fructum suscepit, gravat; & cùm non sit recta via per quam jecur eum expellat, retrocedit ad ventrem; estque sanguis niger & splendens, quia permixtus ex sanguine & nigro humore, & admodum est coctus, & ratione cuius est splendor.

Quarta denique quandò paulatim & exi-

quo tempore excretio fit, quandoque concreti, solētque simul excerni, quandoque pus, vel crusta, aut membranosa substantia.

His ergo prælibatis, dysenteria sic à Gal. definitur lib. 3. de causis sympt. cap. 2. *Est sanguinis excretio per intestina ratione ulceris ibi existentis*, ad quam dolores præcedunt, & in ipsa dejectione vehementi dolore afficiuntur ægroti. Ex quo facile deducere possumus dysenteriam esse symptoma in his quæ excernuntur toto genere contra naturam; morbus verò quo sit est solutio continui; modus verò quo sit est cum humor mordax & acris corredit intestina & facit alias quæ corrosio solutio continui quædam est, quo sit ut irritetur facultas & moveatur ad expulsionem sanguinis. Contingit autem sapè excerni humores acres & mordaces, & non sanguinem, eò quod non adhærent, neque morentur per tempus sufficiens, ut faciant in intestinis corrosionem & continuatatis solutionem, in quo casu solùm erit diarrhoea & non dysenteria usquedum faciant ulcus in intestinis.

De causis est quod dicamus; circa quod omnes fatentur fieri ab humoribus acribus & mordacibus erodentibus, ita ut effectus non dependeat à causa, sed illâ ablata ulcus perseveret. Sed dubium est an possit fieri à frigore. Circa quod dicimus frigiditatem posse esse occasionem, ut sequatur dysenteria, eò quod ratione illius possunt pelli versus intestina humores acres & mordaces qui ulcus facient, tum etiam quia ratione illius, plura excrements pituitosa & viscida possunt congeri in intestinis, ibique adhærente, ratione cuius putrefiant, & pessimam comparant qualitatem, & ulcus faciant, quod nihil præter rationem continet.

De tenesino restat quod dicamus, qui tantum differt à dysenteria ratione partis affectæ quæ in tenesimo est intestinum rectum. Sic definitur, *Est vehemens deficiendi cupiditas cum tensione*. Cupiditas autem major est in tenesmo quam in dysenteria, eò quod ulcus est in intestino recto, quod quidem est destinatum, ad dejectionem & ob hoc est præditum acuto sensu. Morbus à quo procedit est ulcus, quod indicat cruenta dejectio cum dolore. Procedit autem illa immoda dejiciendi cupiditas propter fixionem & permanentiam causæ, pituitosæ scilicet & substantiæ mucosæ quæ adhæret & exulcerat intestinum rectum; si enim facile humor labatur minimè hoc fiet.

quod secundum ex crassis intestinis est; hoc autem est quod frequenter contingit, quia hæc vox *colica*, absolute communis est ad iliacam, ita ut non implicet eundem dolorem, & ab eadem causa, existentem in intestino colon, existere in intestino ileon, frequenter verò diversi dolores constituantur ob diversitatem partium quarum sunt affectiones. Ex quo facile erit intelligere quis affectus sit dolor colicus, est enim symptoma in actione depravata spectans ad tactum, vel appetitum, sicut alij dolores. Duo autem symptomata in colico dolore considerantur, dolor scilicet, & difficilis exitus eorum quæ consueverant excerni secundum naturam per inferiorem ventrem, quæ possunt ab eadem causa, nasci diverso modo afficiente intestina; nam in quantum solvit continuum, facit dolorem, in quantum verò obstruit claudendo viam exitus, facit retentionem, & similiter quandò sit à flatu distendente, ex ipsa distensione potest utrumque procedere; nam erit dolor ratione distensionis solventis continuum, & erit retentio eorum quæ debebant excerni, quod faciet aliud symptoma in tertio genere, ex eo quod cum ad expulsionem sit necessaria contractio, hanc impedit distensio. Advertere tamen oportet non esse necessarium ad dolorem colicum esse morbum in cavitate magna; nam si causa sit intra tunicas, erit dolor colicus.

De causis est quod dicamus, potest enim fieri ab humore pituitoso & crasso, à flatu, & ab humore bilioso, & ab inflammatione intestini, non implicat etiam fieri ab humore melancolico, licet raro, & non ita frequenter; potest etiam à pituita vitrea causari, ut testatur Galen. in ipso evenisse, quæ omnes causæ quatenus valent distendere & solvere continuum, prædictam affectionem causant, vel existentibus in cavitate ipsius intestini colon, vel in poris, vel venis ejus, licet iste sit acutior & difficilior; in qualibet autem ex his partibus existat causa, faciet solutionem continua, & distensionem ex qua sequatur retentio, & sic fiet dolor colicus legitimus.

Cum igitur hac affectione correpti tali modo doloris soleant affici, ut videantur terebro perforari, oportet scire an iste modus doloris spectet ad crassum tantum intestinum, an etiam ad tenuem: pertinere ad crassum tantum tenet Gal. expresse 2. de loc. affett. cap. 4. quod amplecti debemus.

Quæritur etiam cur pituita illa vitrea existens in intestinis non calefiat, sed post excretionem frigida sentiatur, cum adeò caleant nostræ partes.

Respondetur idèò hoc contingere quia inter pituitam & nostras partes, est actio & reactio ratione cuius calor partium vincatur, & ita exiguis maneat ut non possit calefacere sensibiliter illam pituitam, ita ut vincat suam frigiditatem, quo sit ut frigida sentiatur.

Secunda causa colici doloris est bilis quæ sua mordacitate causat dolorem: sed dubium cur bilis si facit forsan majorem dolorem quam in dysenteria, in hoc affectu non facit corrosionem, sicut in dysenteria.

Respondetur quod in colico dolore bilis non prolabitur per cavitatem intestinorum, sed per tunicas ipsas eorum vasa; si autem per cavitatem prolaberetur, & detineretur per tempus requisitus,

NNN tum,

## DISPUTATIO LVII.

### De quibusdam doloribus intestinorum.

DISPUTATIO LVII.


### CAPVT PRIMVM.

#### De colico dolore.

**C**OLICUS dolor de quo in presenti capit. agimus, sumit denominationem à symptomate, dolore scilicet, & à parte affecta, intestino videlicet colon dicto,  
Henriquez Laurea Medica Tom. III.

tum, sine dubio faceret corrosionem. Sed contra, quia si humor sit in solis vasis tunicæ, non poterit sentiri qualitas dolorifica & mordacitas iu tuniciis intestinorum, quia humor distat ab illis, & realis dispositio requiritur, requisita ad receptionem illius speciei, quæ in subiecto distanti non recipiatur; si verò dicas talem humorem biliolum existere in poris, urget argumentum suprà factum; cur scilicet ibi non faciat corrosionem sicut in dysenteria. Respondetur unum ex duobus dici posse, aut quod tunc bilis calore nimis alterante facit dolorem mordacem, & non corrosionem propter partis resistentiam; aut quia excitat dolorem imbibita in poris distendendo singulos, non autem facit corrosionem, quia est exigua portio applicata poris, cum divisa sit materia per poros, major autem quantitas requiritur ad corrosionem partis quam ut distendat poros.

De inflammatione & ventositate jam diximus quomodo dolorem causent, & retentionem excrementorum, ratione scilicet tensionis, vel obstructionis id faciunt. Tandem licet advertere hujusmodi dolorem; tam in parte dextra quam sinistra posse esse ob positionem intestini coli.



## CAPUT II.

*De iliaca passione, sive volvulo, & parte affecta ejus.*


**H**ec affectio sicut & præcedens nomen accipit à parte affecta, scilicet ab intestino tenui quod dicitur ileon; dicitur etiam volvulus à symptomate quodam, quia volvi videtur intestinum ad similitudinem chordæ, ita ut supra umbilicum tumor aliquis emineat; in hac autem affectione sunt duo symptomata, & dolor, & omnimoda excrementorum retentio; sunt etiam duo morborum genera; nam quantum ad suppressionem est symtomata tertij generis in retentione eorum quæ debebant excerni, & nascitur à morbo in compositione, scilicet ab obstructione maxima impidente viam. Erit etiam solutio continuitatis à qua dolor fiat, est etiam in hac affectione ablata facultatis expellentis, non quidem quod hæc lèdatur necessariò in suo temperamento, sed ob obstructionem impedientem viam quominus possit excerni excrementum.

Sed aliqua sunt scitu digna. Primum an solum hæc affectio in solo ileo intestino reperiatur; & omisis diversis placitis Autorum, & Galeni qui pro utraque parte stare videntur, dicere debemus hujusmodi affectionem posse contingere per similem causam sufficientem intestinum colon, & omnia intestina crassæ. Constat imprimis quia iliaca passio solum à calida distinguuntur penes eo quod nihil aliud est iliaca quam colici affectus intensio, distinguuntur ergo penes magis & minus; ergo per affectionem unius partis fieri possunt, ac proindè affecto intestino crasso, ileon dicto fiet iliaca passio. Probat deinde ratione, quia affecto intestino crasso eodem modo ac tenui ileon dicto, in prædicta affectione sequentur omnia signa essentialia iliacaæ affectionis; ergo potest contingere affecto intestino crasso. Antecedens probatur; nam stercore nimis indurato in intestino crasso, aut ortâ ibi

inflammatione, ita ut omnino impeditur via, in tali casu erit dolor, & tortura & consensus cum ventriculo, ita ut stercus vomatur, ergo poterit fieri iliaca affectio per affectionem intestini crassi.

De causis, tempus est jam quod dicamus; præcipua autem est inflammatio, aut tumor quilibet in aliquo ex dictis intestinis, licet frequenter contingat ex inflammatione in intestino ileon dicto, ed quod in eo sint plures venæ ramificantes, & sic plus sanguinis abundet; succedit autem prædictum symptoma à prædicta causa, ed quod inflammatione seu tumore existente in dictis partibus, impeditur caritas per quam fæces debent descendere, & sic retinentur, quo sit ut sit dolor vehemens, & quod ab intestinis vehementer retundentibus pellatur sursum ad ventriculum à quo statim per vomitum expellitur; frustra enim aliqui attractivam vim concessere ventriculo, in ordine ad fæces, cum nullus sit finis, neque peculiaris usus ad quem id fiat.

Dicimus deinde pituitam crassam & lentam posse causare iliaca passionem, quin faciat tumorem in prædictis intestinis; nam potest sua qualitate ita obstruere & occupare vias, ut impedit omnino motum stercoris ad locum inferiorem, præcipue cum maximè possit adhærere ob suam crassitatem & lentitatem; in quo casu erunt omnia signa pathognomonica hujus affectionis; si tamen videatur difficile tale impedimentum fieri ab hoc humore, quin faciat inflammationem, poterit vocari iliaca spuria, pro illa verò sententia videtur stare Hippocrat. libro 6. aphorism. text. 44. ubi dicit. Quibus ex stillicidio urina ileos supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febre superveniente urina satis effluxerit. Ex quo constat posse fieri à crassis & frigidis humoribus; nam si ex inflammatione fieret ileos, non posset illi esse remedium febris adveniens.



## CAPUT III.


*De signis ilei morbi.*

**D**uo inquitimus in hoc capite; Primum quænam sint signa volvuli absolute; secundum quod signum sit ad cognoscendum an patiatur tenui intestinum, an crassum. Circa primum dicimus; signum pathognomonicum & indefectibile in volvulo esse quod nihil descendat ad inferiora, ed quod clausa omnino sit via per quam descendat; voluerunt etiam aliqui stercoris vomitum esse signum essentiale hujus affectionis, ed quod cum via sit clausa per quam stercora debent descendere, opus est expelli per vomitum. Ut autem veritas hujus signi pateat notare oportet modum quo in prædicta affectione vomitur stercus.

Dico ergo quod intestina dum secundum naturam se habent, conjunguntur ut expellat deorsum initio sumpto à parte superiori; cum autem sint aliqui affectus contra naturam quibus versus partem inferiorem excrementa non possunt pelli, incipit motus constrictionis ab inferiori parte, & sic trudit versus superiora, & sic usque ad ventricum.


Jum. Irritationem autem esse necessariam , vel ex acrimonia , vel ex pondere certum est , cùm aliter non posset pellere per viam non consuetam , ex quo fit adhuc in omnibus morituris non reperi stercoris vomitum; nam aliqui possunt interire alii accidentibus antequam talis vomitus veniat: undè quæsto responderetur, non esse vomitum signum pathognomonicum iliacæ affectionis, cùm non sit opus a principio esse, nam potest esse affectione, & nondum esse irritationem, quæ præsupposita sit vomitus. Ex dictis etiam licet advertere falsò aberrare qui affirmant multoties clysterem evomi cum stercore, nam si via est oculsa, ita ut stercus versus inferiora non potest pelli, quo pacto clyster potest transire ad superiora nisi fortasse causa sint fæces induratae quæ vi clysteris possunt laxari, & sic clyster simul cum fæcibus potest vomiri.

Aliud quod quærebamus erat, quo signo debebamus deprehendere ileum à colico diversum esse: Et dicimus quod quando afficitur ileum est affinitas vomitionis, & potus non potest contineri, in his id autem contingit ob majorem consensum quem dicit ileum cum ventriculo quam colon.



## DISPUTATIO LVIII.

### *De lumbricis intestinorum.*



#### CAPUT PRIMUM.

*Quid sint lumbrici præternaturam, & à quibus causis fiant.*



I R C A primum quod inquirit quæstio, dicimus vermes intestinorum esse morbum in numero partium toto genere contra naturam, eò quod ratione aucti numeri laddunt actiones: neque dubium est posse esse causas aliorum morborum, ut solutionis continuitatis, & similiter aliorum symptomatum sunt causæ, alia etiam ratione possunt esse symptomata in his quæ præternaturam retinentur.

Sed circa causam efficientem lumbricorum est dubium, & quidem cùm ex semine non generentur, videtur generari per putredinem non alio modo ac animalcula in universo per putredinem generantur, ita ut ex pituita putrescente per ipsam actionem putredinalem in nostro corpore, vel in intestinis generari doceant Avic. & Gal. Alij tamen asserunt non sufficere putredinem solum non facere vermes, sed per coctionem etiam fieri, quod probant quamplurimis Gal. & Aristot. autoritatibus: quæ vero ratione fiant haec animalia per coctionem & putredinem, est difficillimum, quod traxit Autores in varios dicendi modos quosquisque apud Petr. Garciam videre potest *Super hoc caput*, omissis tamen illis brevitatis gratiâ, nobis videtur dicendum, separatâ materiâ per putredinem, & separatâ causâ putrefaciente materiam à calore remanente coqui alia coctione, juvati que ab externo aliquo, & hoc auxilium appellatur collectio & rectificatio virium ab Autoribus, quād diversa placita circa rem hanc tradunt; ante putredinem autem non potuit fieri generatio ver-

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

mium, quia fortior est causa putrefaciens, quam causa concoquens quæ post putredinem producit suum effectum, & juvatur à calore Solis, vel influxu cœlesti. Hæc sunt quæ circa hunc philosophandi modum possunt dici: sed contra Aristotelis sententiam plura se offerunt; nam si vermes coctione generantur, ad quid facit quod præcedat corruptio putredinis; si dicas, ut corrumpatur forma mixti antecedens, contra est, quia non minus deficere potest per ultimam dispositionem conducentem pro generatione vermium quam per putredinem: ergo frustra est putredo antecedens. Neque valet si dicas putredinem concurrere partialiter ad generationem vermium simul cum coctione: nam contra est, quia ex Philosopho, putredine nihil potest generari, ergo neque partialiter potest concurrere ad dictam generationem.

Nobis tamen videtur dicendum generationem vermium in intestinis esse similem omnino generationi animalium qui ex putrefactione terræ communiter dicuntur generari, ita ut ex dispositionibus passi, & ex his quæ ab efficienti sive universalis, sive particulari producuntur, resultet quædam dispositio ad formam medium horum animalium, non per se intentam ab agenti, sed per accidens resultans ex dispositionibus aliquibus ab agente productis pro introductione propriæ formæ, & ex aliquibus quæ sunt in passo, ita ut cœlum suo influxu sit agens producens formam viventis, in his animalibus, quæ per accidens generantur, ita tamen hoc debet intelligi, ut corpora cœlestia à se non valeant producere formam viventis tanquam causa principalis, utpote est illis imperfectior, atque adeò non recurrere debemus ad intelligentia moventem corpora cœlestia, quia prædicta substantia Angelica tantum applicat per motum hujusmodi corpora, quin eis tribuat virtutem, ac proinde tenemur recurrere ad Autorē naturæ tanquam ad causam universalem concurrentem hujusmodi productionibus per concursum debitum juxta exigentiam, ac proinde in generatione vermium juxta causam efficientem codem modo philosophari debemus, quam in generatione cœterorum animalium quæ communiter ex putrefactione terræ generari dicuntur: nam licet in viventibus sit principium perfectius ipsis vermis, tamen cùm ab eo non generentur per se intenti, sed per accidens, indè est aliud agens esse assignandum productum formæ præter viventem.

Causam materialem restat examinare. Circa quam certum est generari ex materia pituitosa frequentissime, idque constat expressè ex Avicenni, licet non sit ratio quæ probet non posse ex aliis humoribus putrefactis; nam id quod dicitur de colore nihil valet, cùm non sint omnes vermes albi; & licet ita essent, hujusmodi color potest etiam provenire vi propriae formæ, non vero semper est reducendus ad materiam quæ præcessit, cùm ejus forma pereat per putredinem. Quandò ergo dicitur non fieri ex amaris & acidis, quia his medicamentis potius vermes moriuntur, debet intelligi non fieri ita frequenter ex amaris, ac ex pituita, quod libenter fatemur.

## CAPVT II.

*An lumbrici generentur in solis intestinis.*

**A**DETUR in solis intestinis lumbricos generari, quia ibi generantur ubi putrescunt excrements, & non ubi alimenta coquuntur: sed in solis intestinis putrescunt excrements, & in ventriculo alimenta coquuntur, ergo in solis intestinis generari debent.

Nihilominus contraria sententia est nobis sustinenda, & probatur primò quia in aliquibus partibus corporis quamplurimum animalium generantur, ut refert Galen. pluribus historiis, ergo similiter in ventriculo possunt generari. Et confirmatur; nam ubi reperitur causa efficiens & materialis alicujus effectus, & locus accommodatus, sine dubio producetur: sed in ventriculo hæc omnia reperiuntur pro generatione vermium; ergo in illo sicut in intestinis generantur. Probatur per partes: nam ventriculus est locus accommodatus, præsetim cum habeat eandem tunicam cum intestinis, & nulla sit ratio quæ oppositum probare possit. Deinde non implicat pituitam putrefaciens in ventriculo; quæ materia est ad prædictam generationem. Et tandem efficiens potest esse ut calor partim concoquens, partim putrefaciens; ergo nulla ex parte implicit vermes in ventriculo generari, licet frequenter in intestinis generentur ob eorum circumvolutiones ob quas ibi magis detinetur materia, & excrements, & sic patrefiant. Ad quod accedit quod cum calor sit debilior in intestinis quæ in ventriculo, difficulter coquit pituitam in eis adhærentem, & sic facile corrumpitur & putreficit. Tandem licet advertere tres esse species lumbricorum; alij dicuntur longi, sive teretes, alij dicuntur lati & rotundi, alij vero parvi & minuti qui dicuntur ascarides.

est quæm hepatis quedam debilitas circa sanguificationem citra necessitatem tumoris; ita ut in ea alvi sedimenta in qua nuper macrata caro, est abluta, similia esse videantur; cum hoc tamen bene stat ut possit complicari cum tali debilitate aliquis tumor, iste tamen non erit requisitus ad prædictam hepaticam affectionem; unde facile est colligere esse symptoma læsæ actionis diminutæ circa sanguinis generationem, ex qua procedit aliud symptoma tertij generis, quia excernitur aliquid quod debebat retineri. Facultas quæ patitur, est coætrix existens in ipso jecore, cum enim diminutæ operatur, generatur sanguis similis loturæ carnis recens macratae; imperfectus quidem, sicut quandò ventriculus imperfectè coquit; quod symptoma pathognomonicum est hepatica affectionis, eo quod gravato jecore ab ipso sanguine imperfecto, statim ad intestina pellitur.

Advertere tamen oportet pro majori intelligentia quæstionis, tres modos cruditatis reperiri in jecore sicut in ventriculo, unus est quandò chylus nullam suscipit alterationem, alter quandò eam suscipit licet imperfectam, ita ut imperfectè coætum & nondum perfectam formam sanguinis adquirit, & tandem tertia quandò in alteram naturam mutatur. Ex his ergo si consideratio fiat, ut sunt actiones læsæ, deterior est prima, quia est actio ablata, alia vero non; si vero consideratio fiat ex parte illius quod prædictum remanet, ratione læsionis, deterior est depravata; nam deterior est aliquid in alienam qualitatem mutari & adversam naturæ, quæm propriam qualitatem servare sine ulla mutatione, quia hæc minus distat à sanguine naturali. Et licet illud quod sit in actione depravata sit extra actionem naturæ, nihilominus non est deterior in ratione actionis læsæ quæm ablata, quia non potest negari quin aliquid agat facultas naturalis in illam actionem per quam chylus in alienam mutatur qualitatem, & sic deterior non est in ratione actionis, quia aliquid operatur facultas, & in alio casu nihil operatur.

Cum dictis tamen habet locum hepaticam affectionem fieri per diminutam actionem facultatis retinentis. Probatur, nam hoc ipso quod retinens non retineat tempore debito, ut coætrix operetur, sed cesser ab actione antequam coætrix perfectè coquat, in tali casu sanguinis erit excretio imperfecti & crudi, sicut quandò debilis est coætrix, ergo in tali casu erit hepatica affectio per solam læsionem retinentis facultatis. Ex quo constat partem affectam esse jecur secundum partem carnosam in qua est virtus coætrix; in venis autem mesaraicis si aliquam alterationem suscipit alimentum, est ratione virtutis jecoris ad illas se extendentis, & sic semper pars affecta debet esse jecur in hepatica affectione.

Denique restat jam quod dicamus morbum à quo prædictum symptomæ procedit, & dicendum nobis est morbum esse quamlibet distemperiem, præsertim tamen frigidam, ratione cuius coætrio læditur, & diminutæ sit; frigidâ enim distemperie existente, diminuitur calor maximè necessarius pro coætrione. Quod autem possit fieri hæc læsio à qualibet distemperie constat, cum coætrio fiat à proportione omnium qualitatum quæ variatæ diminuitur, aut vitiatur coætrio. Advertere tamen oportet quod non quomodocunque virtutur temperamentum, erit sufficiens ut actio defi-

## DISPV TATIO LIX.

*De vitiis hepatis quæ ad distemperiem referuntur.*

## CAPVT PRIMVM.

*De hepatica affectione.*

**U**m jecur non solum possit pati ut pars organica est, sed etiam ut similaris, de morbis omnibus agere debemus tam intemperiei citra tumorem præternaturam quæcum cum ipso tumore, in præsenti ergo de morbis quæ ei possunt evenire ut pars similaris est, agemus; & primò de hepatica affectione dicta, quæ nihil aliud



ciat, aut vitietur eodem modo; sed requiritur vel certa intensio, vel dispositio ex parte jecoris ob quam in hepatica affectione fiat prædictum virtutum & mutatio in qualitatibus secundis, ita ut sanguis appareat cum illo colore simili loturæ carnis rectens mactatæ.

## CAPVT II.

*De malo corporis habitu, cachexia dicto.*

**C**A CHE XIA nihil est quam malus totius corporis habitus, juxta quod symptoma debet dici in qualitate mutata, cum omnes partes in hoc affectu, laxæ, molles, & alblicantis coloris apparent; hoc autem symptoma procedit ab alio, nempe à lœsa actione jecoris depravatè, ratione cujus non generat sanguinem optimum, sed imperfectum & inconstum, & sic in toto corpore prædicta accidentia apparent; pars verò affecta est jecur, ut ex dictis satis constat.

Pro majori verò intelligentia hujus affectionis oportet assignare descrimen inter cachexiam & hepaticam affectionem. Et imprimis cachexia distinguitur ab anasarca, quod in hac non solum est morbus jecoris cum lœsione actionis propriæ partis, sed etiam lœditur nutritio partium extirmarum sine peculiari morbi ratione in eis necessaria solum propter materiæ ineptitudinem; in cachexia verò non ita differentia ex parte ejus quod generatur; nam in cachexia est sanguis aliquantò aquosus, in anasarca verò pituitosus valde: differt præterea cachexia ab hepatica dysenteria, quia in hac sanguis ille imperfectus distribuitur tantum per venas mesentariaas ad intestina; affectio verò cachexia fieri ut vitio jecoris supposito, in quo convenit cum hepatica sanguis aquosus per genus venenosum dispergitur per singula membra, tamen non mutatur in eorum substantiam, sed veluti inutile excrementum manens immutatum, membra in tumorem elevat.

Solet in dubium verti an cachexia præcedat necessariò hydropem; Et partem negativam defendimus, nam licet distinguuntur secundum magis & minus, (quod non est verum ut de ascite & tympanite constabit,) tamen non erat necessarium præcedere sensibiliter cachexiam; nam terminus totius intensionis requisitæ ad hydropem potuit fieri ita brevi temporis spatio, ut anteā non esset cachexia sensibilis Medicis: Idem dicendum est de anasarca, nam materia potuit etiam brevi tempore adquirere ineptitudinem ad nutriendum requisitam & à principio, quin præcedat cachexia, & sic non est necessaria in his affectionibus præcedentia.

materialis cuius causa est materia exuberans frigida, ingrediens membra & consequitur per eam, atque membra manifesta omnia, aut loca vacua parium in quibus sunt regimen nutrientes & humores. Quo supposito constat in hydrope plura symptomata ab eodem morbo nasci, ita ut quæ habent rationem symptomatis respectu unius morbi, habeant rationem morbi respectu alterius symptomatis; sic ergo in hydrope quælibet materia est symptoma in his quæ retinentur, & debebant excerni quod nascitur ex morbo jecoris. Deinde ipsa materia si tumorem eleverit, ita ut vi illius lœdantur actiones, erit morbus in mala compositione, cum quo stat ut in ipsa parte tumefacta sit symptoma in qualitate mutata; cum hoc tam verum est posse esse verum hydropem sine morbo tumore, actio verò quæ necessariò lœditur est virtutis sanguifundi.

Alterum quod proposuimus querit, quænam sint hydropis species, & dicimus tres tantum esse desumptas ex diversitate materiæ: una est anasarca quæ fit ex pituita; secunda est ascites; quæ fit ex aqua; tertia verò est tympanites quæ fit ex flatu; ponuntur autem tres species tantum ex diversitate materiæ, quia non constat jecur producere suo vitio aliam diversam substantiam tumefacentem præter illas tres.

Nec valet si dicas quod sicut aqua & flatus in ventre inferiori contenta faciunt diversas species hydropis, sic etiam diversæ erunt si per venas distribuantur in alias partes corporis; sed nihil valet, cum tantum esset differentia in tali casu ex parte loci; quod si ab hoc sumatur differentia, tantum erunt duæ species; nam quædam est materia contenta in partibus quæ sunt sub cute, & est anasarca; alia verò est ex materia quæ continetur in ventris capacitatem, & hæc est ascites & tympanites.

Quæres, cur sicut ex pituita fit hydrops, non fit ex reliquis humoribus. Ad quod primò dicimus nunquam visum esse generari tantam quantitatem bilis aut melancholiæ quæ tumidas reddit partes illas sub cute existentes, sicut reddit pituita. Præterea respondetur cæteros humorum antequam ad tantam quantitatem perveniant, ut hydropem faciant, irrigare ad sui expulsionem. De sanguine verò quarto humorè dicimus, quod licet multa quantitas ejus generetur, non colligitur in uno loco determinato ubi fit aliqua ex duobus speciebus hydropis, sed fluit per venas, cum sit humor valde familiaris nostræ naturæ, ob quam causam non exit extra ad partes sub cute existentes, ut in hydrope; ut etiamsi tumidæ appearant, ut quandò est plenitudo ad vasa. Tandem dicimus quod etiamsi concederemus tantam quantitatē humoris fieri ex illis, non tamen dicetur hydrops, quia hæc dicitur à Medicis ab aqua sub cute, cæteræ verò materiæ, vel humoris valde diversam habent naturam, & sic non causant hydropem.

## CAPVT III.

*De Hydropis natura & speciebus ejus.*

**M**ISSA nominis etymologia, quia nullius momenti est; sic Avicenn. definit hydropem *fén 14. lib. 3. tract. 4. cap. 4.* Est egritudō

## CAPUT IV.

*Quænam sit pars affecta in hydrope, an necessariò sit jecur.*

**P**A R T E M affectam in hydrope non esse necessariò jecur videtur probari primò quidem ex loco quem adducunt aliqui. Autores ex Galeno, in quo affirmat posse fieri hydrope per colligationem: ratione etiam probant de tympanite, nam nullo vitio existente in jecore potest venter ita distemperari, ut ex alimento & excrementis tantam copiam flatū generet, ut in tumorem ventrem elevet; ergo in tali casu erit tympanites, sine vitio jecoris. Secundò quia solum per vitium renū, ex eo quod ob debilitatem serum non trahant, tunc necelsum est tantam seri quantitatem coacervari inter peritonæum & intestina, ut faciat tumorem qui dicitur ascites. Ergo. Tertiò quia vitium sanguinis non solum evenit per vitium jecoris, sed etiam vitio ipsius alimenti; ergo nullo vitio existente in jecore, solum per vitium alimenti sanguis generabitur incoctus, & vitiosus, in quo casu erit hydrops, & non erit vitium in jecore.

Sed opposita sententia vera est, nempe in omni hydrope necessariò pati jecur, aut per se, aut per consensum: Et probatur, ratione quā Gal. utitur, quia non potest aliqua actio lædi quin lædatur instrumentum: sed jecur est pars generans sanguinem: ergo quilibet defectus, vel læsio in ejus generatione necessariò debet supponere læsionem in jecore quod instrumentum generationis sanguinis est, ac proindè cùm in qualibet hydrope specie sit error in generatione sanguinis, in qualibet patitur jecur. Dicere potest aliquis sufficere ut post genitum optimum sanguinem, mutetur in naturam alterius humoris ob partium frigidam distemperiem, & sic erit vitium in sanguine, quin lædatur jecur, sed quid dicendum ad hoc, constabit *infra*.

Argumenta omnia & autoritates quæ contra hunc placitum adduci solent, unico fundamento solvit Petrus Garcia; scilicet quod licet vitio renū, & propter distemperiem alvi generentur aqua & flatū in sufficienti quantitate, ut faciant tumorem, nihilominus non dici tales affectiones hydropes, quia necessariom est pati jecur, juxta omnes Medicos qui ita voluerunt appellare solum hydrope affectionem in qua sint prædicta signa cum vitio jecoris.

## CAPUT V.

*De loco ubi continetur materia hydropis, & an sit opus præter jecur aliam partem affici.*

**Q**UANTUM attinet ad anasarcam, aliis quibus videtur non tantum in ea esse affectum jecur, sed etiam opus esse facultatem nutritivam partium lædi intrinsecè, ita

ut in ea sint duo morbi complicati. Nobis tamen dicendum est quod licet casus sit possibilis, quod cum exiguo lapsu jecoris generantis pituitæ copiam, etiam nutritiva vis sit debilis, ut non possit suum actum exercere; in talique casu esse verum hydrope, tamen non esse necessariam in partibus illis peculiarem morbi rationem, ut sit verus hydrops; sed solum per affectionem jecoris, ineptâ existente materiâ nutritionis ad recipiendam perfectam alterationem, sequitur omne id quod requiritur ad verum hydrope, & ob eandem rationem, nempe ob ineptitudinem materiæ, venæ non mutabunt humorem illum, (si qua est in illis facultas.) Ratio vero ob quam in anasarcā non colligitur pituitosus humor, inter peritonæum & intestina; sed pervadit per vasa usque ad partes extimas corporis, est quia in via non est aliquid impedimentum, neque obstructio, aut quid coarctans, neque etiam ratione virtutis pellentis, aut trahentis est tanta debilitas quæ non sufficiat ad distributionem humoris.

Quantum vero attinet ad ascitem, videbimus præter distemperiem jecoris generantis illum aquosum humorē, non deduci talem aquosum humorē per vasa omnino, neque ad renes, aut vesicam, sed tantum colligitur in uno particulari loco; in praesenti autem queritur ratio ob quam non feratur ad renes & vesicam, posito quod in his est facultas tractativa serosi humoris. Respondetur multoties aquosum humorē in ascite non delabi in renes & vesicam, aut quia eorum facultas trahens est debilis, aut quia via est obstructa, ratione cuius materia congeritur juxta jecur. Et dico quod etiamsi tales partes nullo morbo laborent, solum penes eo quod facultas expultrix jecoris sit debilis, sit ut aquosus humor congeratur juxta jecur, & non mittatur ad renes & vesicam.

Super est quod de alia tercia specie hydrope dicamus quæ dicitur tympanites quæ ex flatu fit, an scilicet hæc fiat per solum affectionem jecoris, quin aliae partes necessariò afficiantur. Circa quod aliqui affirmarunt, necessariò ventriculum laborare distemperie frigidâ habituali, immo mesenterium & intestina; jecur vero laborare distemperie calida cum diminutione caloris nativi quæ valeat elevare flatus, & non resolvere, probant: nam si ventriculus non afficiatur, generabit optimum chylum; hoc autem accedente ad jecur, non potest efficere flatum; nam si jecur tunc laborat distemperie frigidâ, generabit crudum humorē; si calidâ, generabit bilem: ergo ut generet flatum oportet vitium esse in ventriculo quo generet chylum crudum, ex quo jecur possit elevare flatus in magna copia, ut faciat tympanitem. Nobis tamen dicendum est sufficere affectionem jecoris ad tympanitem; Probatur, quia si causa efficiens est jecur illo morbo affectum, etiam si chylus sit optimus, illum producer, ac proindè efficiet flatus ex chylo pessimo. Patet: nam dispositio ad aliquem effectum non est opus præcedere activitatem efficiens.

## C A P V T VI.

*Per quam partem aqua hydropicorum  
ingrediatur ad locum determinatum  
ventris.*

**C**ERTUM imprimis in hac re esse debet partem affectam in affectione hac esse illam quæ continentur inter peritonæum & intestina, seu omentum: difficultas est quomodo aut per quam viam aqua ingrediatur in talem particularem locum. Iuxta quod non defuere qui existimarent talem aquosum humorem dilabi in talem locum per scissuras, seu solutiones continuitatis quas imaginantur in jecore, & ejus membrana peritonæo: sed quām falsum hoc sit, constat prīmō quia sentiret dolor vehementer saltim dum fluit, cūm habeant tales partes acutum sensum; hoc autem non est experimento cognitum. Secundō, quia simul cum aqua illa sanguis efflueret in cavitatem illam, quod non appetet in dissectione, neque in eyacuatione ejus qui ad sanitatem restituitur.

Nobis tamen dicendum est talem aquosum humorē dilabi in partem illam seu locum determinatum dictum ob resudationem factam per pores: quod autem pori sint sufficiens via ad talem congregationem probatur à simili de resudatione sanguinis per cutem sanam, quæ plures continet: probatur etiam exemplo puris quod in suppuratis exit inter thoracem & pulmonem; similiter experimur aliquando per ossa exire crassam materiam, quod totum sit exeunte materia per poros; ergo sic similiter in tympanite humor ille aquosus poterit in illum locum determinatum vergere, ibique congeri. Neque ex hoc sequitur in benevolentibus fieri hujusmodi collectiōnem & tumorem: nam natura non mittit semper per eam viam: sed quandō ibi serosa humiditas commoratur juxta jecur quod propter imbecillitatem non potest mittere ad alias partes distantes, & magis opportunas; hoc autem non contingit tempore sanitatis. Neque sequitur reperiri hunc tumorem aquosum in his qui laborant suppressione urinæ; nam jecur si in hoc affectu benè valet, ut sāpē contingit, mittit urinam per viam quam potest longiorem, si verò debilis sit, & ibi moretur materia, siet hydrops.

## C A P V T VII.

*Quā distemperie laborat jecur dum sit  
hydrops materia.*

**C**OMMUNE & satis vulgare est inter Medicos fieri à distemperie frigida jecoris, quod probant ex eo quod humores facientes hydropsi sunt infra sanguinem; ergo possunt fieri à diminuto calore, & consequenter à jecoris frigiditate: sed hæc ratio non convincit, quia materia hydropsi non est infra sanguinem, ut sit via ad ipsum, sed potius aliena ab illius natura, quo sit ut non po-

stulerit fieri à diminuto instrumento, calore scilicet. Sed quem sensum habeat hæc doctrina de jecoris frigiditate, dicemus *infra*.

Quod autem majorem habet difficultatem est, an hydrops possit fieri à distemperie calida jecoris: pars affirmativa videtur suaderi à Galeno lib. 6. de locis cap. 1. Et ratio est, nam febris quæ in hydope perseverat, nequit fieri à distemperie quæ non sit calida: ergo. Præterea non est inconveniens quod à distemperie calida generetur frigida substantia: ergo quantumvis materia hydropsi sit infra sanguinem, & sic humores frigi- di sint, poterunt tamen fieri seu generari à distemperie calida jecoris. Antecedens in quo est difficultas probatur à simili, nam pituita est frigida, & tamen fit per coctionem à calore, simili- liter acetum est frigidum, & fit per putredinem à calore: ergo idem poterit dici de materia hydropsi, esse scilicet frigidam & fieri à distemperie calida jecoris posse.

Sed tota difficultas stat in eo quod dicamus quomodo fiat effectus hydropsi à causa calida, circa quod Vallesius *primo prognost. comment. 1.* tenet duobus modis posse affici jecur distemperie calida, alterā fiente, ut quandō non est mutatum radicale, & nativum temperamentum jecoris; alterā verò factā, in qua eversum est radicale temperamentum. Ex his autem intemperies facta calida est efficiens hydropsi; nam cūm coctio vel sanguificatio in hepate fiat à calore nativo, & talis sit diminutus in intemperie facta; secūs in fiente; hinc est quod in illa vitietur sanguifica- tio, & generetur aqua, in hoc verò minimè, eò quod nihil temperamenti, vel caloris innati sit amissum in jecore. Sed motus talis dicendi Vallesij non probatur. Prīmō quia intemperies calida jecoris est una numero quæ sit ex calore addito & innato: ergo sive intemperies sit facta, sive fiens, semper erit unum numero agens, cuius toti intentioni debet correspondere affectus, & non solū debet correspondere calido innato remanente in intemperie facta dicta à Vallesio.

Dices quod licet verum sit quod fiat unum ca- lidum ex calore addito & remanente, sive sit fiens, sive facta distemperies, tamen cūm produc- tio humorū fiat à calore naturali, & hic re- maneat in distemperie calida fiente, non verò in facta, indè est quod in hac vitietur sanguificatio, eò quod fiat à debili calore nativo. Sed cōtra est, quia substantiae quæ facunt hydropem; ut diximus, non causantur per diminutam coctionem facultatis quæ sit via ad coctionem perfectam, sed potius producuntur per depravatam actionem, cūm in quavis specie producatur substantia aliena à nostra natura; ergo non sufficit ad talem productionem calor nativus debilis; neque ex effectu colligitur necessitas talis causæ. Neque etiam videtur cur debilis calor infatus producat aquam in tympanite, quæ cūm frigida sit, à frigore fieri debet. Neque est eadem ratio genera- tionis aceti; nam istud generatur à calore per acci- dens, quatenus resolvere valer partes tenues ca- lidas vini, quo sit ut frigesciat; sed etiam si hoc modo generatur materia, vel aqua hydropsi, non oportet everti nativum temperamentum, ut ait Vallesius, sed calor etiam si fiens ejusdem activitatis est ad resolvendum; ergo eodem modo à distemperie calida fiente, ac à distemperie facta producitur materia hydropsi. Denique quia se- quitur in hydropicis omnibus esse hepaticā affec- tionem,

ctionem, cum hæc solùm proveniat propter ever-sionem temperamenti radicalis, ratione cuius excrementa dejiciuntur similes loturæ canis; cùmque in hydropicis eadem hæc distempries reperiatur, erit cum hydropoe complicata hepatica affectio. Respondere potest Vallesius hepaticam affectionem non solùm fieri ob prædictam causam, verùm ob debilitatem facultatis trahentis, hæc autem non est in hydropoe necessariò, & sic in illo non est necessariò hepatica affectio. Sed contra est, quia jam *soprà* vidimus fieri hepaticam excretionem per prædictam diminutionem caloris nativi, ex eo solum quod impeditur distributio sanguinis per venas, ergo frustrè requiritur debilitas trahentis.

Alij verò affirmarunt per calorem præternaturalam fieri resolutionem partium calidaru[m], ratione cuius producitur quedam habitualis frigiditas in jecore à qua producatur aqua in ascite. Sed non videtur intelligibile; nam si homo laboret febre, tunc nequit aqua fieri, cùm hæc à frigore debeat produci, & talis non sit dum est febris; esse autem habitualiter nihil obstat, nam agens quodlibet agit solùm per qualitatem quam habet actu, non per illam quam habet virtute seu habitu, sicut aqua calida per calorem, non per frigus quem habet, virtute vel habitu operatur.

Sed dicendum est cum P. Garc. non sufficere ad constituendas diversas species hydropis ponere diminutionem caloris nativi, quia hoc est commune in omnibus speciebus, & sic aliquid peculiare est ponendum præter hanc diminutionem à quo producatur in una specie aqua, in alia flatum, in alia pituita: hoc autem reducit Petr. Garcia ad diversam jecoris temperiem & dispositionem, ratione cuius modò producit aquam, modò flatum, modò pituitam, vel humorem crudum. Sed quād difficile intellectu sit, satis constat; mens enim ejus modum decidendi capere non potest: nam non explicat modum quo à diversis temperiebus fiat diversæ substantiæ & producatur. Nam si ait modò produci aquam à frigore, modò verò flatum à calore, oportet assignare modum quo hujusmodi intemperies id faciunt, ut ipse in dubium verrit. Præterea ad asserendum quomodò illæ tres species hydropis simul fieri possint, & simul perseverare, posito quod à diversis distempriebus, & contrariis nascuntur, docet has non consistere in indivisiibili; sed habere aliquam latitudinem, quo fit ut intra intemperiem requisitam ad productionem unius substantiæ possit ingredi altera intra ejus latitudinem sine ejus variatione in productione; & sic simul produci possunt omnes; ad quod etiam facit diversitas materiae & alimenti, ratione cuius producitur hæc substantia potius quād altera. Alia dubia movet Petr. Garcia super hoc caput. Primum est quomodò existente febre, possit produci aqua in ascite: Secundum cur qui laborant hec[tica] febre, aut marasma, non sint hydropici, posito quod in his sit consumptio calidi innati; tamen quia insoluta sunt, ab eis supersedeo, & aliam viam in hac re aggredi tento cuiusdam nostræ Scholæ Primarij in suis manuscriptis.

Docet ergo prædictus Recentior ascitem & tympanitem fieri à distemperie calida jecoris, non tamen ita ut ipsa per se conducat ad productionem aquæ, aut flatuum, sed quia per accidens id faciat, eò quod jecur ratione caloris ingentis, & præternaturalis (qui in eo præcedentibus febri-

bus ardentibus solet perseverare) liquet chylosam substantiam, separéque serum à parte crassiori chyli, postéaque ab eodem calore referatis & apertis oculis & tunicis venarum, derivatur serum inter peritonæum seu omentum, & intestina; quo fit ut in tumorem clevet talem partem, & sic ratione caloris & siccitatis urentis, per accidens contingat fieri separatio & congestio in talem partem, eò quod jecur maximam obstruktionem patiatur, ratione tumoris, ob quod non potest distribui pars serosa, sed in talem partem congregatur, indicium autem hujus congestionis est paucitas urinæ, eaque ignea & tenuis, sitis implacabilis, & excrementa indurata, quæ omnia denotant incendium jecoris; ex quo constat probabilitatem maximam habere hoc placitum.

Secunda occasio quæ ex exusto jecore generatur aqua, est quia vi caloris elevantur quamplurimi vapores ex illa materia humida ferventes, postea denique tangentes alias partes minus calidas quād ipsi vapores concrescent, & in aquam convertuntur, non aliter quād vapores qui elevantur ex olla fervente, operculum minus calidum tangentes concrescent, & in aquam murantur: sic ergo in jecore exusto contingit, ita ut ratione actionis adquirant vapores seu serosæ substantiæ ratione liquationis acridinem quādam quæ conducti ad penetrationem sicut in acetō contingit, quo fit ut congeratur illa aqua inter peritonæum & intestina, & sic fiat ascites à calore. Estque efficax ratio ad probandum aquam non posse generari à frigiditate jecoris; nam hæc potius incrassat chylum, & reddit illum contumacem, ac proinde ratione illius non attenuabitur & convertetur in aquam. Solùm autem potest dici frigiditas causa ascitis, non quia ratione frigiditatis generetur de novo aqua, sed quia fridida distemperie jecore laborante non trahit, aut lentè id facit, humorem aquosum, & inde gravatâ parte per oscula vasorum aperta, in ventrem rejicit aquosam substantiam, hæc tamen causa ascitis est rarer & infrequens.

De tympanite est etiam certum fieri à calore & siccitate etiamsi in majori intensione quād ascites; fit autem ab intenso calore & siccitate, ratione cuius elevantur flatus calidi & siccii, seu exhalationes quæ ineptæ sunt ut in aquā mutentur, etiamsi infrigidentur ab aliis partibus minus calidis; cum hoc tamen bene stat ut raro possit separari tympanites ab ascite, eò quod ex materia humida etiam elevantur vapores qui postea alterati à partibus in aquam vertuntur, & sic fit complicatio duarum specierum hydropis; requiritur autem major calor in tympanite, ut fiat terrestrior materia ratione unctionis, & sic vapores siccii elevantur qui non possint verti in aquam. Hinc constat contra Petrum Garciam non esse necessarium in omni hydropis specie lædi sanguificationem, nam alijs in omnibus esset malus corporis habitus ex sanguine aquoso & incocto generato; constat autem sèpè contingere hydroponicos esse tumidos in ventre, & tabidos secundum omnes alias partes: ergo.

Denique de anasarca dico quod quandò in ea totum corpus appetit tumidum, tunc causatur à frigida & humida intemperie, quando verò solùm venter tumescit, potest causari à calore & siccitate, non tam intenso ut in ascite & tympanite, sed remissori, quatenus alias partes humidas chyli resolvit, & alias coagulant, &

illas reddit crassas & lentas , ratione cuius non distribuatur , sed semicoctus in ventrem descendat , ed quod vasa per quæ debebat distribui sunt occlusa ob affectum inflammatorium jecoris.

## CAPVT VIII.

*Quæ species hydropis sit deterior.*

**M**ISSIS variis modis dicendi , quia nihil difficultatis continent , dicimus ex speciebus , ascitem esse deteriorem. Probatur quia illa est deterior species quæ fit à majori frigiditate : sed ascites fit à majori frigiditate , quæm tympanites & anasarca , quia aquosus humor frigidior est quæm pituita , & flatus : ergo ascites arguit majorem extinctionem caloris innati , ac proindè deterior est species ; accedit ad hoc quod communiter dicitur ab omnibus Medicis , nempè in anasarca aliquando mittendum esse sanguinem ; in aliis verò speciebus nullus dixit : ergo anasarca non est deterior aliis duabus. Quod autem ascites sit deterior tympanite , probatur quia flatus aliquem calorem indicant à quo elevantur : ergo non arguit tantam frigiditatem ac ascites ; præterea quia morbo eunte in melius , solet ex ascite fieri tympanites ; ergo ascites est deterior. Probatur , quia non aliter in longis latitudinibus intestinorum laudat Hippocrat. ructus acidos , nisi quia signum est aliquam coctionem adesse : ergo similiter in ascite elevari flatus erit optimum signum , quia significant maiorem aliquem calorem nativum à quo elevantur , & sic deterior est ascites quæm tympanites.


Sed dices : hydrops provenit defectu sanguificationis : ergo in illa specie cibi quo hæc fuerit magis frustrata , erit deterior ; sed est magis frustrata in tympanite , utpotè flatus magis distant à natura sanguinis , quæm pituita & serosa substantia ; nam illa dicitur sanguis non bene coctus , & humores sunt aqueæ naturæ : ergo videtur tympanitem esse deteriorem.

Sed hæc ratio nihil probat , nam non est undè colligat magis distare à natura sanguinis flatum quæm aqua : nam aër habet similem temperiem cum sanguine , & similiter flatus , ex quo fit ut ex parte solius effectus magis distet à sanguine aqua quam flatus ; undè fit nullam difficultatem habere argumentum.



## DISPV TATIO LX.

*De vitiis compositionis jecoris.*



## CAPVT PRIMVM.

*De jecoris obstructione.*

**I**N I T I S jam vitiis distemperiei quibus jecur affici solet , ad eos qui instrumentales sunt gradum faciamus. Et imprimis de obstructione jecoris agimus in præsenti capite. Ad cujus exactam intelligentiam supponere oportet quod inter Medicos convenit , scilicet quatuor esse partes quarum obstruktiones ad jecur referuntur.

Prima est obstructio venæ portæ , & venarum mesaraicarum per quas chylus à ventriculo in jecur fertur , quibus obstructis , impedito transitu chyli , adsunt chylosæ dejectiones.

Secunda obstructio spectat ad venas , aut eorum propagines , quæ degenerant in cavam venam per quam sanguis confectus distribuitur , ex qua sequitur atrophia , quia impeditur via per quam communicari debet alimentum ad omnes partes.

Tertia obstructio existit in vasis per quæ bilis ad intestina descendit , & felleum foramen constituent , ut contingit in icteritia laborantibus.


Quarta denique cum pori ipsius carnis jecoris , aut extrema vasorum illam disseminantium obstruuntur ; quas quatuor sub duabus comprehendit Avicenn. quandò dicit , *Oppilationes hepatis accidunt in carne hepatis , & quando accident in venis quæ sunt ab ipso.*

Ex his autem propriè & simpliciter talis de quæ agimus est quarta : nam aliæ non pertinet speciale curationem sicut quarta ; sed communis est una curatio tribus illis ; quod autem illæ tres dicantur secundum quid obstruktiones jecoris constat , ex eo quod quælibet ex illis debet reduci ad proprium caput cui primò & per se convenit symptoma ex illa procedens , ut obstructio venæ cave ad atrophiam ; & obstructio venæ portæ & mesaraicarum ad fluxum ventris chylosum. Qarta verò nulli alteri potest reduci nisi ad jecur quæ peculiarem expostulat curationem. Hæc autem obstructio jecoris est vade diversa ab aliis , nam aliæ sunt à crassis & lenti humoribus ; obstructio verò jecoris fit quia ejus substantia in magnitudinem augetur tactu nostro cognoscibilem , ed quod humor replens poros carnis jecoris magnitudinem & tumorem faciat , ratione cuius fiat compressio & obstructio in aliis cavitatibus , ita verò hæc doctrina est intelligenda ut tumor habeat rationem causæ conjunctæ prædictæ obstruktionis , non verò rationem morbi , quia tumor non impedit generationem sanguinis optimam , cum hæc solum tribuatur temperamento carnis jecoris quod per tumorem illum non vitiatur , quia cum tumore illo non est necessariò cōjuncta distemperies quæ lœdat actiones , etiam si possit progressu temporis comparari;

O O O      Licet

Licet autem prædicta compressio viarum ratione tumoris contracta possit dici obstructio, larga tamen significatione, quam pati potest jecur, nihilominus dicimus non solum propter tumorem posse pati obstructionem, sed etiam ab humoribus obstruentibus, & impedientibus viis seu porositatibus jecoris, quin elevent tumorem aliquem, quod ita manifestum est, ut non indigeat probatione ulla præter id quod in obstructionibus aliarum partium experimatur. Ex hoc etiam constat obstructiones omnes earum partium quæ ad jecoris compositionem spectant, dici propriè jecoris obstructiones, & non secundum quid, sed simpliciter talia, licet etiam inferre obstructionem jecoris non esse alterius naturæ quæ obstructiones aliarum partium.

His jaëtis, facile erit intelligere obstructionem esse morbum in mala compositione constitutus vitium in cavitate vitiata; symptoma vero quod sequitur ad jecoris obstructionem est diversum pro diversitate partis affectæ, ut in principio dubij conspicuè patet. Causæ vero prædictæ obstructionis aliæ sunt internæ, aliæ externæ; illæ sunt humores qui sua crassitie, vel lente, vel multitudine valeant impedire vias jecoris: similiter crassus vapor id efficere potest, ut cap. de apoplexia diximus: quando autem obstruction à solis vaporibus causatur, non inducit in partem sensum ponderis, sed solum tensionem. Quantum ad causas externas certum est alimenta crassa juvare ad obstructionem; de alimentis dulcibus est major dubitatio, an scilicet convenienter in jecoris obstructionibus, & præcipue de melle est inquisitio, in qua re si attendamus ad qualitates quas habet, & ad vim detergendi, dubium non est quin convenienter, at vero non debet exhiberi ob rationem tactam à Galen, quia videlicet cum dulce sit, maximè familiare omnibus partibus, inde est quod attrahatur à jecore antequam perfectè in ventriculo coquatur, & sic cum nondum cœlum attrahatur à jecore, confert ad oppilationes, & idem à Gal. reprobatur.



## CAPUT II.


### *De jecoris inflammatione.*

**G**UM satis constet de modo quo fiat quælibet inflammatio in qualibet parte illa sit, & ad quod genus morbi pertinet, idem in hoc immorandum non est: Est præterea certum nomine inflammationis jecoris intelligi tumorem factum ex sanguine quanto humore, quo communiter & frequenter afficitur jecur. Dubium igitur est in præsenti an pati possit tumorem cœdematosum, (nam de aliis non est controversia, si modum quo sunt perpendamus) circa quod non defuere qui existimarent jecur talem tumorem non habere; quod probant primò ex compacta substantia jecoris inepta ad penetrationem & congesionem materiae in illa parte, præsertim cum sit crassa. Secundò probant ex maximo calore nativo jecoris citò permutante frigidum humorem in sanguinem.

Sed hæc sententia nobis non probatur, & imprimis nihil valet prima ratio, nam ipsi assertunt jecur posse pati scirrum, sed melancholicus humor ex quo fit talis tumor, est crassior pituita; ergo requirit minus compactam substantiam, & tamen fit in jecore: ergo ob compactam substantiam jecoris non repugnat tumor cœdematosus. Præsertim cum membra cerebri habeat substantiam magis compactam, & tamen tumorem cœdematosum pati potest, quod etiam est verum in plevra: ergo idem poterit contingere in jecore. Secundò quia quantumvis calidum fit jecur, non est cur tam citò transmuter frigidum humor in sanguinem, ita ut ante non possit causare tumorem prædictum; ac proindè nobis videtur nulla ex parte implicate jecur affici cœdematoso tumore.

Alia potest esse circa hoc caput dubitatio, scilicet in qua parte jecoris inflammatio fit deterior, in gibba, an in cava; & dicimus cum Galen, deteriorem esse in gibba, quia ibi accedit sanguis magis depuratus, & eæ affecta, accidunt majora & deteriora symptomata ob majorem communionem quam habet hæc pars cum corde, & cum membris respirationis, & sic ex ea excitatur tussis & difficultas respirandi; & dolor usque ad jugulum: Et licet pars cava jecoris majorem habeat communionem cum ventriculo ob quod veniunt aliqua symptomata quæ majorem terorem possunt inducere, non tamen adeò mala & periculosa sunt sicut illa quæ sequuntur ex inflammatione partis gibbae jecoris, quo fit ut quantum ad essentiam morbi convenienter, quia idem est in utraque parte, solum ergo differunt prædictæ inflammationes & deteriora sunt ratione symptomatum quæ ad tales morbos sequuntur.

Signa autem quæ ostendunt jecoris inflammationem est dolor gravans; nam cum pars non habeat sensum, inde est quod solum ratione membranæ succingentis jecur, sentiat dolor à pondere humoris, non est autem pungens, quia cum membrana sit densa, humor faciens tumorem seu inflammationem eam non potest penetrare. Alterum signum est exigua tussis aliquandò secca, & aliquandò humida, hæc propter communicationem, vel resudationem materiae à jecore in asperam arteriam; secca autem contingit quia inflammatio jecore comprimitur septum transversum; quod fit ut cavitas pulmonis angustior redditur, & sic exigua est tussis, vel tussiendi cupiditas. Signa quibus distinguuntur jecoris inflammatione, & plevræ, sunt quia in hac non est sitis, nec vomitus, nec dolor gravans, seclusus in illa ob proximitatem cum ventriculo.



## DISPVTATIO LXI.

*De affectibus vesica fellis.*

## CAPVT VNICVM.

*De Ictero citrino.*

**S**UPPONERE primò debemus cum Galen esse tres species icteri, quarum duæ sunt simplices, scilicet altera quæ fit ex bile, & altera ex melancholia; alia denique tertia est composita quæ ex utroque humore commixta est: sed quidquid sit de hoc, primò dicemus de ictero, qui fit ex bile de qua Paulus sic loquitur *Est effusio bilis per totum corpus.* Avicenn. verò de utraque specie simplici sic scripsit, *Icteritia est alteratio corporis fæda ad citrinitatem tendens aut nigredinem, propter cursum humoris citrini & nigri ad cutem.* Ex quo satis constat esse symptoma in qualitate mutata; nam totum corpus in prima specie ad citrinum colorem declinat, quod fit propter cursum humoris ad cutem qui per imbibitionem causat talem colorem, non quia illum producat, cùm color non sit qualitas activa, & licet talis color sit naturalis humoris juxta cutem se moventi, nihilominus dicitur symptoma in qualitate mutata, quia diffunditur in locum non consuetum, ratione cuius in ambitu corporis appetet de novo diversus color, etiam si reverè non sit productus, ut diximus, sed solum sit humor habens talem colorem, inebibitus in partibus cutaneis; ad quod non est necesse quod putrefiat, nec de facto in illis partibus putrefiat, cùm constet quod si putreficeret, fieret febris proportionata illi humoris; inhæret ergo quod ut fiat icterus citrinus, non est necesse quod putrefascat humor.

Sed quæres quare non putrefiat bilis in ictero sicut contingit in erysipelate & herpette. Aliqui dicunt esse quia in ictero humor movetur versus poros qui sunt loca naturalia humoris, & sic non putrefiat; sed nobis non placet, quia quærimus à quo conservetur. Respondent à nullo alio quam ab ipsa parte existente in medio pororum. Quod si hoc est verum, etiam poterit conservare humorum qui excedat ipsam partem; deinde quia defectus illius partis, non est sufficiens ut prædictus humor putrefiat, cùm sit putredo effectus positivus qui requirit causam positivam; propterea dicendum nobis est non putrefaci humor in ictero, quia cùm sit in cute, & prope ipsam, non accedit causa putrefaciens quæ requiritur, præsertim quod ventiletur ab aere externo.

Quæres ulterius quare in ictero seu morbo regio, non sentiatur rigor.

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

Respondetur idēc esse quia licet humor moveatur per vasa quæ aliquem sensum & sufficientem habent, ut sentiatur objectum irritans, aut mordens, usque ad cutem, nihilominus non fit rigor, quia hujusmodi actio requirit partem musculosam, utpote rigor est concussio facta mediis muscularis, ac proindè cùm venæ non sint partes musculosæ, neque habeant facultatem quæ mediis illis operetur, non fit rigor, dum in ictero per venas movetur humor, etiamsi sit sufficiens sensus in illis ad percipendum objectum molestans.

Solum restat examinare à quo morbo nascatur tale symptoma, constabit tamen si causas internas perpendamus: imprimis supponere oportet icterum citrinum posse procedere auctio jecoris, aut vesica fellis, aut totius corporis: vitium hepatis non est unum à quo icterus nascitur, nam potest fieri à distemperie ejus calida, ratione cuius uberior fit generatio bilis quam oportet; & sic non est mirum illa redundant, intra vasa mitti ad cutem; tum etiam contingere potest icterus ob debilem virtutem expulsivam jecoris originatam, vel à distemperie, vel à morbo aliquo instrumentalis; deinde ab obstructione, vel inflammatione jecoris, ratione cuius impeditur expurgatio bilis, eò quod obstruēta & impedita sit via, vel ab humore, vel inflammatione.

Contingere etiam solet & frequenter, via vesica fellis, ut quandò trahens ejus facultas est debilis; sic enim non trahitur à vasibus in sufficienti quantitate, & redundant, & ad cutem pellitur. Addit Avicenn. etiam contingere ob fortitudinem virtutis trahentis; nam cùm trahatur in magna copia, adeò redundant in vesica, ut eā plenâ existente, non possit trahi à venis, eò quod ita distenditur, ut non possit comprimi ad tractionem ob plenitudinem in ipsa existentem; quandò autem ita contingit, ut propter nimiam distensionem non possit pellere vesica, ac proindè neque trahere, ibi est morbus compositionis si contingat ex obstructione meatuum; si verò ex debilitate facultatis expulsive contingat prædicta distensio, erit morbus in temperamento; contingit autem tunc icterus medio alio symptome videlicet retentione illius humoris facientis distensionem.

Denique potest contingere distemperie calidâ existente in omib[us] vasis, ratione cuius bilis generetur in majori quantitate, sicut de jecore diximus. Ex quo constat posse contingere icterum quin jecur vitietur, non solum vasibus laborantibus distemperie calidâ, sed etiam quandò per crismum talis humor biliosus expellitur ad cutem.

## DISPUTATIO LXII.

*De vitiis lienis.*

## CAPUT VNICVM.

*In quo de morbis lienis agitur, & præfertim de scirro.*

IEN sicut & jecur potest pati morbos tam in temperamento, quam in compositione, de quorum generatione in præsenti nihil dicemus; nam ab eisdem causis & eodem modo, ac in jecore generantur; tumores autem cum sint parvi, nullo modo possunt cognosci tactu, & sic ad ratiocinium recurrere debemus, ut tam de tumoribus quam de obstructione, & reliquis morbis integrum habeamus cognitionem; quod etiam est verum adhuc in tumoribus magnis; nam licet tactu cognoscantur, nihilominus si ratiocinationem non conjungimus cum tactu, imperfecta evadit eorum cognitione.


Quo ergo præsupposito, licet lien pati possit omnes tumores, frequenter afficitur scirro, quia nutritur sanguine valde crasso: hoc autem ita est intelligendum, ut attrahat ad sui nutritionem sanguinem crassum, & nutritiatur illo attracto ex tenuiori, & postea ex crasso remanente fiant tumores scirrhosi in liene; quapropter tales solent nominari lienosi, juxta Avicennam; unde scirrhī naturam declarare operæ pretium erit. Est igitur scirrhī *tumor durus contranaturam, sine dolore & sine sensu, impediens motum.* Ubi nota durum dici quod resistit tangentī; molle vero quod cedit in se se, non ut aqua, quia licet cedat tangentī, non cedit in se se, sed fluendo in aliam partem, quare mollis non dicitur, quia tangentī discedit, vel refluit ad latera; undē ad hoc ut aliquid cedat in se ipso, requirit consistentiam & coalitum, & difficultatem separationem.

Notare tamen oportet durum dici tripliciter: primò pro tenso, quā ratione corpora quae habent aliquam cavitatem, & replentur, tensa seu dura dicuntur, & medicamenta quae illam tollunt, dicuntur laxantia. Secundò aliquid dicitur durum quod à siccitate adquirit quemdam modum substantiæ, ratione cuius non solum dicitur sicum, sed durum, & medicamentum quod tollit hanc duritiem, verè dicitur emolliens. Tertiò aliquid dicitur durum quod concretum est à frigore, & medicamentum quod tollit concretionem dicitur liquans. Ex his autem acceptiōibus solum illud dicitur propriè durum quod à siccitate habet qualitatem prædictam, & illud molle quod ab humiditate eam habet. Hoc constat ex communī omnium usu; nam lapidem appellant durum glaciem concretam & utrem plenum & tensum, & sic propriè dicitur emolliens quod duritiem contractam à siccitate tollit, ut contingit in scir-


rō, licet etiam à frigiditate possit fieri in liene, ac proinde quandō in definitione ponitur tumor, dūrities debet intelligi de duritate facta à frigore, & siccitate, non de illa quae fit tensione solum.

Dividunt deinde schirrhī omnes Autores in exquisitum, & non exquisitum: vocant pri-mum qui est sine sensu & dolore, quia frigida-tas materiae tollit id quod est necessarium ad sen-sum, & hunc vocat Galen. incurabilem: secun-dus dicitur qui est sine dolore, aut exiguo, tamen cum aliquo sensu, est tamen curabilis, licet difficile, quilibet tamen ex his vocatur scirrus. Dicitur tamen in definitione impedire motum se-cundum partem oppositam, quia ratione tensio-nis, musculi non possunt moveri.

Tandem circa causas dicimus non solum fieri ex humore melancholico, sed etiam ex humore pituitoso crassiori & lento, frigidoque, ut passim docet Galen. pluribus in locis: dicitur autem ex quisitus qui solum ab uno humorē fit; nothus autem seu spurius qui ex his permittis fit.



## DISPUTATIO LXIII.

*De lapide renum, & vesicae.*

## CAPUT PRIMVM.

*Lapis qui in his partibus generatur quid sit præternaturam.*

 UPONERE tanquam certum in hac re debemus, quod licet nephritis propriè de lapide renum dicatur, tamen largiori significatione pro qualibet affectione illorum sumi solet; certum est etiam in pluribus parti-bus corporis posse lapidem generari, sed frequen-tius in renibus, aut vesica hominis, in reliquis vero animalibus non nisi raro contingit, licet utantur crassioribus & turbidis aquis, quia satis patentem viam habent per quam crassa illa mate-ria ex qua lapis fit, expurgatur; in hominibus ve-ro cum anfractus & viae sint angustiores, mirum non est, quod frequenter contingat in renibus aut vesica lapidis generatio.

Sed redeamus ad dubium quod querit quid sit præternaturam in nostro corpore genitus lapis. Et dicimus cum Petr. Garcia esse morbum in numero aucto, & etiam secundum aliam considerationem esse symptoma tertij generis, quia supponit aliud morbum à quo generetur, nem-pè distemperiem aliquam contra naturam. Simili-ter secundum aliam considerationem habere pos-test rationem causæ, quatenus valet excitare do-lorem. Sed ut intelligamus à quo morbo ortum ducat quandō habet rationem symptomatis in tertio genere, explicare oportet à qua causa fiat lapis. Et quantū ad materiam ex qua fit, cer-tum est esse materiam crassam & lentam quæcumque illa fit. Et cum haec conditions frequenter in pituita reperiuntur, ideo sàpè Autores illis fecerunt mentionem, & merito, quia habet cras-situdinem, & lentorem ut detineatur, & fiat lapis.

De causa efficienti est major controversia; sed dicimus esse calorem qualitas instrumentalis,

mediæ

mediā quā lapis generatur, quatenus per resolutionem totius humidi existentis in materia crassa facit indurationem in remanente, & sic lapidem efficit. Hæc sententia est expressa Galen. & Avicenn. & Hippocr. quampluribus in locis, ubi expressè id fatentur. Neque credendum est à frigore & calore simul fieri lapidem, neque à frigore solum vivo animali potest fieri. Totum quod impugnat satis doctè Petr. Garc. in hoc cap. Quod autem à solo calore fiat in nostro corpore probatur, quia solum sunt duas causæ facientes concretionem, calor scilicet & frigus: sed à frigore nequit fieri illa concretio, ut potest vivo animali tanta frigiditas non potest esse quæ valeat facere concretionem: ergo non à frigiditate: sed à calore fit lapis; cum hoc tamen est verum quod etiam si concretio fiat à calore excedenti, & præternaturam, nihilominus non oportet esse igneum, & valde urens; nam cùm effectus non solum nascatur vi efficientis, sed etiam ad illum dispositio materiae coadiuvet, inde est quod cùm materia ex qua sit lapis, sit valde crassa & lenta, valde conducit ad concretionem, & sic non est necesse calorem esse igneum, nisi dum materia non est ita disposita, ut conducat ad concretionem ipsam.

Dices: si lapis fit per actionem calidi humidi resolutientis existentis in materia, & siccitatem producentis in ea: ergo in curatione optimè procedet Medicus si utatur medicamentis humidis emollientibus. Respondetur his medicamentis non ut Medicos, non quia non prosumunt calculis; nam in externis videmus lapidem, aquæ guttulis reddi mollem longissimo temporis spatium, & sic idem contingit in lapide renum: tamen quis requirit longum spatum temporis, ideo Medici, medicamentis habentibus partes tenues utuntur, quibus fit desitio lapidis.

De parte affecta dicere est necessarium, id est de parte ubi lapides generantur. Et dico generari in carne & in cavitate renum, licet faciliter in hac quam in illa; neque ad hoc obstat habere hebetem sensum; nam solum tempore quo generatur & dejectus est dolor pungens, quod fit ratione membranae, nam tempore quo ejicitur, cùm ad cavitatem accedit, in membrana qua ibi est, excitat divisionem; at verò ante dejectionem & post ejus generationem solum sensum gravitatis inducit. Neque oportet cavitas ut generetur, nam solum per adhæsionem carni, potest generari; & postea per cavitatem ad ureteres duci; & sic per urinam excerni.

Restat tamen aliquid de generatione arenularum dicere, & dicimus generari à calore excante ex materia crassa, sicut lapides; contingit autem generatio arenularum discontinuarum in tam minimas partes, quia materia non habet lentorem & viscositatem, ratione ejus partes non servant continuitatem, qualem in lapide, contingit. Sed dices: si materia est continua, etiā non habeat lentorem à quo discontinuantur; Respondetur quod quando materia non est simul, sed successivè per minimas partes applicatur, non est dubium tunc generari arenulas, quando verò est tota simul, ideo generantur arenulae, quia defectus humiditatis consumptæ discontinuantur partes, non quidem quod ipse defectus sit totalis causa; sed occasio seu conditio, in ipso verò transiit continuitatem amittunt: nam amissâ humiditate, facile discedunt partes inter se; pars au-

tem in qua generantur, vel est ipsa renum caro, vel cavitas; nam positâ materia in qualibet parte ex his, & distemperie prædicta, non est ratio quare in qualibet parte non producantur.

.....+.....

## C A P V T II.

### De lapide vesicæ peculiariter.

**L**ICET Medici proprium caput faciant de lapide vesicæ, non tamen defuerunt qui negarunt in ea generari, sed solum à renibus ad illam pervenire. Probant in ea non posse de novo generari, quia ut ex materia crassa & lenta fiat lapis, debet ibi detineri tempore idoneo: atqui hujusmodi humores in vesica detineri nequeunt tempore opportuno, ut lapis generetur, eo quod cervice vesicæ bene se habente, expellit simul cum urina omnem materiam grossam, & grumum sanguinis; videtur ergo ibi non posse generari. Sed si veritati & prædictis principiis stenus, non est cur non possint generari de novo lapides in vesica; nam in ea est sufficiens calor, ut materia posita idonea, & cum dispositionibus dictis in superiori, cap. fiat prædicta generatio, & ex alia parte potest detineri materia tempore idoneo, ut si facultas expultrix, vesicæ sit debilis, aut si meatus cervicis occlusus est tumore aut catuncula, aut si propter suum pondus humor petat fundum ventriculi; non ergo repugnat in vesica talis generatio, quod autem sufficiens sit calor, ita est certum, ut dicamus sufficere calorem naturalem suppositâ dispositione materiae, & non solum in vesica, id est certum, verum in renibus etiam, quia utriusque eadem est ratio; sed non ita frequenter contingit ex calore naturali quam ex illo qui est præter naturam, sed raro ab illo: & licet verum sit quod quod materia est crassior, difficiliorem patiatur resolutionem, & sic videatur agens validum necessarium in majori intentione quam calor naturalis; id tamen verum non est, quia in materia crassa minor resolutio sufficit ad concretionem; hæc autem aliquando potest fieri à calore naturali, licet raro; ex hoc autem non colligitur continuo in omnibus pueris debere generari lapides, quia non omnes habent æqualem calorem in intentione: neque in omnibus est similis materia in lentore & crassitatem; si verò sint hæc omnia æqualia, erit generatio in omnibus. Ratio autem quare in pueris frequentius sit lapis in vesica quam in senibus, est quia expulsio urinæ ex vesica fit mediis musculis operante facultate animali: facultas autem hæc est debilis in pueris; nam constat minori impetu urinam pellere; quo fit ut eorum vesica non rectè expurgetur, sed aliquid semper maneat subsidens crassum; quo detento faciliter generatur lapis; at verò expulsio urinæ ex renibus non fit facultate animali, sed naturali, hæc autem cùm robusta sit in pueris, facile expellit, & sic raro pueri generant lapides in renibus, fecis senes.

## C A P V T III.

*In quo quedam explicantur quæ ex signis  
& differentia morboſi lapidis  
ſumuntur.*

**R**AETERM I S S I S aliquibus signis quæ circa lapides renūm & vesicā traduntur communiter, in præſenti de aliquibus erit ſermo, quorum cauſa certa non inveniuntur: & imprimis circa diſtinctiōnem doloris renūm à dolore colico ex parte temporis, tenet Avicenn. diſcriben- eſſe quod dolor renūm fit fortis tempore vacuitatis, in quo alleviatur dolor colicus, quod idē dixit Avicenn. non quia cibo exiſtente in ventri- culo, & præſertim in iñtestinīs dum tranſit, non cauſet aggravaſionem, & pondus, & ſic etiam tempore repletionis, eſt dolor renūm fortis, in dō & colicus in hoc ſenu: ſed cūm dolor renūm non ſolūm augeatur per repletionem cibi in ventri- culo, & in iñtestinīs, ſed etiam ex repletione venarū, poſtquam alimentum in ſanguinem mutatum eſt, & diſtribuitur, ratione cuius re- nes grayantur, & comprimuntur, quia vafa re- plentur: quo tempore colici dolores remittuntur, qui erant aucti ratione excrementosæ ſubſtantie, & ſic vacuatā cauſā ceſſant, ac proindē quando dixit Avicenn. Renalis dolor fit fortis tempore vacui- tatis, debet intelligi, quando tam ventriculus quām iñtestina vacuata ſunt chylo, & diſtribu- tio ſanguinis ex illo facti, & tunc colicus allevia- tur in ea hora, quia iñtestina dum diſtributio ſanguinis fit, non comprimuntur.

Sed contra coniunctionem eſt, quia ex ea ſequitur repletione, & non repletione exacerbari dolores, probatur, quia ſi non eſt cibus in ventri- culo, eſt dolor fortis ratione ſanguinis in ve- nis; ſi verò eſt cibus, eſt dolor fortis ratione illius, & excrementi: ſed quando eſt cibus, non eſt ſanguis, & quando eſt ſanguinis diſtributio, non eſt cibus; ergo ſemper erit fortis dolor, ac proindē ex hac parte non eſt differentia ut à dolore colico diſtinguitur.

Alterum dubium eſt, cūm contingat ſapè urinam ſupprimi, aut puriorem redi; undē contingat hoc exiſtente lapide in uno rene tantū, cūm fit alter per quem poſſit tranſire æquali crassitie & multitudine.

Repondeo non poſſe ex alia cauſa contingere, niſi quia oſculum per quod ingreditur urina in vesicam ſit obſtructum, aut aliiquid ultra alterum renūm quod impediēbat tranſitum, & ſic vel erat ſuppreſſio, vel pura mingebatur, aliter verò nullo oſtio exiſtente in via urinaria, & in uno rene id non continget, altero ſolūm viſitato.

Dubitabis ulterius, an ex arenulis excretis cer- tō poſſimus præſagire lapidem eſſe in reni- bus, aut vesica. Et partem negativam defendi- mus, nam materia ex qua arenulae generantur eſt magis diuīſa, & mihi ſuita & glutinosa quām illa ex qua lapides generantur: ergo non hoc ipſo quod eſt materia idonea ad generationem arenu- larum & excernuntur, debemus præſagire eſſe la- pidem, præſertim cūm ad hujas generationem requiritur major mora temporis, ſive à debili fa-

cultate expellente, ſive ab obſtructione quæ omnia poſſunt deficerē, quando arenulae excernun- tur, ſolūm autem ex arenulis excretis debemus timere lapidem futurum. Præterea, quia etiam per urinam poſſunt excerni arenulae quæ generari poſſunt in venis & in jecore, in quo cauſu nullo modo poterunt eſſe præſagium lapidis. Solūm ergo poſſunt eſſe signa ut diſtinguamus dolorem nephriticum à colico; nam ſi apparet arenulae in ſubsidentiis, id debemus coniectare, præſertim ſi anteā urina præceſſerit depurata.

Denique advertere oportet signa quæ traduntur. Autores ad diſtinguendum, an lapis ſit ex renibus, an ex vesica; nam lapis renūm eſt ruber, in veſica verò albus, vel cineritus, & non ſolūm major, ſed majoris duritie. Sed reverā hæc omnia signa non ſunt ita certa ut per ea diſtinctio prædicta cognoscatur: nam color poſteſt in utraque parte idem adquiri, cum poſſit eſſe efficiens in eadem iñtensione, & materia eadem, & ob eandem rationem poſteſt adquirere in utraque parte eandem duritie: ſolūm ergo ſunt signa diſtinctiva, quia frequenter eveniunt.

## C A P U T IV.


*An lapidis exiſtentis in renibus aut  
vesica, ſit aliquod ſignum  
pathognomonicum.*

**U**M conſtet ex dictis quid ſit ſignum patho- gnomonicum, in præſenti in hoc non immo- ramur: ſed circa rem propositam dicimus non dari tale ſignum neceſſariò demonstrans lapidem eſſe in renibus, aut vesica, quod ſcilicet inha- reat perpetuū, & ſolis eis conveniat. Hæc con- cluſio maniſta fiet ſi percurramus omnia signa quæ ab Autoribus tradi ſolent. Primum de ſitu partiſ dolentis nihil valet, cūm ob proximitatem partium, taliter cum colico deobſcuretur, ut im- poſſibile ſit tales dolores diſtinguere ratione loci, ubi ſentitur dolor. Neque ſignum ex ſpecie doloris aliiquid valet; nam afferunt dolorem re- num eſſe gravantem dum lapis eſt in illis: con- ſtat enim quod ſi laborant inflammatione, aut ob- ſtructione, eſſe etiam in illis dolorem gravantem; ergo talis ſpecies doloris non eſt ſignum eſſen- tiale demonstrans lapidem. Neque ex arenulis po- tent ſumi certum ſignum, ut c. præcedenti diximus. Neque urina aquoſa eſt ſignum certum; nam po- terit obſtrui via ab humore crasso, quo fiet ut te- nuis & depurata mingatur ob humorem obſtruē- tem & impedientem tranſitum illius quod cras- sum eſt in urina: ergo non eſt tale ſignum eſſen- tiale. Aliud ſignum ab aliis afferunt, nempe quando excernitur per vesicam ſanguis aquoſus. Sed id verum non eſt, cūm non ſemper excernant ſanguinem, niſi quando acutus aut exasperatus eſt lapis, & præterea quia ſanguis poſteſt excerni per urinam ob alias cauſas. Neque eſt undē conſtet debere eſſe aquoſum, cūm ruptio à lapide facta non eſt cur non extrahat ſanguinem depuratum. Neque stupor in crure ē regione poſti reni calcu- lo laborantis: neque retrac̄tio testiculi ejusdem la- teris, ſigna eſſentialia ſunt lapidem demonstran- tia, quia hæc poſſunt venire ab obſtructione, aut inflamma-

inflammatione renum : neque illud quod de vomitu dicitur ab aliquibus , aliquam habet vim , cùm in dolore colico hujusmodi vomitus contingat.

Denique neque ex syndrome omnium horum signorum certò possumus colligere renes lapide laborare ; nam omnia dicta simul ferè nunquam sunt , ac proindè ex Galeni sententia in hac re existinare debemus non esse cognitionem certam talis affectus , sed solum conjecturabilem . Gal. autem eam solum cognovit postquam propinavit medicamentum aptum ad comminuendum lapidem , & postea in urinis fabulosa quedam confinxit.

simus experiri , ac proindè cùm nullum signum ita essentialis sit , ut ex eo certam cognitionem habere possumus de lapide existente in vesica ad conjecturas fugere debemus , & sic Medicus debet respicere vitam & causas antecedentes , & co-mitantes , ex quibus meliori quo poterit indicio conjectare poterit de hoc malo.



## C A P U T V I.

*An cùm Medicus ignorat aliquem morbum , possit commodè aliquod remedium exercere.*

### C A P V T V.

*An lapidis existentis in vesica sit certa cognitione , & per signa pathognomonica.*

 **P**O R T E T sigillatim signa omnia quæ ab Autoribus traduntur ostendentia lapidem vesicæ recensere , ut videamus an ex illis aliquid sit signum essentialis , ex quo certam cognitionem possimus habere . Primum signum quod tradunt est urina tenuis & subalbida : sed talem esse , non est , utpote potest talis reddi non solum ex lapide vesicæ obstruentis , & impeditis transitum substantiae crassæ , sed etiam per obstructionem viæ ex alio quolibet : præterea quia existente lapide in cavitate vesicæ , & non in collo ejus , aut in foramine , urina erit crassa , quia via non est impedita : ergo tale signum verum non est : neque urinam esse arenosam , lapidem certò significat , cùm ex supra dictis constet posse oriari à renibus , aut posse generari arenulas in vasis , & postea excerni per urinam .

Neque pruritus molestus pudendi lapidem denotat ; nam talis potest procedere ex humore molestante , sicut etiam frequens erectio ipsius pudendi , ita ut irritatio , vel humoris , vel lapidis sit occasio ut laborantes contractent pudendum manibus , & sic fiat erectio illa frequens occasionaliter tantum à causa pruritum faciente ; unde constabit talem erectionem certò lapidem vesicæ non ostendere . Similiter exitus ani ponitur ut signum , quandò lapis est adeò magnus , ad cuius expulsionem apponitur maximus conatus quo laxantur ligamenta illius partis , & sic exit anus . Sed noster Petrus Garcia assertit se vidisse hominem habentem in vesica sex lapides notatu dignæ magnitudinis , ita ut quatuor essent magnitudine nucis , & tamen nunquam passus est exitum ani : ex quo constat falsitatem signi .

Neque ex suppressione urinæ , neque ex dolore gravante id colligere debemus ; nam hic potest procedere ex alia causa , & similiter illa , præterquam potest esse lapis in vesica . & urinam non esse suppressam , immo neque tenuem , si lapis sit in cavitate , vel in parietibus vesicæ . Alterum signum aliqui ponunt , ut si anteà fuerit suppressa urina , & postea immiso cathetero effluat : sed neque hoc tale signum non est , quia ex caruncula in via existente , aut factâ ibi obstructione à crassis humoribus , aut grumo sanguinis , idem pos-

**P**O S S E Medicum ignoratâ essentiali morbi aliquod remedium exercere , methodicè procedendo , pro certo habemus . Probatürque imprimis ex indicatione sumpta à juvantibus , & nocentibus : nam si ignorato morbo nihil esset agendum , perperam esset positum medium illud ad illius cognitionem , si hujusmodi remedium exhibetur ignorato morbo , cùm sit ad ejus cognitionem inveniendam . Secundò probatur ex ipso Galen . qui lib . 2 . de locis affect . cap . 5 . fatetur se ignorasse an morbus quo laborabat , esset nephriticus , an verò colicus , & postea aliquibus medicamentis adhibitis , cognovit neque lapidem fuisse causam , neque in ureteribus , neque in renibus locum laborantem fuisse , sed in intestinis potius crassioribus : postea verò fatetur se usum fuisse clystere ex rutaceo oleo : ergo ex sententia Galen . constat posse Medicum exercere aliquod remedium ignoratâ essentiali morbi . Et ratio est : nam ob similitudinem quam habent , solent multoties ignorari morbi ; similes verò morbi habent curationem quodammodo similem , & sic per illud quod habent commune , curatio incipi debet . Deinde quia inter indicationes aliæ sunt priores , aliæ posteriores , & inter has ultima est quæ sumitur ex essentiali morbi pendentis à causa ; ergo bene potest aliquod remedium exerceri in principio conveniens , etiam si non cognoscatur qualis sit essentialia . Tandem quia essentialia morbi , magnitudo , & acutes , diverso modo cognoscuntur ; nam essentialia cognoscuntur signis pathognomonicis ; magnitudo ex magnitudine corum , & tandem acutes ex crebritate paroxysmorum & laboribus , citò advenientibus . Ex quo patet posse nos cognoscere aliquem morbum esse acutum ignoratâ ejus essentiali : ergo tunc poterit Medicus consulere vietū rationem tenuem , & cognitâ magnitudine ex acutie ipsa à qua magnitudo nequit separari ; ignoratâ etiam essentiali morbi , viribus constantibus , poterit Medicus sanguinis missionem consulere : quandò verò dicimus acutie , cognitâ , cognosci magnitudinem morbi , debet intelligi non de magnitudine essentiali morbi ; nam haec solum per magnitudinem signorum essentialium quæ essentialiam demonstrant , cognoscuntur : debet ergo intelligi de magnitudine secundum malignitatem . Et licet ibi in particulari non cognoscatur magnitudo , sufficit tamen eam in genere cognoscere , ut sanguinis visus exerceatur .


Secundò pro certo etiam habemus posse Medicum methodicè exercere remedium , non solum ignoratâ

ignoratâ essentiâ , sed & causâ , quod fecit Galen. historiâ *suprà* relata , existimavit enim ibi causam esse lapidem renum , & erat pituita vitrea. Deinde probatur: nam si aliquis corripiatur morbo comitiali, etiamsi ignoret ejus causam esse, aut bilem, aut pituitam, aut melancholiam , tunc cessandum non est; nam ex quacunque fiat causa , tunc fieri debent remedia communia revellentia à capite ob communes indicationes. Ulterius , quis neget etiamsi ignoraret causa doloris , posse Medicum ura remediis anodynisi: ergo. Etiam ignoratâ parte affectâ potest Medicus methodicè exercere ali- quod remedium , ut in prædicta historia fecit Galen. Præterea laborante quis inflammatione internâ , etiamsi ignoret esse in plevra, an in pulmone , statim debet sanguinem mittere , sumptâ ratione ab indicatione communis: ergo. Cum hoc tamen verum est Medicum non debere ignorare omnia , sed aliquid cognoscere ad morbum per- tinens ; nam si omnia ignoret , absque dubio ni- hil debet facere curativum.



## DISPUTATIO LXIV.

### *De symptomatibus contingentibus circa urinæ excretionem.*



## CAPVT PRIMVM.


### *De Diabete.*

 **M**ISSA nominis etymologia, di- versæ quæ circa hunc affectum Au- tores adducunt , ad id quod majus est accedimus. Est igitur Diabetes celer excretio per urinam ejus quod bibitur in majori quantitate & copia , sine muta- tione , aut alteratione aliqua : In qua affectione tria sunt consideranda , primum celer excretio ejus quod bibitur , in quo assimilatur lienteriae seu lœvitati intestinalium , in qua fit celer excre- tio ejus quod devoratur eo modo ac devoratum fuit: secundum quod debemus considerare est im- modica copia substantiæ excretionis. Tertium de- nique & præcipuum est immodica sitis, quæ pro- cedit ex maxima trahitione substantiæ potabilis , & ejusdem excretioni: nā defectu hujus vasa renis sunt exiccata & arefacta , & sic trahunt à jecore & ventriculo qui exinanitus appetit potum ; in quo convenit cum canina appetentia. Adverte- ramen oportet quod quandò dicimus in diabete esse celerem excretionem in majori quantitate ejus quod bibitur sine mutatione aliqua , debet intelligi quod hoc semper contingat dum est in vigore summo : nam in principio hujus affectus potest contingere, ut detineatur per aliquod tem- pus , & postea emititur urina in seri formam; sed serum differt à potu , ergo non semper illud re- quiritur , sed quandò morbus est in summo vi- gore.

Ex his constabit quantum attinet ad urinam excretam , esse symptoma in tertio genere consi- stens in his quæ excernuntur in immodica quan- titate. Quantum verò attinet ad celerem transi-

tum , existimare oportet esse symptoma actionis lœsæ facultatis renum , sicut quantum ad sitim , est symptoma ventriculi. Sed dubitationem ha- bet cuius facultatis sit symptoma ille celer transi- tus , cum scilicet ita dejicitur potus ac est as- sumptus. Circa quod imprimis est certum facul- tatatem trahentem renum , esse lœsam , ita ut eo- rum actio sit depravata aucta:nam aliter substanciæ potabilis & serosa non veniret ad renes tam citò. Deinde certum est facultatem retentricem renum esse debilem , & ejus actionem ablatam ; aliter enim ita celer excretio non esset ejus quod bibitur , si renes retinerent. De expultrice facul- tate renum etiam dicimus lœdi , nam non sufficit trahentem immodice trahere , nisi postea gravata facultate expultrice ob nimiam copiam aquæ & serosæ substanciæ pellat statim , ita tamen patitur ut non vitetur ejus temperies, sed quasi per con- sensum patiatut solùm per aggravationem.

De facultate coœtrice est majus dubium, an sci- licet necessariò debeat lœdi in diabete: & videtur dicendum sufficere attrahentem esse depravatam , & retentricem ablatam , expultricemque deprava- tè operari : nam his ita existentibus fit celer excretio ejus quod bibitur in majori quantitate , eo modo quo est bibitum sine aliqua alteratio- ne ; ergo non est necessarium debilem esse coœtricem ; sed sufficit ut coœtrix non operetur quod attrahens nimis attrahat : sed licet quantum at- tinet ad potum hoc sit verum , tamen quantum ad serum quod attrahitur ex venoso genere , vi- detur coœtricem lœdi ; nam quod coœtrix non sit debilis , non appetet possibile , quod serum tam crudum & incoctum attrahatur.



## CAPVT II.

### *A quo morbo nascatur diabetes, & que pars afficiatur.*

**E**R TU M imprimis est circa præsens du- bium , morbum à quo procedit diabetes esse intemperiem calidam renum , ratione cuius fit nimia & inordinata attractione substantiæ potabilis & serosæ , posteaque gravata facultate fit excretio celer absque immutatione aliqua , ut diximus , *precedenti cap.* Sed in præsenti dubium majus est an à distemperie frigida possit evenire prædictum symptoma. Et negativam partem de- fendimus ; nam frigiditas non potest conducere ad attractionem illam immodicam necessariò re- quisitam , inò potius ad contrarium conductit: ergo videtur impossibile frigidam distemperiem fa- cere diabetem. Solùm ergo possumus dicere fri- gitudinem solùm conducere ut si vasa irritata pel- lant circa renes, isti recipient, hæc tamen non erit diabetes legitima, quia ad hanc requiritur ut fluat epota substantia statim , bene tamen erit cruda urina ob hanc causam.

Circa partem affectam docet Galen. renes esse: sed licet hoc certum sit, etiam est certum pati vesicam urinariam debilitatem in retentriæ ; nam si renes laborant tali debilitate, & vesica bene se habeat secundum retentricem , non fiet excretio celer : ergo opus est retentricem vesicæ etiam lœdi.

Dices sufficere gravari vesicam nimia quanti- tate

tate substantiae potabilis & serosa, & sic expelli; quo sit ut non sit necessaria debilitas retentrice in renibus. Tamen contra est, quia idem possemus dicere in renibus, nam poterant gravari quantitate attracta, & sic expellere sine vicio retentrice ullo. Sed tamen vitium in retentrice tam in renibus quam in vesica reperiri pro certo habemus, cum in hoc affectu non sit necessaria magna quantitas aquae & seri gravantis has partes, ut citò expellantur, sed quælibet parva quantitas expellitur; quo fieri ut si tunc renes & vesica quoad retinentem facultatem bene se habeant, non expelletur celeriter; ergo tale vitium requiritur.

Sed restat dubium an ad diabetem sufficiat distemperies calida in renibus, an vero sit necessarium aliam partem hac distemperie affici. Et dicimus necessarium esse jecur eam distemperie affici, & non sufficere renes solum laborare calidam distemperie; nam quando inflammatione tenentur, afficiuntur magna distemperie calida: sed tunc non est diabetes; ergo aliquid aliud requiritur; hoc autem existimamus esse distemperi calidam jecoris, ita ut ipse in hac affectione debeat pati, non solum quando urina sit similis potui, sed quando excernitur in majori quantitate. Et ratio est quia jecur est pars ubi generantur humores secundum naturam, & serum etiam in eo producitur, ergo ad hoc ut in diabete copiosior sit urina, supponit copiosorem seri generationem in jecore, ac proinde videtur in hac affectione jecur pati. Similiter ex distemperie calida renum & totius generis venosi, potest fieri diabetes per liquationem, & separationem seri a calore factam, tamen hoc non est necessarium, ita ut sine eo praedicta affectio non possit fieri.

la celerrima affectio in attractione, quod est verum, non tamen negat Gal. vesicam attrahere urinam à renibus, vel saltim ab ureteris.

Dubium est an in vesica sit facultas retinens urinam, non quidem de retentione ad nutritionem necessaria; nam de hac non est dubium, sed de illa quæ sit mediis fibris, quam etiam concedimus; cum natura dedit instrumentum ad id, nempe fibras obliquas ad hoc munus destinatas: præterquam quod hoc expressit Gal. 1.5. de usu part. c. 11. Neque obstat quod aiunt de musculo claudente collum vesicæ; nam si iste paralyticus afficiatur, excernitur urina præter voluntatem: ergo non videtur necessaria facultas retinens; nam nunquam sit talis excretio per solum vitium talis musculi, nisi patientur villi obliqui, vel tanta sit quantitas que superet virtutem retentricem, & ita fiat excretio prædicta.

Aliud dubium est an facultates quibus dicta munera excentur, sint omnino operantes modo naturali, an etiam concurreat facultas sponte agens: Et de retentrice certum est fieri, non solum actione illa fibrarum obliquarum, sed etiam musculo claudente collo (sphinctere dicto) operante in nobis ex voluntate. Quod constat ex eo quod retineamus urinam dum volumus; & patet etiam ex usu illius musculi circundantis collum, qui talis ut adeo retineatur urina ne fluat, ut diximus, eò quod claudat orificium & meatum. Sed major est difficultas de expulsione urinæ, an scilicet fiat solum agente facultate naturali. Et partem negativam defendimus, dicimusque esse actionem voluntariam ea parte quæ requirat laxationem musculi claudentis vesicam qui dependenter à nostra voluntate operatur, ac proinde expulsio urinæ partim est actio naturalis, partim vero voluntaria.

Sed dices: musculus tantum habet unicum motu scilicet contractionis qui sit dum retinetur urina: ergo si laxatio ejusdem musculi est necessaria ad expulsionem, videtur non fieri ab eodem musculo operante dependenter à nostra voluntate, cum usus ejus sit contractionis solum. Respondetur laxationem musculi claudentis os vesicæ fieri per contractionem muscularum abdominis, & sic laxatio est actio voluntaria in nobis: præterquam hæc veritas constat, quia urinam reddimus dum volumus; vel possumus respondere prædictæ difficultati, dicendo quod etiamsi musculi oppositi non essent, per quorum contractionem laxatio in altero fieret, fieret prædicta laxatio ex impietu facta ab intra ad expulsionem, ratione cuius prædictus musculus laxaretur, seu dilataretur, ac per consequens fieret urinæ excretio.

## DISPVTATIO LXV.

*De his quæ pertinent ad vesicam urinæ.*

### CAPVT PRIMVM.

*Quas actiones circa urinam habeat vesica in statu naturali.*

 D perfectam cognitionem actionum quæ lèduntur circa urinæ excretionem, oportet prius examinare quas actiones habeat vesica dum est in statu naturali circa urinam. Ad quod supponere oportet tres esse genus fibrarum in vesica; aliæ enim sunt fibræ rectæ ad attrahendum destinatæ; aliæ transversæ ad expellendum, & tandem aliæ obliquæ ad retinendum. Sed adversus id quod dicimus esse in vesica fibras longas ad attractionem urinæ stat Gal. lib. 6. de loc. aff. cap. 2. ubi ait, *Verum vesicam non trahere à renibus, quemadmodum neque intestina à ventriculo:* ergo videtur veram non esse nostram sententiam. Respondetur tamen ibi loqui de affectione diabetica in qua non sufficit attractio vesicæ, ut fiat il-

Henriquez Laurea Medica Tom. III.

### CAPVT II.

*De accidentibus quæ circa actionem urinæ contingunt.*

**S**YMPTOMATA quæ circa actionem urinæ communiter ponuntur, sunt ischuria, stranguria, seu stolicidium, & dysuria. Ex his autem ischuria juxta Galenum est omnimoda urinæ suppressio, sive fiat vicio vesice, sive vicio renum. Stranguria seu stolicidium est cum guttatum & veluti stillatum excernitur urina, sive fiat cum dolore & conatu, sive secus; differt autem stolicidium urinæ ab incontinentia, quia hæc sit sponte citra voluntatem, illud vero

PP p minimè,

minimè, quia sit mediis musculis abdominis. Tandem dysuria est urinæ difficultas, in qua magno dolore pellitur, sed non guttatum, sed copiosè, & solet comparari dysenteriæ, sicut stranguria tenesmo. Ex dictis facile est colligere omnia dicta sub tertio genere symptomatum contra naturam contineri, in excretis scilicet, aut retentis contra naturam.

Circa actionem lœsam restat quod dicamus; & quidem de ischuria dicimus in ea actionem esse ablata, sive nimis lœsa facultate contingat, sive aliquo alio vitio morboso impediat actio. In stranguria seu stillicidio actio est diminuta, si attendamus ad id quod excernit; tamen si attendamus ad illam in quantum pars irritatur & conatur, est actio depravata, ut potè quia cum dolore, aut difficultate fit, semper tamen quod ex debilitate facultatis procedit, est actio diminuta.


Sed ut ea quæ de ischuria dicta sunt, apertura evadant, & morbi à quibus procedit tale symtoma cognoscantur, aliqua sunt advertenda de suppressione urinæ; imprimis duas causas communiter enumerat Gal. suppressionis dictæ. Prima aut plenâ existente vesicâ; secunda cùm ipsa nihil continet; nam tunc existimare oportet, aut renes, aut ureteres obstructionem pati; ultra has causatur suppressio urinæ, si sit ablata actio attrahentis facultatis in renibus, tum etiam si sit obstrucio in venis emulgentibus, quæ via sunt per quam transit urina, omnino supprimitur. Denique impedita via per quam communicatur alimentum à ventriculo in jecur; nam cùm non sit materia ex qua possunt humores generari in jecore, nec sit seri generatio, ac proindè supprimitur urina; si autem jam presupponatur urina generata, suppressio tantum fit per lœsionem in aliquo instrumento necessario ad excretionem urinæ; non verò ob hanc causam ultimam, neque ob lœsionem alterius partis; quo sit satis cuidam autoritati Gal. ubi afferit ob ultimam causam non fieri urinæ suppressionem, quod est verum supposita jam urinæ generatione, ut diximus.

Dum verò urina est in vesica, contingit etiam suppressio, vel propter resolutionem excretoriæ virtutis, idest ob defectum expultricis virtutis, aut propterea quod urinæ fistula sit constipata, idest sit obstructa, aut impedita, quo fieri ut qualibet ex his causis positis postquam urina est in vesica supprimatur; deinde bene se habente facultate expellente naturali potest supprimi urina, eò quod deficiat sensus in vesica; nam ipso ablato à qualibet causa impeditur communicatio virtutis ad sensum, deficiet irritatio & sensatio objecti molestantis, defectu cuius deficit actio facultatis animalis, & per consequens supprimitur urina: nam ejus excretion non solum fit facultate naturali operante, sed etiam animali. Ratio verò ob quam plenâ existente vesicâ, fiat suppressio, est quia ratione distensionis factæ, non potest contrahi vesica, impedita verò contractione, impeditur necessariò excretion. Aliam denique causam adducit Gal. nempe convulsio musculi circumdantis colum, sed quia hæc raro contingit, illius non fecit mentionem inter alias causas.



## DISPUTATIO LXVI.

*Quæ continet plura pertinentia ad instrumentum generationis.*




### CAPUT PRIMUM.

*De necessitate & differentia utriusque sexus.*



RÆ TERMIS SIS aliis difficultatibus quæ circa principia generationis poterant adduci, quia non sunt hujus loci; oportet supponere in hac re primò aliqua esse animalia quæ sunt tantum ex semine, aliqua verò quæ ex illo non sunt, & tandem alia sunt quæ medium naturam habent, & quandoque sunt ex semine, quandoque non. His ita suppositis, dicimus necessitatem utriusque sexus in his quæ necessariò sunt ex semine per generationem, esse ob perfectionem prædictorum animalium; tum etiam propter propagationem eorum: nam mas institutus est ut sit origo motus & generationis, fœmina verò ut communicet materiam, & forsan ut semine suo habente virtutem activam, concurrat ad generationem sexus; utrumque autem principium simpliciter necessarium est ad generationem, ita ut sint in rerum natura mas & fœmina generationis gratiâ: non habent autem animalia perfecta utrumque principium activum & passivum conjunctum, sicut plantæ quæ ex semine sunt, quia non oportebat omni tempore permixtum esse utrumque sexum, sed solum tempore coitus, eò quod ultra generationem est aliquod opus perfectius in animalibus perfectis, & sic opus fuit ob hanc majorem proportionem non esse generationem ita assiduam. Ex his constabit generationem fœminæ non esse monstruosa quamvis sit imperfectior viro, ut affirmavit Aristoteles; nam etsi imperfectior sit, fuit intenta à natura propter necessitatem utriusque sexus, præsertim in opinione dicentium esse in semine principium activum ad generationem, in quo casu certum est intendi per se ab agente sicut masculus.



### CAPUT II.

*De Priapismo, & causa naturalis erectionis colis.*

**P**X affectionibus quibus potest pati membrum virile, duo communiter enumerantur à Gal. scilicet priapismus & gonorrhœa: prioris explicat naturam dum dicit 3. de loc. affect. cap. 6. esse priapismum permanentem colis auctionem, ant tumefactionem. Similem definitionem tradit lib. 9. de composit. medic. per locos cap. 9. Est, inquit, an elo pudendi stabilis in longitudinem ac orbem tumefacti, circa rei venerea appetentiam. Imò addit circa adquisitionem caloris; sed licet sumptu occa-  
sione

fione ex rebus venereis, aut ratione calefactionis contingat pudendorum erectionem, aut tumefactionem dictam, nihilominus non vocabitur priapismus, quia solum habentibus talem tumefactionem & erectionem stabilem, & permanentem Galen. tale nomen imposuit. Ex dictis constabat sub quo genere morborum contineatur, cum sit absque dubio tumor præternaturam causatus ex flatu crasso distendente coen, cum etiam stat coen esse partem affectam, cum nullum aliud membrum erigatur; hujusmodi autem affectus potest contingere per propriam passionem, si ibi generetur flatus, & per consensum, si ei communicetur à venis, vel à qualibet alia parte. Aliquis visum fuit priapismum esse communem affectionem masculis & feminis, quod erit verum si feminæ habeant similes partes, ac viri solum positione dissidentes, nam in tumorem elevabitur prædictum membrum propter eandem causam, ac in viris diximus.

Sed majoris difficultatis est, quænam sit causa efficiens naturalis erectionis membra virilis. Quidam reducunt hunc effectum ad spiritum seu flatuosam substantiam distendentem & tumefacentem virile membrum; ad quod facit valde imaginatio; cum ratione illius ad pudenda moveantur spiritus, ut tenet Vallesius.

Nobis tamen dicendum est, erectionem illam naturalem involuntariam in membro virili fieri ab aliqua facultate ad id connaturali data tali membro, ita ut membrum illud non quia repleatur spiritu flatuoso, intumescat, sed quia distenditur à propria facultate repleatur spiritu illo flatuoso: Ex quo constabit spiritum seu flatum crassum valde conducere ad talem erectionem. Probatur hæc sententia ratione, quia quoties datur finis & instrumentum in rerum natura, debet dari facultas quæ operatur medio isto propter illud; sed finis est generatio, & instrumentum est membrum virile ad illum accommodatum: ergo debet dari facultas in hac parte quæ operatur, & faciat prædictam erectionem naturalem, necessariò conducentem ad generationem.

ctionem: ergo ille motus non est omnino spontaneus, neque solè operante animali facultate fit. Quod vero facultas animalis concurrat ad prædictum morum, probat ratio *suprà* posita de musculis mediis quibus sit actio. Constat etiam si attendamus S. Thom. & Aristotelii, talem motum erectionis non esse simpliciter voluntarium, sed quod sicut interveniente quadam alteratione naturali, quæ non subjacet imperio rationis, & antecedit appetitum, & sit ex motione spirituum versus eam partem. Unde patet ad rationem primò positam; nam cum indigeat hæc facultas naturalis quæ ibi operatur aliqua qualitate naturali quæ excitatur ad opus, & hanc non habeat semper, & sic non semper operatur, quia per subitum timorem discedunt spiritus, à quibus contingit illa alteratio & erectio.

## C A P U T I V .

*An seminis excretio fiat ab aliqua facultate, & quænam sit.*

**D**O R o certo imprimis habeo seminis excretionem fieri ab aliqua facultate; nam si ab spiritu, vel flatu impellente fieret, ut aliqui dicunt, interrogato à quo movetur spiritus, vel flatus, nisi ab aliqua facultate: ergo si hoc ita est, verisimilius est, dicere ipsum semen à facultate moveri immediatè.

Circa secundum quod inquirit quæstio, dico primò talē facultatem quæ excernitur semen non esse animalem sponte operantem, quia in nobis expulsio seminis non est quandū volumus, tum etiam quia non operatur pars expellens solo musculo. Non autem explicat quæ sit illa facultas, sed solum dicit etiam aliquandū in expulsione seminis operari facultatem expultricem, quia non est major ratio ut dum ex ventriculo aut jecore chylus, aut sanguis moventur, pellant, & non in motu seminis, cum ibi sint omnia requisita, ut talis facultas operetur, ac proinde sit decisio seminis eodem modo ac dejectio cæterorum excrementorum.

Modum autem excretionis seminis oportet explicare. Et dicimus fieri per tensionem vasorum similem convulsioni, ratione cuius exprimitur semen ex vasis, non tamen citra facultatem expulsivam. Et licet antea non sentiretur irritatio, sentitur tamen existente tensione & erectione membra. Ratio est quia, aut tunc semen contentum in vasis magis unitum est & intensius operatur, aut partes sentientes de novo applicantur, unde fit ut licet antea non sentirent mordicationem, possint. Ex quo patet vasa feminaria esse partes quæ pellant, non pudendum, quia solum se habet ut via.

Sed quæres à quo efficienti fiat ille motus tensionis; communis modus dicendi est, fieri in viris & feminis per modum convulsionis ex repletione facta à semine seu spiritibus; nam vasa illa distendunt secundum latitudinem, & abbreviantur secundum longitudinem, neque secundum parietes vasorum sit major applicatio, & ita pellant; cum hoc tamen est verum fieri à duplice illa facultate naturali & animali, eo modo quo paulò *suprà* diximus.

P P p 2      Constat

## C A P U T I I I .

*Quæ facultas sit, quæ talis motus fit, naturalis, an vero animalis.*

**G**UM constet ex superiori capite præcedenti, priapismum fieri ab aliqua facultate in illa parte operante, restat nunc examinare an predicta facultas sit naturalis, an animalis. Et quod non sit naturalis, videtur probari, quia si talis esset, nunquam cessaret ab opere, si non impediretur; constat autem contrarium nos experiri: ergo; quod vero sit animalis videatur probari ex eo quod illa erection, vel tumefactio sit medio instrumento animali, scilicet mediis musculis: ergo.

Sed videtur nobis dicendum, in prædicto motu utramque facultatem reperiri partialiter, illum integrantes, animalem, & aliam quæ modo naturali operatur; quod autem sola animalis non sufficiat probatur, quia existente parte bene temperata, nulloque morbo laborante, non potest animal erigere, etiam si imperet ere-

Constatit etiam quomodo in dormientibus & vigilantibus ratione imaginationis effundatur semen ; ex eo enim accidit , vel quia ratione vehementis imaginationis movetur semen , aut quia potentia motiva executiva habet cum imaginatione quandam sympathiam , ut ista operante illa moveatur.

## C A P V T . V.

## De voluptate quæ reperitur in seminis emissione.

**A**C T E N U S nullus dubitavit quām maximam esse voluptatem in excretionē seminis dum morbo non laborant partes , & ex omni parte & latere bene se habent , quod fecit natura provida propter finem generationis & propagationis , ita ut homines & bruta non solum appetant actum venereum & excretionē seminis ob deenerationem sicut appetunt excretionē urinæ , & aliorum excrementorum , sed ob voluptatem quam habent in effusione seminis recordatione facta sensationis voluptuosæ , quod non solum in hominibus est verum , sed etiam in brutis , licet verum sit ante primam ejaculationem solum moveri ad coitum ob deenerationem sicut ad expulsionem urinæ , ut diximus ; postea vero cūm jam percepunt voluptuositatem recordatione facta ob eam moventur ad coitum . Continuit autem in his partibus hæc voluptuositas , & non in venis & arteriis , dum per eas moventur humores , & spiritus , quia dedit natura testibus & vasibus seminalibus exactiorem sensum , quæ conditio necessaria est , ut sit illa voluptuositas , ut infra explicabimus .

Quæri solet in quo sit major voluptas dum effunditur semen in viro , an in foemina . Et dicimus in hac re non posse universaliter responderi ; nam ad delectionem debet respici , non solum objectum voluptuosum , sed etiam dispositio ad perfectiorem sensationem , cūm autem hæc in omnibus non sint æqualia , ideo certa regula & universalis esse non potest . Restat tamen explicare quomodo fiat hujusmodi sensatio voluptuosa . Aliqui affirmarunt esse ob redditum ad statum naturalem , sicut expulsio urina dum faciebat distensionem . Hæc tamen causa nulla est , nam dum pars redit ad naturalem statum , non est quid positivum voluptuosum quod sentiatur , sed solum deficit molestia , ut patet in excretionē urinæ ; nam tunc non sentitur positiva voluptas , cūm nullum sit objectum voluptuosum , sed solum deficit sensatio molesta , & ita nobis videtur dicendum voluptatem illam in effusione seminis contingere ob qualitatem quandam secundam quæ sentitur connaturalis illis partibus , ex qua sensatione voluptas fit ; illa autem qualitas non est verè pruriens , sed similis pruritui , quia pruriens qualitas est dolorosa ; ad prædictam autem sensationem requiritur titillatio quedam tanquam conditio ut fiat prædicta sensatio , nam species illa non producitur nisi præcedente titillatione , & motione illa sicut in externis in motu illo quæ vulgo vocatur coschillas , non faceret objectum æqualem voluptatem , si omnino quiesceret , sed oportet ut moveatur , sic in effusione seminis contingit .

## C A P U T . VI.

An liceat Medico pro salute in aliquo eventu exhibere remedia ut excernatur semen , aut consulere .


**P**RÆSENTEM dubitationem breviter exprimamus si attendamus ad id quod est excretio seminis ; non sunt facienda mala , ut indè eveniant bona , docet commune proloquium : sed excretio seminis est peccaminosa , & contra naturam , quia est effusio instrumenti generationis : ergo nullatenus est consulenda , nec præcipienda à Medico , etiamsi tota salus ab ea dependeat . Si vero scissione vasorum seminalium possit extrahi semen , sicut sanguis , tunc licet & tutò poterit Medicus ut illa evacuatione , sicut ista utitur , quia in tali casu illa effusio non erit peccaminosa .

## C A P V T . VII.


## De Gonorrhœa.

**G**ALENUS lib . 6 . de loc . aff . cap . 6 . ita eam definuit , Gonorrhœa est seminis excretio invita , quam involuntariam quoque nominare licet , citra pudendi tensionem . Aliam tamen speciem Gonorrhœæ adducunt Autores in qua sit seminis excretio involuntaria cum pudendi tensione , hæc vero impropre dicitur talis , & in epilepsia correspondit reperiit solet ; tandem aliam speciem impropriam enumerant , ut quando irritatione præcedente sit excretio propter nimiam quantitatem , aut qualitatem aliquam præternaturam .

Advertere tamen licet , quod licet in Gonorrhœa sit objectum voluptuosum quod sentiatur , & sit sensatio sufficiens & conditio ex parte motus , tamen in illa non est voluptas , quando effunditur semen , quia sicut ad dolorem requiritur subita mutatio , ita ad voluptatem requiritur subita effusio ; in Gonorrhœa vero sit effusio paullatim . Ex hoc constabit esse symptoma in his quæ excernuntur contra naturam , estque actio ablata retinentis facultatis ; de parte vero affecta non est dubium quin sint vasa seminalia , in quibus semen jam genitum servari oportebat ; non vero hæc affectio est passio pudendorum , quia solum se habent ut via , & non solum in viris reperiuntur , sed in foeminis , quia etiam foeminae habent vasa seminalia , imò in his frequentius contingit , quia semen tenuius est , & magis aptum ut fuat .



## DISPUTATIO LXVII.

*De his quae ad uterum spectant.*

## CAPVT PRIMVM.

*An uterus verè moveatur secundum locum.*

**S**i in hac re prima conclusio, uterus moveri localiter secundum naturam, quod imprimis constat ex eo quod habeat fibras sicut ventriculus, & aliae plures partes: sed omnis pars quae fibris constat potest moveri localiter: ergo uterus movebitur. Præterea quia in conceptu adeò complectitur semen ut os uteri seu matris sit valde clausum, & in partu aperitur ad expulsionem foetus, sed clausio & aperio sunt motus locales: ergo uterus potest moveri localiter.

Dico secundū, uterus non moveri sursum versus jecur & præcordia; nam tota ratio ob quam aliqui affirmant moveri sursum & propter finem, quia scilicet exiccatus uterus ascendit versus jecur ut huincetur: sed ad hoc non erat necessarium sursum ascendere, cum habeat proximam vesicam in qua humida substantia continetur, & sic ab illa poterit accipere id quo indiget. Præterea quia cum uterus habeat vasa per quae possit attrahere sanguinem dum valde exiccatus est, frustra propter hunc finem recurrimus ad motum sursum uteri versus jecur, & septum transversum.

Dico etiam adhuc ascensu morbo non posse uterum usque ad ventriculum ascendere: quod ex eo constat, quia si quis in mulieris dissectione conetur uterum manu sursum trahere, non poterit usque ad ventriculum ducere, quin ligamenta disrumpantur; multò ergo minus fieri poterit per morbosam contractionem, cum hoc tamen bene stat ut deorsum prolabi possit ad os pudendi, ita ut laxatis acetabulis, decidat quia ab utero in os pudendi est minor multò distantia. Illud verò quod adducunt Contrarij pro experimento nihil probat, scilicet apparatio globuli juxta ventriculum, nam talis globulus potest esse ex flatuoso corpore ascendentem, aut quia aliqua pars ex ascensu uteri pellatur, & illa aliam per continuatatem usque ad ventriculum, & ita ibi appareat globulus.

Dicimus ulterius uterum esse partem feminæ, & non animal distinctum ab ea, ut aliqui voluerunt, & imprimis constat à paritate de membro virili de quo nullus dixit esse animal distinctum à viro, sed partem ejus, vocatur tamen uterus quasi animal, vel ob similitudinem dicitur animal ob ejus motum, licet sit inobediens, cum rationi non subjiciatur: dicitur etiam animal à S. Thomas, quia est principium vite quod etiam convenit membro virili, nam ex membro genitali virtus exit seminis; & præterea in utero fit concepcion & vitam factus adquirit.


Explicate tamen oportet in praesenti quae sit

causa quare in curatione hysterica affectionis, utero applicantur odorata, & partibus superioribus ut naribus prævè olentia, & quare etiam si valde odorifera partibus superioribus applicentur, solent incidere mulieres in hanc affectionem. Aliqui dicunt ex eo esse quia res odoriferæ laxant & aperiunt vias suā caliditate & tenuitate partium, & sic utero applicatis fit retractio matri-cis & vaporum sursum ascendentium: sed cum res etiam prævi odoris possint habere prædictam caliditatem & partium tenuitatem, videtur ratio infirma; affirmant deinde pravis odoribus partibus superioribus applicatis foeminas liberari à prædicta affectione, quia ad expulsionem eorum utpotè molestantium cerebrum concutitur, & ita pellit vapores, quae ab utero in partes superiores elevantur: alij verò reducunt hoc ad peculiarem sympathiam quam habet uterus cum odoriferis rebus, & antipathiam cum prævè olentibus.

Nos autem dicimus verum esse quod quandū optimi odores apponuntur naribus sursum, & versus eam partem uterus, vel ut melius dicam, vapores moventur, contùa verò si pessimi sint. Et ratio est quia habet uterus naturam valde connexam cognoscitivam odoris, quae communiter appellatur sympathia, non est tamen propriè talis; haec autem subordinatio in omnibus non est eadem, & sic omnibus mulieribus non contingit hæc affectio; appositis naribus rebus odoriferis.

Sed dices: si uterus non sentit odores, cur moveatur illis infra appositis; nam apposito aliquo extrinseco, si uterus eodem modo se habet sicut antea, non est cur moveatur.

Respondeatur quod licet uterus odores non percipiat, tam bene percipit aliquam qualitatem tangibilem quae cum illis est conjuncta, ob quam tetros illos vapores fugit, optimos vero proficitur; quae autem sit hæc qualitas, certò non potest explicari, neque de ea habemus proprium nomen: hujusmodi autem uteri motus usque ad partem quam petit, sit mediis fibris, neque opus est concedere aliam facultatem naturalem in utero motivam quæ sine fibris operetur.



## CAPVT II.

*De uteri strangulatione & hysterica affectione:*


**O**n defuere qui in hac re existimant uteri suffocationem, seu hysterica affectionem non esse morbum ipsius uteri, neque symptoma ab illo procedens, sed sola causa morbi laborare, ita ut sit propria passio cordis, ex eo quod ab utero in cor elevantur vapores terri & maligni qui spiritus vitales resolvunt, & sic syncopem causant: deinde cum à corde in singulas partes distribuantur spiritus quibus operantur, & isti sint consumpti, inde est quod cor & uterus mutuò patiuntur per consensum, cor recipiendo ab utero pessimos vapores, & uterus à corde defectum, & spirituum parentiam. Sed hæc opinio est falsa; nam si causa morbi est in utero, necesse est debet producere morbum, & prius in parte proxima quam in remota, ac proinde uterus debet morbo affici, & prius quam cor; neque ex eo quod vitio uteri patiatur cor syncopem, debet

bet vocari hysterica suffocatio, sicut non vocatur suffocatio syncope, sive sit per propriam passionem, sive per consensum cum ventriculo, aut qualibet alia parte.

Restat explicare quo morbo laboret uterus in hysterica affectione, circa quod aliqui affirmarunt esse morbum in situ mutato, eo quod uterus sursum moveatur, vel ad latera, quo sit ut comprimitur septum, & laddatur respiratio, & praefactio contingat, & omnia accidentia hystericae affectionis, ed quod spasmetur, vel convellatur uterus versus superiora: sed licet ob dictum morbum eveniant omnia accidentia dicta, tamen non esse necessarium ut praedicta accidentia eveniant, certissimum est, ut postea probabimus.

Alij affirmarunt esse duplicum morbum, alterum in situ mutato, & alterum materialem. Alij affirmarunt esse distemperi frigidam uteri; nam semen in utero paulatim coacervatum, aut alia materia putrefacta perfrigeratur, & frigiditatem transmittit ad cor & cerebrum, quibus refrigeratis eveniunt praedicta accidentia. Alij dixerunt morbum esse in obstructione vasorum: sed licet multoties talis obstructione sit, tamen non est morbus necessario praecedens praedictum symptoma; nam seclusa qualibet obstructione in vasis illis, dantur omnia signa essentialia strangulationis uteri: ergo. Antecedens constat, nam potest putrefieri semen secundum quantitatem naturalem existens, adeo pessimè, sicut quandò abundat quantitate: sed tunc erunt omnia signa hystericae affectionis, & non erit obstructione, licet detineatur ibi aliqua substantia ex dictis; ergo sine praedicta obstructione erit hæc affectio.

Nobis tamen dicendum est morbum à quo procedit praedictum symptoma esse ex illis qui dicuntur à tota substantia, ex quo possunt oriiri tam prava accidentia qualia apparent; nam ratione putrefactionis in semine aut menstruo detento, adquiritur qualitas quædam venenosa à tota substantia operante irruente in cerebrum & cor, unde tam prava accidentia sequuntur ratione vaporum qui elevantur simili qualitate praediti à quibus corrumpuntur spiritus, & fiunt syncopes, & alia accidentia. Cum hoc tamen verum sit hujus putredinis dari aliquam causam, & aliquem morbum, erit aliquandò distemperies à qua semen putrefiat, vel sanguis menstruus, & postea adquirat malignam illam qualitatem à qua immediate fiunt praedicta accidentia; undè meritò aliqui dixerunt semen & sanguinem menstruum se habere ut symptoma tertij generis, quia retinentur præternaturam, & postea se habere ut causam aliorum symptomatum. Tandem adverte licet id quod dixit Galen. aliquandò sanari hanc affectionem nullo remedio apposito utero, quia id quod productum est in illo à tali causa, pendebat ab illa in conservari, atque idèo illa ablata afferetur.



### CAPVT III.

#### De causis hysterici affectus.

**C**ONVENIT inter omnes, causas hystericae affectionis esse duas, semen scilicet retentum, & sanguinem menstruum, ed quod affectio hæc ut plurimum reperiatur in viduis, & in

his qui continuò erant in usu venereis, & iam cessarunt; constat etiam ex eo quod evacuato sanguine, & semine excreto, cessat praedicta affectio. Neque ad hoc facit quod in prægnantibus non sit hæc affectio, & tamen est sanguinis retentione; nam sanguis non quomodounque causat hystericae affectionem, sed ita putrefactus ut adquirat malignitatem aliquam, & idem est de semine.

Licet ex dictis colligere praedicta symptomata in viris posse reperiri in retentione seminis, tamen non meretur in illis nomine hystericae affectionis, cum hæc ab utero qui pars affecta est, sumat denominationem. Cum hoc tamen est verum rarissime in viris hanc affectionem reperiri, ed quod semen eorum est calidius, & sic non ita dispositum ad putredinem, sicut semen foeminarum quod humidum est valde: Et præterea quia uterus est locus ubi excrements totius corporis congeruntur, & sic facile putescunt, ac proinde frequenter contingit in mulieribus, præsertim cum duæ sint causæ suprà assignatae praedictæ affectionis, & in viris tantum una, & sic rarissime ob dictas rationes in viris praedicta reperitur affectio.

Advertere tamen oportet hystericae affectionem non solum causari posse ex sanguine quarto humore, verum ex quolibet & tota massa sanguinaria, eo quod non sit cur non possit per putredinem adquirere malignam illam venenosam qualitatem, & irruere in cor & cerebrum.

Hinc etiam constabit à flatu etiam posse causari, quia videmus plures qui hac passione laborant, in illam incidere, quia aquam frigidam intempestivè biberunt, aut aliquos flatulosos cibos gustarunt, aut acetum, aut in terra frigida fuderunt, etiamsi neque tunc sanguis fuerit suppressus, aut à viris non abstinerint. Et ratio hujus est quia flatus sua multitudine potest facere repletionem, & intumescentiam uteri, quod non solum est verum quandò flatus fiunt à causa proctarctica, sed etiam quandò citra illam generantur vi alicujus affectionis uteri, ut debili existente ejus calore; quandò autem sit à flatu, debet intelligi quantum ad uteri retractionem, non verò quantum ad alia symptomata; nam hæc non fiunt nisi ex flatu genito & elevato ex duabus causis suprà positis putredine correptis, & malignitate acquisita in illis; semper tamen est verum dum citra occasionem externam sit hæc affectio, causas frequentiores esse tantum illas duas à nobis positas.



### CAPVT IV.

#### Quomodo se habeant causæ hystericae affectionis.



X dictis constat semen & sanguinem esse frequentiores causas hujus affectus, reliquosque humores, in præsenti verò restat examinare quomodo sint tales causæ. Et quidem certum est in statu naturali non causare prædictam affectionem, sed solum dum putredinem subeunt, ut commune est inter omnes Medicos. Restat nunc examinare quare semen & sanguis

citò & promptè putrefiant ; tuin etiam cur adèd malignæ , ut veneni vires videantur comparare , circa primum aliqui affirmarunt quod quò ali- quod corpus impermixtum est , & magis à con- trarietate recedit , eò difficiùs corruptitur , quapropter elementa utpotè simplicia difficile cor- rumpuntur ; lac verò , semen & sanguis facile corrumpuntur quia multa compositione constant , & sic plura habent contraria , quæ intendant suam corruptionem , & hanc esse causam cur semen & sanguis citò putrefiant . Sed cùm omnia corpo- ra mixta constent quatuor elementis , non est dubium quin habeant æqualia contraria quæ ex primis qualitatibus sumuntur ; & sic non rectè explicatur causa ejus quod inquirimus ; qua- propter cùm ea corruptio de qua est sermo in præ- fenti sit putredo , & hæc sit à calore præternatu- ram , inquirimus quæ sit causa ut sanguis & se- men citò putrefiant , & dicimus prædictam cau- sam esse reducendam ad peculiarem qualitatem secundam , ratione cuius facilè cedant corruptio- ni , parùmque resistant ; hæc autem meo videri erit peculiaris modus substantiæ prædictarum causarum , ratione cuius parum resistunt , & sic facilè putrescent .

Altetum quod inquirebamus majorem habet difficultatem , quæ scilicet sit causa , ut semen & sanguis dum putrefiunt & causant prædictam af- fectionem malignam , & adquirant venenosam qualitatem : Et quidem si juxta Galen. & aliorum Medicorum mentem loquamur , ex eo evenit quia dum aliquid est perfectius , deteriore corruptio- nem adquirit , quia requirit causam potentiorum putredinem inducentem ; cùm autem hujusmodi substatiæ sanguis scilicet & semen perfecta valde sint , mirum non est quin malignè & pessimè pu- trefiant . Sed si dicta sententia stemus , solum sequitur intensiorem putredinem comparare præ- dictas substantiæ , quia perfectiorem & robustio- rem causam putrefacientem exposcunt ; cùm au- tem malignitas non mensuretur penes remissio- nem , aut intensionem putredinis ; alià viâ cau- sa acquisitionis malignitatis est investiganda .

Circa hanc rem noster Petrus Garcia fatetur non posse invenire saliam rationem , nisi quia semen & sanguis sunt substantiæ similiores vi- venti , & sic magis patiuntur , quarum actio valde est necessaria , & ita symptomata majora apparent : cùm hoc tamen docet non esse neces- sarium semper quod quandò putrefiunt , adqui- rere illam venenosam qualitatem , sed aliquandò id contingere : meo tamen judicio possemus for- tasse in hac re dicere nihil peculiare habere has substantiæ quæ alias ad prædictam malignitatem adquirendam si attendamus ad qualitates manifestas , & sic quod eam adquirant , frequen- ter contingere ob peculiarem putredinem quæ ibi producitur , ad quam valde facere debet dis- positio peculiaris , vel aliqua qualitas secunda quæ reperitur in prædictis substantiis , ratione cuius sunt dispositæ ad prædictam malignitatem adquirendam per putredinem . Ad quod etiam fa- ciet peculiaris vis efficientis sicut in febribus ma- lignis , & pestilentibus solet contingere , in qui- bus vi putredinis generatur in humoribus , vel in sero eorum qualitas venefica cordi inimica , & hoc non sit semper , sed dum est talis modus putredinis & peculiaris dispositio in passo , quæ ad hoc conducat ; sic ergo possumus philosopha- ri in præsenti casu .

Hinc fit semen posse putrefieri non solum in cavitate uteri , sed etiam in vasibus seminalibus & in glandulis : nam in qualibet parte ex his potest accedere causa putrefaciens potentior quamvis naturalis conservativa , quæ est in va- sis , aut qualibet ex his partibus : ergo tunc pu- trefiet necessariò . Advertere tamen oportet sèpè hysterical affectionem repetrere per circuitus , quod potest contingere eò quod portio semenis , vel sanguinis quæ causat circuitus , excernatur ; & postea alia portio de novo putrefiat , & cau- set circuitum , & sic continget quin materia ve- nenosa servetur in aliquo loco , & cessent acci- dentia tempore intermissionis : hoc autem modo existimamus non posse repetrere per circuitus , quia non est locus in utero ubi servetur materia illa , quin causet continuò accidentia hysterical affectionis :

## CAP V T .

*De signis quæ reperiri solent in affectu hysterico , & eorum causis.*

**G**ut in hysterica affectione experiamur varia & plura symptomata , non solum in diversis mulieribus , sed in una & eadem , pro diversis temporibus , necesse est causas inve- stigare , circa quod Mercatus tenet diversa sym- ptomata fieri ob diversitatem putredinis , & hanc diversificari docet , vel ob diversitatem efficien- tiæ causantis putredinem , vel ob diversitatem loci in quo putrefiunt humores , vel tandem ob di- versam substantiam quæ putrefit . Sed nobis hæc doctrina non videtur rationi confona : imprimis diversitas efficientis non sufficit ad diversitatem specificam putredinis statuendam ; nam omnia quæ putrefiunt à calore tanquam ab efficiente pu- trefiunt agente in humido : sed omnis calor est ejusdem speciei ; ergo ob diversitatem efficientis implicat diversitas putredinis . Neque ratione loci , nam invariatæ causæ efficienti & materiali , à qui- bus effectus patratur , parù facit quod locus varie- tur , cū nihil faciat præter continere : ergo sive va- rietur , sive non , effectus erit idem . Tandem neq; ex diversitate ejus quod putrefit potest contingere ; nam omnia possunt eodem modo putrefieri tam substatiæ perfectæ , quam imperfectæ : ergo di- versitatis putredinis nulla est causa stabilis , nisi dicamus in ipsa materia quæ putrefit , quandoque prædeterminari unum humorem , quandoque aliū , & sic per putrefactionem juxta præ- dominantem humorem diversum , diversa qualitas venefica producitur , & sic accidentium di- versitas .

Etiam facit ad accidentium diversitatem mul- titudo materiæ ; nam si pauca est materia , va- pores pauci elevantur ; si verò plurimi , in ma- gna copia elevantur : quo fit ut intensiora , aut remissiora accidentia fiant , ob diversam multi- tudinem . Etiam ad diversitatem accidentium fa- cit diversitas partium quæ consentiunt cùm ute- ro , quia scilicet recipiunt aliquid sibi nocivum ; prædictus autem consensus fit ob communionem partium ; sic uterus habet communionem cum cerebro , quia pars nervosa dicitur , & cum corde , quia pluribus disseminatur arteriis , & sic utero affecto

affecto præcipue prædictæ partes patiuntur. Præterea cum totum corpus sit transpirabile, non erit mirum plures partes pati per consensum, eò quod vapores eis ab utero communicentur, & præcipue partes vicinæ hoc habebunt, ut jecur & intestina & vesica, ut quotidie experimur in pluribus foemini.

Sed jam opus est pereurrere causas aliquorum quæ in hysterica affectione reperiuntur, & imprimis de retractione uteri ad superiora, vel ad latera; nam licet *sprā dictum* sit ad hysteriam affectionem prædictam retractionem non esse necessariam, tamen aliquandò adesse nullus negabit, ideoque in præsenti causam hujus inquirere licet; circa quod tenenda est Galen. sententia in qua asserit retractionem uteri contingere per repletionem venarum uteri, sicut convulsio, ita ut per repletionem distendantur secundum latitudinem, & abrevientur secundum longitudinem, & sic uterum trahunt versus illam partem ad quam inclinantur, quod frequenter fit sanguine menstruo detento replete vasa, eaque distendente, & eadem retractio fiet si detineatur sanguis, vel semen clausis osculis vasorum, & sic multitudine sua causet tensionem in ligamentis uteri. Sed dubium est an hujusmodi uteri strangulatio possit fieri à siccitate, sicut etiam convulsio fit non solum repletione, sed etiam exinanitione à siccitate: & dicimus quod licet verum sit hanc strangulationem uteri non esse convolutionem, utpote hæc est sola passio muscularum, tamen valde est ei similis, & ita si illa retractio fit per repletionem quemadmodum in vera convulsione, etiamsi ponatur siccitas sufficiens, in hac parte non est cur non producat suum effectum primarium & secundarium, ac per consequens si valet facere retractionem in muscularis, etiamsi ponatur in utero, causabit similem retractionem.

Sed Horatius Augenius existimavit naturam hujus affectus ad imaginationem depravatam speclare, clesque speciem melancholiæ morbi, quod probat eo quod hoc malo affecti circa causam procatacticam timent suffocationem, & metu corripiuntur de morte. Sed hæc sententia est falsa, imprimis quia non semper hæc affectio caufatur ab humore caufante melancholiæ; præterea quia in his imaginatio non est depravata; nam timent de suffocatione, quia comprimitur septum transversum, & sic læditur respiratio; quâ ratione timent mortem & suffocationem, sed non sine ratione, & sic nulla est depravatio in imaginatione.


Sed oportet alia symptomata perpendere: sapè enim contingit totum corpus in hysterica passione refrigerari; causam hujus querimus; dicimus idèo contingere, quia putrefacto semine & sanguine ibi detento, generatur qualitas venefica: & cum ex illa materia eleventur vapores ad cor illâ qualitate infetti statim dissolvunt spiritus, & inde deficit communicatio eorum à corde in reliquias corporis partes, quo deficiente resultat frigiditas ab interno principio partium. Adverte rāmen oportet, non solum malignitate vaporis posse contingere suffocationem, sed etiam solâ multitudine; nam si vapores in magna copia irruant in cor, sùa corporaturâ illud suffocabunt, quin sit necessaria qualitas venefica.

Alterum symptomata quod invenitur in hyste-

rica affectione, est læsio respirationis, & pulsus. Circa quod dubium est an omnino possit deficere respiratio & pulsus in hysterica affectione forti: sed de hoc *cap. de apoplexia* diximus non solum posse deficere respirationem, sed etiam pulsus omnino, etiam insensibiliter per parvissimum tamen tempus, & quod eadem ratio militet de respiratione ac de pulsu, constat contra Vallesium: nam vivens per solum defectum pulsus & respirationis non deficit, cum sit quid privativum: ergo debet deficere per causam positivam quæ consequatur ad tales defectum: hæc autem aut est nimius calor, aut multitudo fuliginum; sed quælibet ex his causis indiget tempore aliquo ut valeat interficere, nam non agit in instanti, ac proinde toto illo tempore quo indiget agens ad agendum, vivet vivens omnino ablata respiratione & pulsu.

Sed oportet assignare causam quare in hysterica affectione lædatur respiratio, & pulsus, ita ut deficiat saltim quoad sensum. Aliqui dicunt idèo contingere quia refrigeratur cor, refrigerato verò corde, videtur cessare finis respirationis & pulsus, & sic ob hanc causam possunt deficere. Sed licet hæc sit Galen. sententia, tamen difficile intelligi potest ob hanc causam deficere, licet enim deficiat finis refrigerij, non tamen deficit finis ventilationis & regenerationis spirituum; ergo non deficiet respiratio in totum, cum restet finis cui deserviat, ut latè *cap. de apoplexia* manet probatum. Quapropter ibi diximus non cessare respirationem quia cessat finis partialis, sed quia tanta est obstrucțio in cerebro, ut non communicetur virtus muscularis quibus moveretur thorax, & sic deficiat respiratio, poterat deficere etiam quia potest deficere virtus sentiens in nervis, & sic non præcedente sensu tactus, non potest fieri respiratio, in hysterica verò affectione læsio provenit ob compressionem magnam septi transversi quod instrumentum est respirationis, aut etiam vitio aliorum instrumentorum contingere potest.

Advertere tamen oportet hystericâ affectione laborantes plures incidere in syncopem, & in epilepsiam per consensum cum utero, quia scilicet vapores communicat cerebro & cordi caufantes talia symptomata. Similiter solent melancholiæ affici ratione sanguinis detenti crassi & melancholici prædominantis, vel resoluta parte tenuiore & crassa remanente, ratione cujus ascendunt vapores ad cerebrum, & sic per consensum caufant prædictam melancholiæ citra occasionem externam.



## CAPUT VI.

*An aliquid simile veneno possit in nostro corpore generari.*

**E**X omnibus Medicis tam antiquis quam modernis constat in nostro corpore posse generari aliquam substantiam similem veneno, id est quæ causet eadem accidentia, ac si venenum foret, & mortem acceleratam, id que nullo alio arguento probant quæ pluribus exemplis in quibus constat ægrotantes citò perire, & similibus accidentibus infestati, ac si venenum

nenum assumpsissent. Generatio hujus substantiae similis veneno sit mediâ putredine, sed non quælibet, sed ex certa & peculiari, nam non quælibet febris putrida est maligna.

Sed queret aliquis, unde contingere possit ut venenosa substantia possit latere in nostro corpore, citra aliquod daminum in eo per tenipus aliquod.

Respondeatur id posse fieri, vel quia latet sub membro aliquo ignobili, postea vero dum irruit in membrum princeps, interficit statim, vel potest contingere quia est in parva quantitate, ita ut in dies per ejus augmentum valeat interficere, vel denique per consuetudinem partium adquisitam, possunt liberari aliquæ partes à noxa, ob quod communiter dicitur posse alias partes nutriti veneno.

Dubitabis ulterius an possit dari aliquod signum certum veneni assumpti: Et partem negativam ut veram defendimus, quia nullum symptoma potest nasci ex veneno assumpto, quod non possit etiam nasci ex veneno in nostro corpore generato; ergo nulla erit certitudo veneni assumpti. Constat consequens si signa in particulari cujusque veneni assumpti quis perpendit; nullum enim est quod non possit tribui causæ genitæ in nostro corpore; ut de corrosione, putrefactione, & stupefactione, & prævè olentia constat: nam omnia hæc à causis genitis in nostro corpore nasci possunt, ut constat de pluribus quæ hysterica affectione correpta statim moriuntur, & corpus prævè olet, & omnia dicta sequuntur signa.

seu contiguitatem & consistentiam, seu naturalem coalescentiam illarum partium in quantum separatione sentitur dolor, & sanguis effunditur; quod ita verum existimat Petr. Garç, ut dicat quod si fortassis in aliqua virgine sit talis membrana, est morbosca in ea.

Secundum quod inquirebat quæstio est, utrum possit esse aliquod signum quo certo cognoscatur virginitas. Circa quod videtur esse locus scriptæ Scripturæ qui habetur Deuteronomij 22. ubi accusatur quædam puella coram judice, eo quod vir ei odio haberit, & accedentes pater & mater coram senioribus ostenderunt vestimentum sanguine infectum ex primo congressu cum viro. Ex quo deducebatur certa virginitas; ergo constat ex hoc loco effusionem sanguinis in primo congressu esse certum signum virginitatis. Sed nos dicimus nullum esse virginitatis certum signum, neque effusionem sanguinis; sed posse virginem esse absque illius effusione. Pro probatione adverte id quod diximus capite precedenti dum membranam negavimus: suppono etiam prædictam coalescentiam partium in qua possumus virginitatem non esse eandem in omnibus, sed in tenellis major, in annosis vero minor; nam post tempus eruptionis mensium partes magis dilatantur, & propter majus desiderium coecundi, ostium uteri magis dehiscit. Unde constat primum congressum non esse æquè difficilem in omnibus mulieribus. Hoc ergo notato sic formo rationem: nam magnitudo membra virilis potest esse proporcionalia ostio uteri: ergo tunc non est cur in primo congressu effundatur sanguis, etiamsi virgo fuerit; imò nullus aderit dolor. Antecedens probatur, quia in illo eventu nulla sit ruptio venarum; ergo non est cur fluat sanguis, præsertim in natu majoribus ob diætam causam: præterea quia non est inconveniens à principio generationis formatum esse os uteri majoris magnitudinis quam secundum ordinem communem.

Unde ad locum Deuteronomij dicimus quod Legislator qui tulit eam sententiam, solum habuit rationem cum eo quod erat magis commune & universale, nihil curans de raro eventu. Præterea quia linteum illud sanguinolentum poterat esse ex alia causa, utpote ex sanguine menstruo illa nocte effuso, & præterea potuit arte parati; ex quo patet tunc Legislatorem more communè judicasse, & non attentâ naturâ rerum, solum ex consuetudine vulgari; unde in sacra Pagina dicitur quod si puella aliunde convicta fuerit, ejiciatur foras, & in eam irruant lapidibus, & non præcisè per defectum lintei sanguinolenti. Et idem est dicendum de viri virginitate, nempe nullum de ea esse signum, nam omnia quæ reperiuntur in homine post usum veneris, possunt reperiri absque dubio sola ætatis mutatione.

## DISPVTATIO LXVIII.

### De his quæ spectant ad virginitatem fœminarum.

• •

### CAPVT VNICVM.

#### In quo consistat virginitas fœminarum, & an sit aliquod signum ejus.

  
I omnibus illis qui de re anatomica scripsere attendamus, constabit nullam esse membranam in ore, neque in fundo, neque in medio matricis seu vulvæ in qua virginitas consistat, neque ad ponendam talem membranam, seu paniculum fuit in natura aliqua necessitas; imò si aliquam veritatem haberet, sine dubio aliquantulum resisteret specillo, sed specillum in profundum usque ingreditur sine ulla resistentia. Videtur ergo in matrice nullum esse paniculum seu membranam in qua virginitas consistat. Neque facit contra nos dolor & sanguis qui effunditur dum membrum virile ingreditur, quia hoc potest salvare absque positione talis membranæ, eo solum quod in tali parte concedamus cohærentiam quandam partium.

Henriquez de Laurea Medica Tom. III.

## DISPUTATIO LXIX.

*De his quæ circa sanguinem  
menstruum sunt*

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit sanguis menstruus.*

**A**NGUIS menstruus dicitur ille qui singulis mensibus effluit in mulieribus per uterum, dum secundum naturam se habent, ut passim advertit Hippoc. & Gal. in quo conveniunt omnes; qui muliebris dicitur, eò quod in illis uberior eveniat hæc evacuatio quam in aliis foemini, quia scilicet homo constat temperie magis accommodata ad generationem.

Hinc non est difficile reddere rationem ob quam redundet sanguis ille in foemini, & non in viris: duplice de causa id contingit: prima est causa efficiens quae in mulieribus est minor, calor qui non valet discutere & dissolvere humores, sicut ille major qui est in viris: itaque non superat in foemini sanguis, quia in majori quantitate generetur quam in viris (è contraria potius est verum, cum viri temperamentum sit magis accommodatum ad sanguinis generationem) sed quia minus discutant & consumant quam viri. Altera causa est finalis; ideo enim superat in foemini ob generationem & humanam propagationem, quia scilicet sanguis ille attrahitur ad generationem foetus tanquam necessarius ad id, & sic causa hujus finis redundant; facit etiam valde ad talem redundantiam densitas cutis, ob quam minus resolvitur, & vita otiosa ob eandem rationem. Cum hac tamen doctrina est verum posse aliquas mulieres carere menstrua vacuatione citra morbum aliquem, eò quod temperie constet calidiori quæ valeat resolvere, vel quia valde exercitatae sunt: cum quo bene stat posse concipere, eò quod à venis potest attrahi sanguis sufficiens pro formatione foetus, quod non frequenter contingit. Doctrina vero supra tradita debet intelligi de eo quod communiter & frequenter fit. Hæc menstrua evacuatio solet nominari flos, eò quod antecedat ad conceptionem, sicut flos arborum ad fructum; frequenter enim contingit ut mulier non concipiatur antequam sit tempus apparitionis menstruae purgationis, aut sit tempus accommodatum ad illorum exitum.

## CAPUT II.

*An sanguis menstruus sit excrementum peccans sola quantitate, an etiam qualitate.*

**V**era sententia in hac re est sanguinem menstruum dum mulier sana est esse tantum excrementum quantitate peccans, & non qualitate. Probatur hæc sententia, quia sanguis ille super-

fluit in mulieribus, quia minus absorbitur in nutritione partium, quam generatur pro ipsarum nutritione: ergo si illud quod fluit est quod superfluit à nutritione partium, tantum peccabit quantitate, & non qualitate. Probatur etiam ex Aristot. lib. 2. de generatione animalium, cap. 5. dum reddit causam ob quam foeminae pingues sint steriles, ait quia excrementum seminale in corpus absorbitur; itaque fit ut illis menstrua defint. Ex quo clare constat ut eadem sit materia menstrui & pinguedinis; non ergo peccat qualitate in muliere bene valente, secus in muliere morbosa, & malum habitum habente.

Præterea quia prædictus sanguis generatur ab eodem efficienti, jecore scilicet, & ex eadem materia, sicut ille quo partes mulieris nutriuntur: ergo non magis peccat qualitate quam alter. Denique quia ex illo fit fetus, & nutritur in utero, & extra illum lacte ex illo facto in mammis alitur. Ex quo constat sola quantitate peccare. Ulteriorius quod venenosam qualitatem non participet, constat ex eo quod mulieres quibus per multum tempus sunt suppressæ vacuationes, non sunt venenosæ redditæ, neque in illis ullum symptoma illius experitur. Cum hoc tamen verum stat quod sanguis qui in utero servatur dum fetus ibi existit, & tempore partus propellitur, solet habere aliquam qualitatem præternaturam, quod ex eo est quia fetus solùm attrahit ad sui nutritionem, sanguinem priorem, & sic ex menstruo in uterum attracto fetus attrahit priorem & tenuorem, & remanet id quod est crassum & terrestre, impurumque.

Ex his deduco esse excrementum secundæ & tertiae coctionis sanguinem menstruum, sicut semen, eò solùm quod redundet à nutritione jecoris, & reliquarum partium, quia superat à nutritione illarum; sed hoc ultimum verum mihi non videtur, eo quod id quod superat à nutritione aliarum partium jam non habet formam sanguinis, sed secundarum humiditatum, & sic si illud descenderet, sub illa forma deberet esse, quod non experimur. Quod autem solet objici de aliquibus effectibus sanguinis menstrui, ut exiccatio herbarum, & ortus prolis leprosa, si accedit vir ad foeminam, tempore menstruae vacuationis, nihil facit contra nos; nam primum est verum dum mulier non est sana; secundum est falsum, neque hujus est aliquid experimentum: Illud autem quod dicitur in sacris Literis peccatum esse accedere ad suam dum adest menstrua purgatio, non debet intelligi quia peccat qualitate, & proles fiat leprosa, sed quia dum mulier est in medio purgationis menstruae, semen extinguitur, vel extra uterum rapitur, & hac ratione prohibitum est in sacris Literis. Illud autem quod dicitur de variolis & morbillis qui contrahuntur ex prima formatione facta ex sanguine menstruo, non est hujus loci disputare.

## CAPUT III.

*Quo tempore incipient & desinunt menstruae purgationes.*

**E**R TUM in hac re est non esse tempus determinatum eruptionis menstruarum in foemini, sed pro diversa natura ante aut post flue-re incipiunt, ita ut qui constant mollitie carnis, abundantia

abundantia sanguinis, & laxitate meatuum, habent menstruam purgationem ante duodecimum annum; in aliis vero usque ad decimumquartum non incipit fluere; in aliis vero qui paucum generant sanguinem, praesertim si castæ sint, non incipiunt menstruae dictæ purgationes usque ad decimumquintum. Quod autem ut plurimum contingit est quod incipient dum circa decimumquartum annum sunt foeminae parum temporis ab hoc numero distantes, in quo tempore incipiunt elevari mammae.

Quæret aliquis quænam sit causa ut à principio ortus non sint dictæ evacuationes menstruae in mulieribus.

Respondetur in doctrina distinguentium patres calidi innati à partibus humidi radicalis, quod usque ad principium adolescentiae plurimus est calor nativus, & maxima evacuatio insensibilis; & sic non redundat sanguis qui possit fluere per uterus, cum plurimum à calido innato sit resolutum. Postea vero cum incipiat calor remitti, redundat materia, & succedit menstrua purgatio. Alio modo possumus respondere dicendo, quod materia quæ debuit redundare consumitur in augmentatione, usque ad illud tempus, postea vero minimè.

Denique neque est regula certa cessationis menstruarum; nam quibusdam cessat menstrua purgatio dum accidunt ad quadraginta annos, quibusdam vero dum accidunt ad quinquaginta, paucis vero dum ad sexaginta accidunt, quod evenit eò quod partes sicciores reddantur & frigidiores; sic enim generant paucum sanguinem, eò quod membra sint exiccata.

geratur in parte mittente humor, non tamen repetit qualibet horā, sed in illa in qua jam congesta sufficiens quantitas quæ valeat irritare pro expulsione illius humoris, & disseminati per totum corpus.

Aristoteles affirmavit non esse parvi momenti Lunæ motum ad predictas menstruas vacuationes, in decretione scilicet illius, quia tunc ob defectum lucis minor calor producitur eo tempore in aere, & consequenter in corporibus foeminarum, & ita illius humoris crudi est major copia: nam minus absuntur ob frigiditatem quæ est in corporibus foeminarum, ac proinde tempore decrescentiae, seu coitus Lunæ (id est principij mensis, qui coitus Luna cum Sole vocatur ab Antiquis ob eorum conjunctionem) menstruae purgationes solent fieri: cum hoc tamen bene stat posse fieri in plenilunio, eò quod eo tempore crescat sanguis: Certum tamen in hac re est, non esse tempus determinatum in mense ad prædictam fluxionem, sed in aliquibus quandoque anticipatur, quandoque postponitur & in diversis, diversis diebus mensis fit evacuatio, eò quod diversis consistent temperiebus, & viæ in omnibus non sint æquæ expeditæ, ac proinde non est ratio quæ cogat naturam uno statuto tempore hanc evacuationem moliri: nam licet verum sit naturam singulis mensibus in bene valentibus congerere certam sanguinis quantitatem & servare, tamen non est in omnibus eadem copia, neque æquale temperamentum, neque eadem expeditio viarum, ut dixi, & sic in omnibus non est in eodem tempore, licet in omnibus sit singulis mensibus.

## CAPUT IV.

*An singulis mensibus fiat secundum naturam hac evacuatione.*

**O**N VENIUNT omnes Medici in eo quod evacuatione menstrua fiat singulis mensibus secundum naturam in foeminitate bene valentibus, quod ipsa experientia testatur quotidie; dubium est cur prædicta evacuatione non fiat quotidie, ut de evacuatione reliquorum excrementorum experimur: sed in illa servatur talis ordo, ut singulis mensibus quasi per periodos & circuitus repeatat. Quidam id reducunt ad solam causam finalē, id est que affirmant quod si quotidie fieret talis evacuatione, non appeteretur coitus, & sic cessaret finis generationis, ac proinde Natura provida ordinavit talēm evacuationem singulis mensibus contingere.

Sed licet in hac te plurimum valeat argumentum quod conficitur de finali causa, sicut & aliis, tamen oportet causam efficientem prædicti eventus inquirere: Et breviter dicimus id est quia licet quotidie paulatim prædictus sanguis congeratur, non tamen in qualibet quantitate est sufficiens, ut irriteret ad expunctionem, & sic usquedam per spatium unius mensis jam est congesta quantitas sufficiens ad irritationem, non fit prædicta evacuatione, non aliter quam in febribus intermittentibus continet repetentia: nam licet qualibet horā con-

## CAPUT V.

*Quot diebus secundum naturam debeat durare purgatio menstrua.*

**A**RISTOTELES circa præsentem disputationem fuerunt placita, ita ut Aristoteles existimat purgationem menstruam durare dum est secundum naturam per spatium trium dierum; sed cum distinguat in tempore menstruae purgationis principium, & medium, & finem, de aliquo ex his temporibus in quo majori impetu effluit sanguis, intelligi debet, ut in tempore medio.

Sed dices: viderut in tempore medio non effluere majori impetu; nam in principio fluit in majori copia: ergo si facultas sit fortis, in majori quantitate erit expulsio in eo.

Respondetur ex parte illius quod fluit, & ipsius facultatis optimè probare argumentum; tamen quia in medio viæ sunt magis patentæ, eo quod laxentor, & ora venarum aperiuntur à sanguine qui effluxit in principio, indè est in majori quantitate effluere in medio quam in principio, propter lubricitatem viarum.

Sed ad rem nostram redeentes, Vallesius affirmavit posse menstruam purgationem se extendi usque ad septem dies secundum naturam; quod colligit ex verbis Levitici 12. capite, ubi dicitur, *Mulier si concepto semine pepererit masculum*

*immunda erit septem diebus juxta dies separatio-  
nis menstrua. Ex quo clarè colligitur ad septem  
dies se extendi posse omnino secundum naturam  
manente. Sed cùm Vallesius non legerit ver-  
ba sequentia ipsius Levitici , ubi dicitur quod  
si fœminam pepererit immunda erit duabus hebdo-  
madis , juxta ritum fluxus menstrui. Ex quo clarè  
constat ad decimum quartum diem posse extendi  
menstruam purgationem naturalem : cùm hoc  
tamen bene stat quantitatem sanguinis non posse  
esse unam in omnibus, sed diversam , pro diver-  
sa earum natura , ratione cuius etiam numerus  
dierum sit major, vel minor.*

ibi detineatur, ut ex illo fiat & nutritur fœtus ;  
ita tamen est verum ut partes mittant sanguinem  
ad uterus , eò quod irritantur ab eo , non vero  
uterus attrahit ab omnibus partibus, ne alliceret  
ab eis illum qui fœmina non esset necessarius :  
tempore vero quo fœtus est formatus , à fœtu  
ipsa fit attractio prædicti sanguinis.

Quæres quo ex dictis tribus modis effluat san-  
guis in evacuatione menstrua.

Respondetur fieri per apertum oscularum  
venarum gracilium qua in uterus terminantur,  
eò quod graventur à quantitate & laxentur ab  
humiditate sanguinis. Advertere tamen oportet  
duo esse generia vasorum in uterus deservientium,  
quædam in cavitate ipsius , & quædam in cer-  
vice uteri. Ex quibus per illa priora fœtus sumit  
alimentum , & per posteriora quandoque effluit  
sanguis tempore prægnationis. In fine tamen hu-  
jus capituli advertere oportet uterus considera-  
tum in ordine ad speciem in quantum in illo sit  
conceptio fœtus , posse pati tria genera actionis  
laesæ , ex quibus ablata , vocatur sterilitas , &  
diminuta , ut generatio inchoata , & tandem  
depravata , ut generatio monstruosa : tum etiam  
uterus potest considerari in ordine ad indivi-  
duum, in quo casu etiam potest pati omnia genera  
morborum.

## C A P U T VI.

*An conveniens fuerit menstruam evaca-  
tionem fieri per uterus.*

**S**ENTENTIA Averroës asserentis fuisse con-  
venientem menstruam vacuationem per  
uterum fieri , ratione finis ; cùm enim dictum  
sit fœtum fieri ex sanguine menstruo , eoque  
nueriri , conveniens fuit per uterus evaciari qui  
locus generationis est , ut tempore fœtationis

